SANCTI THOMAE DE AQUINO

OPERA OMNIA

IUSSU LEONIS XIII P. M. EDITA

TOMUS XXVI

EXPOSITIO SUPER IOB AD LITTERAM

CURA ET STUDIO
FRATRUM PRAEDICATORUM

TEXTUS

ROMAE, AD SANCTAE SABINAE
1965

EXPOSITIO SUPER IOB

AD LITTERAM

SIGLA CODICUM

F Firenze, Bibl. Laurenziana Plut. XX. 18

N Napoli, Bibl. Nazionale VII. AA. 15

F^2 Firenze, Bibl. Laurenziana, S. Croce Plut. XXVIII dext. 7
V^1 Bibl. Apost. Vaticana, Vat. lat. 801
V^2 Bibl. Apost. Vaticana, Vat. lat. 802

β consensus codd. F^2 V^1 V^2
β^1 consensus codd. F^2 V^1

As Assisi, Bibl. Comunale 51
F^3 Firenze, Bibl. Laurenziana, S. Croce Plut. XXXII dext. 9
Sv Sevilla, Bibl. Capitular y Colombina Y. 131. 18

γ consensus codd. As F^3 Sv
γ^1 consensus codd. As F^3 (inde a cap. 34 277 usque ad cap. 39 310)

Va Valencia, Bibl. Universitaria 627
R Roma, Bibl. Casanatense 445
Pd Padova, Bibl. Universitaria 665
π 'Exemplar' parisiense, restitutum ex codicibus quos in Praef. § 3 sub numeris 6, 20, 36, 46 et 58 descripsimus

δ consensus codd. Va R Pd
δ^1 consensus codd. R Pd

PROLOGUS

Sicut in rebus quae naturaliter generantur paulatim ex imperfecto ad perfectum pervenitur, sic accidit hominibus circa cognitionem veritatis; nam a principio parvum quid de veritate attigerunt, posterius autem quasi pedetentim ad quandam pleniorem mensuram veritatis pervenerunt: ex quo contigit multos a principio propter imperfectam cognitionem circa veritatem errasse. Inter quos aliqui extiterunt qui divinam providentiam auferentes omnia fortunae et casui attribuebant: et priorum quidem intantum ad hoc invaluit opinio ut ponerent mundum casu factum esse et ea quae naturaliter generantur casui attribuerent, sicut perspici potest ex positionibus antiquorum naturalium ponentium solum causam materialem; posteriorum etiam quidam, ut Democritus et Empedocles, plurima casui attribuebant. Sed posteriorum philosophorum diligentia perspicacius intuens veritatem, evidentibus indiciis et rationibus ostenderunt res naturales providentia agi: non enim tam certus cursus in motu caeli et siderum et in aliis naturae effectibus inveniretur nisi haec omnia a quodam intellectu supereminente ordinata gubernarentur.

Opinione igitur plurimorum firmata in hoc quod res naturales non casu sed providentia agerentur propter ordinem qui manifeste apparet in eis, emersit dubitatio apud plurimos de actibus hominum, utrum res humanae casu procederent an aliqua providentia vel ordinatione superiori gubernarentur. Cui quidem dubitationi maxime fomentum ministravit quod in eventibus humanis nullus certus ordo apparet: non enim semper bonis bona eveniunt aut malis mala, neque rursus semper bonis mala aut malis bona, sed indifferenter bonis et malis et bona et mala. Hoc igitur est quod maxime corda hominum commovit ad opinandum res humanas providentia divina non regi, sed quidam eas casualiter procedere dicunt nisi quatinus providentia et consilio humano reguntur, quidam vero caelesti fato eorum eventus attribuunt.

Haec autem opinio maxime humano generi nociva invenitur; divina enim providentia sublata, nulla apud homines Dei reverentia aut timor cum veritate remanebit, ex quo quanta desidia circa virtutes, quanta pronitas ad vitia subsequatur satis quilibet perpendere potest: nihil enim est quod tantum revocet homines a malis et ad bona inducat quantum Dei timor et amor. Unde eorum qui divino spiritu sapientiam consecuti < sunt > ad aliorum eruditionem, primum et praecipuum studium fuit hanc opinionem a cordibus hominum amovere; et ideo post Legem datam et Prophetas, in numero hagiographorum, idest librorum per Spiritum Dei sapienter ad eruditionem hominum conscriptorum, primus ponitur liber Iob, cuius tota intentio circa hoc versatur ut per probabiles rationes ostendatur res humanas divina providentia regi.

Proceditur autem in hoc libro ad propositum ostendendum ex suppositione quod res naturales divina providentia gubernentur. Id autem quod praecipue providentiam Dei circa res humanas impugnare videtur est afflictio iustorum: nam quod malis interdum bona eveniant, etsi irrationabile primo aspectu videatur et providentiae contrarium, tamen utcumque habere potest aliquam excusationem ex miseratione divina; sed quod iusti sine causa affligantur totaliter videtur subruere providentiae fundamentum. Proponitur igitur ad quaestionem inten-

1 Sicut] autem *add.* Pd π 4 quid] quidem F β 13 perspici] prospici F γ δ(-Pd) 18 intuens] –entes F V^1 Pd π innuens V^2 49 < sunt > *suppl. cum* sV^2 δ π] *ante* sapientiam sN *ante* consecuti V^1 *om. cet.*

14 antiquorum naturalium: cf. Arist. *I Metaph.* 4 (983 b 7) et ipse Thomas *II Cont. gent.* cap. 39. 16 Democritus: cf. Avicen. *I Suffic.* cap. 14 (f. 21va) et ipse Thomas *Super II Phys.* 7 (196 a 24); Empedocles: cf. Arist. *II Phys.* 7 (196 a 20). 17 posteriorum philosophorum: scil. Cleanthes, Chrysippus et Zeno, sec. Tullium *II De nat. deorum* cap. 5-8; ipse Tullius ibid. cap. 21. 31 nullus certus ordo: cf. Moyses Maim. *III Dux neutr.* cap. 16 (ed. Paris. 1520, cap. 17). 37 quidam: Tullius *II De divin.* cap. 7 ut refert Thomas *III Cont. gent.* cap. 94 ex August. *V De civ. Dei* cap. 9 (PL 41,149); cf. etiam Tullius *De fato* cap. 17. 39 quidam: cf. August. *V De civ. Dei* cap. 1 (PL 41,141).

tam, quasi quoddam thema, multiplex et gravis afflictio cuiusdam viri in omni virtute perfecti qui dicitur Iob.

Fuerunt autem aliqui quibus visum est quod iste Iob non fuerit aliquid in rerum natura, sed quod fuerit quaedam parabola conficta ut esset quoddam thema ad providentiae disputationem, sicut frequenter homines confingunt aliqua facta ad disputandum de eis. Et quamvis ad intentionem libri non multum differat utrum sic vel aliter fuerit, refert tamen quantum ad ipsam veritatem. Videtur enim praedicta opinio auctoritati sacrae Scripturae obviare: dicitur enim Ez. XIV[14] ex persona Domini « Si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel et Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas »; manifestum est autem Noe et Danielem homines in rerum natura fuisse, unde nec de tertio eis connumerato, scilicet de Iob, in dubium debet venire. Dicitur etiam Iac. V[11] « Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt; sufferentiam Iob audistis et finem Domini vidistis ». Sic igitur credendum est Iob hominem in rerum natura fuisse.

Quo autem tempore fuerit vel ex quibus parentibus originem duxerit, quis etiam huius libri fuerit auctor, utrum scilicet ipse Iob hunc librum conscripserit de se quasi de alio loquens, an alius de eo ista retulerit, non est praesentis intentionis discutere. Intendimus enim compendiose secundum nostram possibilitatem, de divino auxilio fiduciam habentes, librum istum qui intitulatur *Beati Iob* secundum litteralem sensum exponere; eius enim mysteria tam subtiliter et diserte beatus papa Gregorius nobis aperuit ut his nihil ultra addendum videatur.

96 enim] *om.* F pN eum β(-V[1]) 100 diserte] discrete pN β(-V[1]) As δ π 101 nobis] secundum *praem.* F pN

72 aliqui: Moyses Maim. *III Dux neutr.* cap. 22 (ed. Paris. 1520, cap. 23); vide Praef. § 19. 101 *Moralium libri XXXV* (PL 75,509).

CAPITULUM I

[1] Vir erat in terra Hus nomine Iob, et erat vir ille simplex et rectus ac timens Deum ac recedens a malo. [2] Natique sunt ei septem filii et tres filiae.

Vir erat in terra Hus etc. Quia, sicut dictum est, intentio huius libri tota ordinatur ad ostendendum qualiter res humanae providentia divina regantur, praemittitur quasi totius disputationis fundamentum quaedam historia in qua cuiusdam viri iusti multiplex afflictio recitatur: hoc enim est quod maxime videtur divinam providentiam a rebus humanis excludere. Huius igitur viri primo persona describitur, et quantum ad sexum dum dicitur *Vir erat:* hic enim sexus ad perferendas molestias invenitur robustior; describitur etiam quantum ad patriam cum dicitur *in terra Hus*, quae est in partibus Orientis, et quantum ad nomen cum dicitur *nomine Iob:* et videntur haec duo posita esse ad insinuandum hoc quod dicitur non esse parabolam sed rem gestam.

Et ne aliquis adversitates quae postmodum inducuntur pro peccatis huius viri ei accidisse crederet, consequenter describitur eius virtus, per quam a peccatis demonstratur immunis. Sciendum siquidem est hominem tripliciter peccare: sunt enim quaedam peccata quibus peccatur in proximum, sicut homicidia, adulteria, furta et alia huiusmodi; quaedam quibus peccatur in Deum, sicut periurium, sacrilegium, blasphemia et huiusmodi; quaedam quibus unusquisque in se ipsum peccat, secundum illud Apostoli Cor. VI « Qui fornicatur, in corpus suum peccat ». In proximum autem quis peccat dupliciter, occulte per dolum et manifeste per vim; hic autem vir per dolum proximum non circumvenit, unde dicitur *et erat vir ille simplex:* simplicitas enim proprie dolositati opponitur; nulli violentiam intulit, sequitur enim *et rectus:* rectitudo enim ad iustitiam proprie pertinet, quae in aequalitate consistit, secundum illud Is. XXVI[7] « Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad inambulandum ». Quod autem in Deum non peccaverit aperte ostenditur per hoc quod subditur *ac timens Deum*, in quo reverentia ad Deum designatur. Quod etiam in se ipsum non peccaverit ostenditur in hoc quod subditur *ac recedens a malo*, quia malum odio habuit propter se ipsum, non solum propter nocumentum proximi vel offensam Dei.

Descripta igitur huius viri et persona et virtute, eius prosperitas consequenter ostenditur, ut ex praecedenti prosperitate gravior sequens iudicetur adversitas, simul etiam ad ostendendum quod ex prima Dei intentione iustis semper bona tribuuntur non solum spiritualia sed etiam temporalia; sed quod aliquando iusti adversitatibus premantur accidit propter aliquam specialem causam: unde et a principio homo sic institutus fuit ut nullis subiaceret perturbationibus si in innocentia permansisset. Principium autem prosperitatis temporalis, post bonam consistentiam personae propriae, consistit in personis coniunctis et praecipue in natis qui sunt quodammodo aliquid parentum. Describitur igitur primo eius prosperitas quantum ad fecunditatem prolis, cum dicitur *Natique sunt ei septem filii et tres filiae.* Convenienter numerosior multitudo marium quam feminarum ponitur quia parentes magis affectare solent filios quam filias, tum quia id quod perfectius est desiderabilius est, mares autem comparantur ad feminas sicut perfectum ad imperfectum, tum quia in auxilium rerum gerendarum solent esse parentes magis nati quam natae.

Deinde ostenditur prosperitas eius quantum ad multitudinem divitiarum et praecipue in animalibus: nam circa principium humani generis, propter hominum paucitatem, agrorum possessio non ita pretiosa erat sicut animalium, et maxime in partibus Orientis in quibus usque hodie sunt pauci habitatores prae latitudine regionis. Inter animalia autem primo ponuntur ea quae maxime deserviunt ad vic-

34 proprie] *om.* N Va *ante* ad iustitiam γ δ^1 π 36 inambulandum] ambulandum sN β^1 sVa R 51 et] *om.* β Sv Va etiam γ(-Sv) 66 parentes] — entibus N sV^2 sAs sF^2 Sv Va sR potentes *praem.* sF potentes δ^1 π

1 dictum est: Prol. 55. 21 tripliciter peccare: cf. *Summa Sent.* tr. 3 c. 16 (PL 176,113) et Petrus Lomb. *II Sent.* d. 42 c. 4; ipse Thomas *I-II* q. 72 a. 4. 27 I Cor. VI[18]. 52 nullis...perturbationibus: cf. August. *XIV De civ. Dei* cap. 10 (PL 41, 417) et Thomas *I Pars* q. 97 a. 2. 57 aliquid parentum: sec. Arist. *VIII Ethic.* 12 (1161 b 18) ut refert Thomas *II-II* q. 57 a. 4. 64 sicut perfectum...: sec. Arist. *II De gen. animal.* cap. 3 (737 a 27) ut refert Thomas *Super II Sent.* d. 18 q. 1 a. 1 sed c. 1.

[3] Et fuit possessio eius septem millia ovium et tria millia camelorum, quingenta quoque iuga boum et quingentae asinae, ac familia multa nimis. Eratque vir ille magnus inter omnes Orientales. [4] Et ibant filii eius et faciebant convivia per domos unusquisque in die sua, et mittentes vocabant tres sorores suas ut comederent et biberent cum eis vinum. [5] Cumque in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos Iob et sanctificabat illos,

tum et vestitum personae, scilicet oves, unde dicitur *Et fuit possessio eius septem millia ovium;* secundo ponuntur ea quae maxime deserviunt ad onera deferenda, scilicet cameli, et hoc est quod subditur *et tria millia camelorum;* tertio ponuntur ea quae deserviunt ad culturam agrorum, et hoc est quod subditur *quingenta quoque iuga boum;* quarto ponuntur animalia quibus homines ad vecturam utuntur, unde sequitur *et quingentae asinae,* ex quibus muli generantur, quibus antiqui maxime insidebant. Sub istis autem quatuor generibus animalium comprehenduntur omnia alia quae ad eosdem usus deserviunt, puta sub ovibus omnia victui et vestitui necessaria, et sic de reliquis. Et quia homines multas divitias possidentes ad eas gubernandas multitudine indigent famulorum, convenienter subditur *ac familia multa nimis.* Consequenter ponitur prosperitas eius quantum ad honorem et famam quae longe lateque diffundebatur, et hoc est quod dicitur *Eratque vir ille magnus inter omnes Orientales,* idest honoratus et famosus.

Ad maiorem autem ipsius Iob commendationem consequenter disciplina domus eius describitur, quae immunis erat ab illis vitiis quae opulentia gignere solet. Plerumque namque divitiarum abundantia discordiam parit, unde legitur in Genesi quod Abraham et Loth nequiverunt simul habitare, ad vitandum iurgium quod ex rerum abundantia proveniebat. Frequenter etiam homines multa possidentes, dum ea quae possident immoderate amant, eis tenacius utuntur, unde dicitur Eccl. VI[1] « Est et aliud malum quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines: vir cui dedit Deus divitias et substantiam et honorem, et nihil deest animae eius ex omnibus quae desiderat; nec tribuit ei Deus potestatem ut comedat ex eo ». Ab his igitur malis immunis erat domus beati Iob: erat enim ibi concordia et iocunda et aequa frugalitas, quod significatur cum dicitur *Et ibant filii eius et faciebant convivia per domos unusquisque in die sua.* Haec autem caritas et concordia non solum inter fratres erat sed usque ad sorores extendebatur, quae frequenter despiciuntur a fratribus propter superbiam quam opulentia plurimum gignit, unde subditur *et mittentes vocabant tres sorores suas ut comederent et biberent cum eis vinum.* Simul etiam designatur in hoc securitas quae de castitate filiarum habebatur; alias enim non circumducendae erant sed includendae, secundum illud Sapientis Eccli. XXVI[13] « In filia non avertente se firma custodiam, ne inventa occasione abutatur se ».

Sicut autem in domo Iob frugalitas et concordia vigebat, sic in ipso Iob vigebat sancta sollicitudo puritatis quam frequenter divitiae obruunt vel etiam minuunt, secundum illud Deut. « Incrassatus est dilectus et recalcitravit », et postea sequitur « Dereliquit Deum factorem » etc. Et quidem de sua puritate intantum sollicitus erat quod ab his quae inquinare poterant totaliter procul erat: dictum est enim supra quod « erat timens Deum et recedens a malo ». Sed etiam circa filiorum puritatem maxime sollicitus erat; permittebat siquidem eos convivia agere eorum indulgens aetati: quaedam enim in iuvenibus tolerantur quae in personis gravibus reprehensibilia sunt. Et quia in conviviis vix aut numquam homines vitare possunt quin vel per ineptam laetitiam vel per inordinatam loquacitatem aut etiam immoderatum cibi usum offendant, filiis quos a conviviis non arcebat purificationis exhibebat remedium, unde dicitur *Cumque in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos Iob et sanctificabat illos.* Dicuntur autem in orbem dies transire convivii quia cum septem filii essent et unusquisque in die sua convivium faceret, per omnes dies septimanae seriatim huiusmodi consummabant convivia; postmodum quasi circulariter sive orbiculariter, sicut in diebus septimanae ita in conviviis ad principium rediebatur. Notandum autem quod licet Iob filiis indulgeret ut convivia agerent, tamen ipse suam gravitatem conservans eorum conviviis se non immiscebat: unde dicitur quod *mittebat ad eos,* non quod ipse ad eos iret. Modus autem sanctificationis quo per internuntium sanctificabat potest intelligi dupliciter: vel quia salubribus monitis eos instrui faciebat ut si

123 Eccli. XXVI] *om.* N β pVa Eccli. etc. F[2] 140 homines] immunditiam *add. codd. et delevimus*

84 muli: cf. Isid. *XII Etymol.* cap. 1 (PL 82,433 C). 100 discordiam parit: cf. *Glossa interlin.* super Iob 1[4] ex Gregor. *I Moral.* cap. 7 (PL 75,531 D). 100 Gen. XIII[6]. 129 Deut. XXXII[15]. 130 Ibid. 134 Vers. 1.

consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos. Dicebat enim: Ne forte peccaverint filii mei et benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Iob cunctis diebus.

quid in conviviis deliquerant emendarent, vel etiam expiationis aliquem ritum habebant quo huiusmodi delicta expiabantur, sicut et sacrificia etiam ante Legem datam fuerunt, et primitiarum et decimarum oblatio.

In conviviis autem homines interdum non solum impuritatem incurrunt modis praedictis, sed etiam gravioribus peccatis immerguntur usque ad Dei contemptum, propter lasciviam ratione absorpta et a reverentia divina abstracta, sicut in Exodo dicitur « Sedit populus manducare et bibere et surrexerunt ludere », idest fornicari vel idolis immolare. Iob igitur non solum contra levia delicta filiis sanctificando subveniebat, sed etiam contra graviora remedium studebat apponere quo eis Deus placaretur, unde sequitur *consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos*. In quibus verbis ostenditur perfectio devotionis ipsius, et quantum ad tempus, quia diluculo consurgebat, secundum illud Psalmi « Mane astabo tibi » etc.; et quantum ad modum oblationis, quia holocausta offerebat quae totaliter combu-rebantur ad honorem Dei, nulla parte relicta in usum offerentis vel eius pro quo offerebatur sicut erat in hostis pacificis et pro peccato: dicitur enim holocaustum « quasi totum incensum »; et quantum ad numerum, quia per singulos filios holocausta offerebat: singula enim peccata convenientibus satisfactionibus sunt expianda.

Causam autem oblationis holocaustorum subiungit dicens *Dicebat enim*, scilicet Iob in corde suo, non quidem de peccatis filiorum certus sed dubitans, *Ne forte peccaverint filii mei*, scilicet opere vel verbo, *et benedixerint Deo in cordibus suis*. Quod quidem dupliciter intelligi potest. Uno modo ut totum intelligatur coniunctim: quamvis enim benedicere Deum sit bonum, tamen benedicere Deum de hoc quod homo peccavit significat voluntatem in peccatis quiescentem, et quantum ad hoc vituperatur, sicut in Zacharia dicitur contra quosdam: « Pasce pecora occisionis, quae qui possederant occidebant et non dolebant et vendebant ea dicentes: Benedictus Dominus! divites facti sumus ». Alio modo ut intelligatur divisim, et sic per hoc quod dicitur *benedixerint*, intelligitur 'maledixerint': crimen enim blasphemiae tam horribile est ut pia ora ipsum nominare proprio nomine reformident, sed ipsum per contrarium significant. Et convenienter pro peccato blasphemiae holocausta offeruntur, quia ea quae in Deum committuntur honoratione divina sunt expurganda.

Solet autem contingere quod divinus cultus a quibusdam devote perficiatur si rarus sit, cum autem frequens fuerit in fastidium venit, quod est peccatum accidiae, cum aliquis scilicet tristatur de spirituali labore. Cui quidem vitio Iob subiectus non erat, nam subditur *Sic faciebat Iob cunctis diebus*, quasi perseverantem in divino cultu devotionem conservans.

Quadam autem die cum venissent etc. Post prosperitatem beati Iob enumeratam ponitur adversitas ipsius, et primo inducitur causa ipsius. Et ne quis putaret adversitates iustorum absque divina providentia procedere et per hoc aestimaret res humanas providentiae subiectas non esse, praemittitur quomodo Deus de rebus humanis curam habet et eas dispensat. Hoc autem symbolice et sub aenigmate proponitur secundum consuetudinem sacrae Scripturae, quae res spirituales sub figuris rerum corporalium describit, sicut patet Is. VI[1] « Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum », et in principio Ezechielis et in pluribus aliis locis. Et quamvis spiritualia sub figuris rerum corporalium proponantur, non tamen ea quae circa spiritualia intenduntur per figuras sensibiles ad mysticum sensum <pertinent> sed litteralem, quia sensus litteralis est qui primo per verba intenditur, sive proprie dicta sive figurate.

Sciendum est autem quod divina providentia tali ordine res gubernat quod inferiora per superiora dispensat; corpora enim generabilia et corruptibilia subduntur motui corporum caelestium, et similiter inferiores spiritus rationales mortalibus corporibus uniti, scilicet animae, per superiores spiritus incorporeos administrantur. Hoc autem habet ecclesiasti-

162 datam *scripsi* (*cf. supra Prol.* 52)] data *codd.* 181 offerebatur] —bantur sV^3 Pd π 232 <pertinent> *suppl. cum* sAs Pd π] trahuntur β referuntur sR referenda sunt *post* litteralem Va *om. cet.* 240 uniti *scripsi cum* F^2 Sv δ π] unitis F N V^1 *tertius* V^2 iunctis pV^2 iuncti sV^2 unite As uniri F^2

161 ante Legem: cf. Thomas *I-II* q. 103 a. 1. 168 Exod. XXXII[4]. 177 Ps. v[3]. 183 'ut dicitur Lev. 1' sec. Thomam *III Pars* q. 22 a. 2; revera *Glossa interlin.* super Lev. 1^{17}; cf. etiam Huguccio *Liber derivationum* s.v. olon (ms. Paris B.N. lat. 17880, f. 147ra). 197 Zach. XI[4]. 211 accidiae: cf. Thomas *II-II* q. 35 a. 1. 218 primo: cf. 'consequenter' lin. 587. 233 sensus litteralis: cf. Thomas *I Pars* q. 1 a. 10 ad 3. 238 motui corporum caelestium: cf. Thomas *De verit.* q. 5 a. 9 et *I Pars* q. 115 a. 3. 240 per superiores spiritus: cf. Thomas *I Pars* q. 111 a. 1.

[6] Quadam autem die cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan. [7] Cui dixit Dominus: Unde venis?

ca traditio quod inter incorporeos spiritus quidam sunt boni qui, puritatem in qua creati sunt conservantes, divina gloria perfruuntur a Dei voluntate numquam recedentes: et hi quidem spiritus in Scripturis interdum dicuntur angeli, idest nuntii, quia divina hominibus annuntiant, interdum autem filii Dei dicuntur inquantum Deo per participationem gloriae assimulantur. Mali autem spiritus quidam sunt, non per naturam aut per creationem cum cuiusque naturae auctor sit Deus nec summum bonum potest esse causa nisi bonorum, sed sunt mali per propriam culpam; huiusmodi autem spiritus in Scripturis daemones dicuntur, et eorum primus dicitur diabolus, quasi deorsum cadens, vel etiam Satan, idest adversarius. Utrique igitur spiritus homines ad aliqua agenda movent, boni quidem ad bona mali autem ad mala. Et sicut homines moventur a Deo per spiritus supra dictos, ita etiam ea quae per homines aguntur dicuntur in Scripturis eisdem spiritibus mediantibus ad divinum examen referri. Ad ostendendum igitur quod tam bona quam mala quae homines agunt divino iudicio subsunt, dicitur *Quadam autem die cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan.*

Sciendum vero est quod angeli, qui hic *filii Dei* dicuntur, assistere dicuntur Domino dupliciter: uno modo inquantum Deus ab eis conspicitur, sicut scriptum est in Daniele « Millia millium ministrabant ei et decies centena millia assistebant ei », alio modo inquantum ipsi angeli et eorum actus a Deo conspiciuntur; nam qui alicui domino assistunt, et eum conspiciunt et ab eo conspiciuntur. Primo igitur modo assistere non convenit angelis nisi beatis qui divina visione perfruuntur, nec his omnibus sed illis tantum qui inter eos superiores existunt, qui magis intime divina visione perfruuntur et ad exteriora ministeria, secundum Dionysii sententiam, non exeunt: unde et a ministrantibus in praedicta auctoritate Danielis assistentes distinguuntur. Secundo autem modo assistere convenit non solum omnibus bonis angelis sed etiam malis et etiam hominibus, quia quaecumque per eos aguntur divino conspectui et examini subduntur, et propter hoc dicitur quod *cum venirent filii Dei ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan.* Et quamvis ea quae per angelos bonos vel malos administrantur continue divino conspectui et examini subdantur, et sic semper et filii Dei assistant et Satan adsit inter eos, dicitur tamen *quadam die*, secundum morem Scripturae quae ea quae supra tempus sunt interdum per tempus designat ex aliquibus quae dicuntur in tempore; sicut in principio Genesis dicitur Deus aliqua dixisse primo vel secundo die quamvis eius dicere sit aeternum, propter hoc quod ea quae ab ipso dicuntur fiebant in tempore. Ita et nunc, quia factum de quo nunc intenditur determinato tempore extitit, dicuntur administratores huius facti *quadam die* coram Domino astitisse quamvis coram Domino assistere numquam desistant.

Considerandum est etiam quod ad Dei iudicium aliter referuntur ea quae per bonos angelos aguntur, aliter ea quae per malos. Nam boni angeli hoc intendunt ut ea quae agunt referantur in Deum, et ideo dicitur quod filii Dei venerunt *ut assisterent coram Domino*, quasi proprio motu et intentione omnia divino iudicio subdentes; mali vero angeli non intendunt ea quae agunt referre in Deum, sed eis nolentibus hoc accidit ut quicquid agunt subdatur divino iudicio, et ideo non dicitur de Satan quod venit ut assisteret coram Domino sed solum quod *affuit inter eos*. Dicitur autem *inter eos* tum propter naturae parilitatem, tum ad insinuandum quod mala non sunt ex principali intentione sed superveniunt bonis quasi per accidens.

Est autem differentia inter ea quae per bonos angelos et malos aguntur: nam boni angeli nihil agunt nisi ad quod divino iussu et voluntate moventur, in omnibus enim voluntatem divinam sequuntur; mali vero sua voluntate discordant a Deo, unde ea quae ipsi agunt a Deo aliena existunt quantum ad eorum intentionem. Et quia non consuevimus interrogare de his quae nos facimus sed de his quae absque nobis fiunt, ideo non dicitur quod Dominus aliquid quaesierit a filiis Dei sed solum a Satan, et hoc est quod subditur *Cui dixit Dominus: Unde venis?* Et notandum est quod non dicit ei Dominus

279 a ministrantibus] administrantibus β F^{2} δ(-Pd) 281 solum] solis F N β(-F^{2}) 299 Domino^{2} *scrips. cum* V^{2}] deo F I^{2} ipso N V^{1} eo γ δ π

246 nuntii: cf. Isid. *VII Etymol.* cap. 5 (PL 82,272 A). 255 deorsum cadens: cf. Isid. *VIII Etymol.* cap. 11 (PL 82,316 A) ubi tamen habetur 'deorsum fluens'; Alan. de Insulis *Distinctiones* s.v. Diabolus (PL 210,766 C), 'deorsum ruens'. 256 adversarius: cf. Isid. l. c. 267 assistere... dupliciter: cf. Gregor. *II Moral.* cap. 4 (PL 75,557 B). 269 Dan. VII^{10}. 278 *De cael. hier.* cap. 13 §2 (PG 3,300; Dion. 945); cf. ipse Thomas *Super II Sent.* d. 10 a. 2 et *I Pars* q. 112 a. 2. 279 praedicta: lin. 269.

Qui respondens ait: Circuivi terram et perambulavi eam.

'Quid facis?' aut 'Ubi es?' sed *Unde venis?*, quia ea ipsa facta quae per daemones procurantur interdum ex divina voluntate proveniunt, dum per eos vel puniuntur mali vel exercentur boni; sed daemonum intentio semper mala est et a Deo aliena, et ideo a Satan quaeritur *Unde venis?*, quia eius intentio, a qua procedit tota ipsius actio, a Deo est aliena.

Sciendum autem est quod dicere dupliciter accipitur, nam quandoque refertur ad conceptum cordis, quandoque autem ad significationem qua huiusmodi conceptus alteri exprimitur. Secundum igitur primum modum dicere Dei est aeternum et nihil est aliud quam generare Filium qui est verbum ipsius. Secundo autem modo temporaliter Deus aliqua dicit, diversimode tamen secundum quod congruit eis quibus dicit: nam hominibus corporeos sensus habentibus aliquando Deus locutus est corporeo sono formato in aliqua subiecta creatura, sicut vox sonuit in baptismo et <in> transfiguratione Christi: « Hic est filius meus dilectus »; aliquando autem per imaginariam visionem, sicut multotiens legitur in Prophetis; aliquando autem intelligibili expressione, et hoc modo intelligendum est Deum ad Satan dixisse inquantum eum intelligere facit quod ea quae ipse agit a Deo conspiciuntur.

Sicut ergo dicere Dei ad Satan est ei notitiam praebere, ita respondere Satan Deo est non quidem alicuius rei Deo notitiam tradere sed considerare omnia sua divino conspectui aperta esse, et secundum hunc modum dicitur *Qui respondens ait: Circuivi terram et perambulavi eam.* Per hoc igitur quod Dominus dicit ad Satan *Unde venis?* intentionem et acta diaboli Deus examinat; per hoc autem quod Satan respondet *Circuivi terram et perambulavi eam*, quasi suorum actuum Deo rationem reddit, ut ex utroque ostendatur omnia quae per Satan fiunt divinae providentiae subiecta esse. Per circuitum autem Satan calliditas eius ostenditur ad explorandum quos decipere possit, secundum illud I Petri ult. « Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret ». Convenienter autem per circuitum calliditas designatur, sicut per rectum simplex iustitia, nam rectum est « cuius medium non exit ab extremis »: quia igitur actio iusti a suo principio quod est voluntas et fine intento non discrepat, convenienter iustis ascribitur rectitudo; callidorum autem est aliud praetendere et aliud intendere, et sic id quod demonstrant ex suo opere exit ab extremis dum nec voluntati concordat nec fini: unde recte callidi circuire dicuntur, propter quod scriptum est « In circuitu impii ambulant ». Sciendum vero est quod etsi diabolus erga cunctos tam bonos quam malos calliditatis suae studio utatur, effectum tamen calliditatis suae in solis malis consequitur; qui recte terra nominantur: cum enim homo compositus sit ex natura spirituali et carne terrena, malum hominis in hoc consistit quod, derelictis spiritualibus bonis ad quae secundum rationalem mentem ordinatur, terrenis bonis inhaeret quae sibi competunt secundum carnem terrenam: et ideo mali inquantum naturam terrenam sequuntur recte terra dicuntur. Huiusmodi igitur terram non solum circuit Satan sed etiam perambulat, quia in eis effectum suae malitiae complet: in perambulatione enim complementum processus ipsius designatur, sicut e contrario de viris iustis dicitur quod in eis Deus perambulat, unde Apostolus Cor. VI inducit « Inhabitabo in illis et inambulabo inter eos ».

Potest etiam et ex hoc aliud intelligi. Triplex enim est status viventium: quidam sunt super terram, idest in caelo, ut angeli et beati omnes, quidam in terra sicut homines mortali carne viventes, quidam autem sub terra ut daemones et damnati omnes. Primos igitur Satan neque circuit neque perambulat, quia in caelestibus civibus nihil malitiae potest esse, sicut nec in caelestibus corporibus invenitur aliquod malum naturae; eos autem qui sunt in inferno perambulat sed non circuit, quia eos totaliter suae malitiae subiectos habet, nec oportet ut ad eos decipiendos aliqua calliditate utatur; eos autem qui sunt in terra circuit et perambulat, quia et calliditate eos decipere nititur et quosdam eorum ad suam malitiam trahit, qui maxime per terram designantur, ut dictum est.

Et quod per terram homines terreni designentur

347 <in> *suppl. cum* F sN Sv] *om. cet.* 371 simplex] simpliciter N γ(-As) sR et *add.* V¹ δ(-R) π iustitia] iustus F N V¹ δ π 400 mortali] naturali F δ π materiali N mortales *ante* homines F²

347 Matth. III[17] et XVII[5]. 349 Prophetis: e.g. Ier. I[13] et Zach. VI[1] sec. Thomam *De verit.* q. 12 a. 7. 367 I Petri V[8]. 371 Plato ut refert Albertus *I Post. anal.* tr. 2 c. 9; cf. Anaritius *In X lib. priores Element. Euclid.* interprete Gerardo Cremon. (ed. Curtze, Lipsiae 1899, p. 6) et ipse Plato *Parmenides* 137 E. Hanc vero sententiam iam profert ad verbum Philippus Cancellarius *Summa de bono* (ms. Vat. lat. 7669, f. 21ra). 379 Ps. XI[3]. 395 II Cor. VI[16]. 401 sub terra: cf. Thomas *Super IV Sent.* d. 44 q. 3 a. 2 qc. 3. 404 nec in caelestibus corporibus: sec. Avicen. *IX Metaph.* cap. 6 (f. 106ra) ut refert Thomas *De verit.* q. 5 a. 4. 412 dictum est: lin. 383.

[8] Dixitque Dominus ad eum: Numquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis in terra? Homo simplex et rectus ac timens Deum et recedens a malo. [9] Cui respondens Satan ait: Numquid frustra Iob timet Deum?

satis aperte ostenditur per hoc quod Dominus Iob, quamvis in terra habitantem, a terra segregare videtur. Nam cum Satan dixisset *Circuivi terram et perambulavi eam*, subiungitur *Dixitque Dominus ad eum: Numquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis in terra?* Frustra enim quaesitum videretur an Iob considerasset qui terram circuisse et perambulasse se asserebat, nisi servum suum Iob praeter terram esse intelligeret. Et manifeste ostendit in quo a terra segregetur in hoc quod dicit *servum meum Iob*. Homo enim quasi medius constitutus est inter Deum et res terrenas, nam mente inhaeret Deo carne autem rebus terrenis coniungitur; omne autem medium duorum eo magis ab uno extremo recedit quo magis alteri appropinquat: homo igitur quanto magis Deo inhaeret tanto remotior est a terra; hoc autem est servum Dei esse quod mente Deo inhaerere, nam servus est qui non sui causa est. Ille autem qui mente Deo inhaeret se ipsum in Deum ordinat, quasi servus amoris non timoris.

Et notandum est quod affectiones terrenae aliquo modo a remotis imitantur spirituales affectus quibus mens Deo coniungitur, sed ad eorum similitudinem nullo modo pervenire possunt: nam et amor terrenus ab amore Dei deficit, et per consequens omnis affectio, nam cuiuslibet affectionis est amor principium. Unde convenienter postquam dixerat *Numquid considerasti servum meum Iob*, subditur *quod non sit similis ei in terra?*, quia nihil in terrenis spiritualibus aequari potest. Quamvis et possit aliter intelligi: nam in unoquoque sancto est aliqua virtutis praeminentia quantum ad aliquem specialem usum, propter quod de singulis confessorum in Ecclesia canitur « Non est inventus similis illi qui conservaret legem Excelsi », nisi quod in Christo omnia secundum perfectissimam excellentiam fuerunt; et secundum hunc modum intelligi potest quod nullus in terra habitantium similis erat Iob, inquantum Iob praeminebat quantum ad aliquem usum virtutis. In quo autem Iob fuerit servus Dei et nullus ei similis in terra, ostendit cum subdit *Homo simplex et rectus ac timens Deum et recedens a malo*, quae quia supra exposita sunt ad praesens dimittantur.

Considerandum autem quod Deus iustorum vitam non solum ad eorum bonum ordinat sed aliis eam conspicuam reddit; sed conspicientes eam non similiter afficiuntur ad ipsam: nam boni eam pro exemplo habentes ex ipsa proficiunt, mali vero si non corriguntur ut eius exemplo boni fiant, ex sanctorum vita inspecta deficiunt dum vel per invidiam torquentur vel falsis iudiciis eam pervertere conantur, secundum illud Apostoli Cor. II « Christi odor bonus sumus Deo, et in his qui salvi fiunt et in his qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitae in vitam ». Sic igitur Deus sanctorum vitam non solum ab electis considerari vult ad profectum salutis sed etiam ab iniquis ad cumulum damnationis, quia ex vita sanctorum condemnabilis ostenditur perversitas impiorum, secundum illud quod dicitur Sap. IV[16] « Condemnat iustus mortuus vivos impios ». Et ideo Dominus ad Satan dicit *Numquid considerasti servum meum Iob* etc., quasi dicat: terram quidem circuis et perambulas, sed servum meum Iob solum considerare potes et eius virtutem mirari.

Solet autem perversorum hominum, quorum princeps est Satan et eorum hic personam gerit, talis esse consuetudo ut, sanctorum vitam quia reprehendere non possunt, non ex recta intentione eos agere calumnientur, secundum illud Eccli. XI[33] « Bona in mala convertens insidiatur et in electis imponet maculam ». Et hoc apparet ex hoc quod subditur *Cui respondens Satan ait: Numquid frustra Iob timet Deum?*, quasi dicat: negare non possum quin bona faciat, sed hoc non agit ex recta intentione propter tuum amorem et honestatis, sed propter temporalia quae a te consecutus est. Et ideo dicit *Numquid frustra Iob timet Deum?*, illud enim frustra facere dicimur ex quo id quod intendimus assequi non possumus; Iob autem tibi servit propter temporalia quae a te assecutus est, unde non est frustra quod tibi serviendo te timet.

Et quod temporalem prosperitatem consecutus sit

421 suum] *om.* F meum V^2 illum (*ante* servum R) δ π 422 manifeste] maxime F β^1 δ π 436 eorum *scrips. cum* γ δ^1 π] earum *cet.* 442 similis ei *inv.* V^2 γ(-As) Pd π (*cf. supra lin.* 419) 445 specialem *scrips. cum* sN γ δ^1 π] spiritualem *cet.* 460 reddit] reddat F N 464 vel *om.* F V^1 γ 490 honestatis] —tatem γ δ^1 π amorem *add.* Va (*def.* β^1) 495 assecutus] consecutus γ(-F^3) δ(-R) π

431 servus: cf. Thomas *II-II* q. 19 a. 4 ex Arist. *I Metaph.* 3 (982 b 26). 447 Graduale missae 'Statuit' conf. pont. in Missali romano, ex Eccli. XLIV[20]. 456 supra: vers. 1. 466 II Cor. II[15].

10 Nonne tu vallasti eum ac domum eius et universam substantiam eius per circuitum? Operibus manuum eius benedixisti et possessio eius crevit in terra. 11 Sed extende paululum manum tuam et tange cuncta quae possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. 12 Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce universa quae habet in manu tua sunt, tantum in eum ne extendas manum tuam.

ostendit quantum ad duo. Primo quantum ad immunitatem malorum, quia scilicet praeservatus erat a Deo ab omni adversitate, et hoc est quod dicit *Nonne tu vallasti*, idest protexisti sicut protegit vallum aut murus, *eum*, quantum ad suam personam, *ac domum eius*, quantum ad prolem et familiam, *et universam substantiam eius*, quantum ad possessiones; et addit *per circuitum*, ut perfecta immunitas ostendatur, quia illud quod per circuitum vallatur ex nulla parte potest pati insultum. Secundo ostendit eius prosperitatem quantum ad multiplicationem bonorum, et hoc est quod dicit *Operibus manuum eius benedixisti*. Et quidem cum Deus dicendo omnia faciat, benedicere Dei est bonitatem rebus dare: tunc ergo Deus operibus alicuius benedicit quando ea ad bonum perducit ut finem debitum consequantur. Et quia quaedam bona homini proveniunt absque suo opere et intentione, propter hoc addit *et possessio eius crevit in terra*. Sic igitur Satan calumniatur facta beati Iob quasi ea ex intentione ageret bonitatis terrenae; unde manifestum est quod bona quae agimus non referuntur ad prosperitatem terrenam quasi ad praemium, alias non esset perversa intentio si quis propter prosperitatem temporalem Deo serviret; et similiter e contrario adversitas temporalis non est propria poena peccatorum, de quo fere in toto libro quaestio erit.

Vult autem ostendere Satan quod propter prosperitatem terrenam quam consecutus erat Iob Deo servierat per oppositum: si enim cessante prosperitate terrena Iob Deum timere desineret, manifestum fieret quod propter prosperitatem terrenam qua fruebatur Deum timebat; et ideo subdit *Sed extende paululum manum tuam et tange cuncta quae possidet*, scilicet ea auferendo, *nisi in faciem benedixerit tibi*, idest manifeste maledixerit, supple 'male mihi accidat'. Et notandum quod ex magna adversitate etiam vere iustorum interdum corda commoventur, sed simulate iusti ex modica adversitate turbantur velut nullam virtutis radicem habentes. Vult ergo Satan innuere quod Iob non vere iustus erat sed simulate, et ideo dicit quod si etiam paululum adversitate tangatur murmuraret contra Deum, quod est Deum blasphemare. Et signanter dicit *nisi in faciem benedixerit tibi*, ut significet quia etiam in prosperitate in corde suo Deum quodammodo blasphemabat dum eius amori temporalia praeponebat, sed prosperitate sublata etiam in faciem blasphemaret, idest manifeste. Potest et aliter intelligi hoc quod dicit *nisi in faciem benedixerit tibi*, ut benedictio proprie sumatur et sit sensus: si tu paululum eum tangas prosperitatem terrenam auferendo, haec mihi accidant nisi manifestum fiat quod antea benedixerit tibi non in vero corde sed in facie, idest ad apparentiam hominum.

Et quia, sicut dictum est, Dominus sanctorum virtutem vult omnibus esse notam, et bonis et malis, placuit sibi ut sicut bona facta eius omnes conspexerant ita etiam recta eius intentio omnibus fieret manifesta: et ideo voluit Iob prosperitate terrena privare, ut eo in Dei timore perseverante manifestum fieret quod ex recta intentione et non propter temporalia Deum timebat. Sed sciendum est quod Deus malos punit et per bonos angelos et per malos, sed bonis numquam adversitatem inducit nisi per malos: et ideo super beatum Iob adversitatem non nisi per Satan induci voluit, et propter hoc subditur *Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce universa quae habet in manu tua sunt*, idest potestati tuae trado, *tantum in eum ne extendas manum tuam*. Ex quo manifeste datur intelligi quod iustis viris Satan non quantum vult sed quantum permittitur nocere potest. Considerandum etiam quod Dominus non praecepit Satan ut Iob offenderet sed solum ei potestatem dedit, quia « voluntas nocendi inest cuilibet malo ex se ipso sed potestas non nisi a Deo ».

Patet igitur ex praedictis hanc fuisse causam adversitatis beati Iob ut eius virtus omnibus fieret manifesta, unde et de Tobia dicitur quod « ideo Dominus ei tentationem evenire permisit ut posteris daretur exemplum patientiae eius sicut et sancti Iob ». Cavendum autem est ne credatur Dominum ex verbis Satan inductum esse ad permittendum Iob affligi, sed aeterna dispositione hoc ordinavit ad manifestandam virtutem Iob contra omnes calumnias

535 etiam] in F pN et V^1 F^3 *om.* sN 556 etiam] *om.* pN δ π et sN (*def.* $β^1$) 583 manifestandam] — dum β γ(-As) $δ^1$ π

553 dictum est: lin. 459. 572 *Glossa ordin.* super Gen. III^1 ex August. *XI De Gen. ad litt.* cap. 3 (PL 34,431). 577 Tob. II^{12}.

Egressusque est Satan a facie Domini. [13] Cum autem quadam die filii et filiae eius comederent et biberent vinum in domo fratris sui primogeniti, [14] nuntius venit ad Iob qui diceret: Boves arabant et asinae pascebantur iuxta eos, [15] et irruerunt Sabaei tuleruntque omnia et pueros percusserunt gladio, et evasi ego solus ut nuntiarem tibi. [16] Cumque adhuc ille loqueretur venit alter et dixit: Ignis Dei descendit de caelo,

impiorum: et ideo praemittitur calumnia et subsequitur divina permissio.

Egressusque est Satan a facie Domini etc. Posita causa adversitatis beati Iob, consequenter ostenditur qualiter ei huiusmodi adversitas supervenit. Et quia tota inducta est per Satan, ideo de ipso primo dicitur *Egressusque est Satan a facie Domini*, quasi ad utendum potestate sibi permissa. Et signanter dicitur quod *egressus est a facie Domini*, nam Satan secundum quod potestas ei permittitur nocendi alicui coram facie Domini est, quia ex rationabili Dei voluntate hoc accidit, sed dum exequitur permissam sibi potestatem a facie Domini exit, quia ab intentione permittentis recedit; quod in proposito apparet: permissum enim fuit ei a Deo ut posset nocere Iob ad manifestandam eius virtutem, sed Satan non propter hoc eum afflixit sed ut eum ad impatientiam et blasphemiam provocaret. Simul autem in hoc manifeste apparet verum esse quod supra diximus, Satan affuisse inter filios Dei coram eo assistentes secundum quod assistere dicuntur Deo aliqui prout divino iudicio et examini subduntur, non secundum quod assistere coram Deo dicuntur qui Deum vident: unde et hic non dicitur quod Satan abiecerit a facie sua Deum sed quod *egressus est a facie Domini*, quasi ab intentione providentiae eius recedens licet ordinem providentiae effugere non valens.

Considerandum est autem quod in adversitate enarranda ordo contrarius observatur ordini quo fuerat prosperitas enarrata. Nam in prosperitate enarrata a potioribus ad minora processit incipiens a persona ipsius Iob, et post hoc posuit prolem et deinde animalia, primo oves et deinceps alia: et hoc rationabiliter quia perpetuitas quae in persona salvari non potest quaeritur in prole, ad cuius sustentationem possessionibus indigetur. In adversitate autem proponitur e converso: nam primo narratur amissio substantiae, secundo oppressio prolis, tertio afflictio propriae personae, et hoc ad adversitatis augmentum, nam ille qui maiori adversitate oppressus est minorem non sentit, sed post minorem sentitur maior. Et ideo ut a singulis adversitatibus Iob propriam afflictionem sentiret et sic magis ad impatientiam commoveretur, incepit Satan a minori adversitate Iob affligere et paulatim processit ad maiora.

Considerandum est etiam quod ab his quae subito superveniunt hominis animus magis commovetur, nam praecogitata adversa facilius tolerantur; et ideo ut Iob magis commoveretur, in tempore maximae iocunditatis quando minus de adversitate cogitari poterat, ei Satan adversitatem induxit, ut etiam ex ipsa iocunditate praesenti adversitas gravior appareret: nam « contraria iuxta se posita magis elucescunt ». Et ideo dicitur *Cum autem quadam die filii et filiae eius comederent et biberent vinum*, quod specialiter ponitur ad iocunditatis indicium, secundum illud Eccli. XXXI[35] « Vinum in iocunditate creatum est, non in ebrietate, ab initio »; *in domo fratris sui primogeniti*, quod etiam ad maiorem solemnitatem ponitur: probabile enim est quod in domo primogeniti solemnius convivium celebraretur; *nuntius venit ad Iob qui diceret: Boves arabant*, ut ex memoria fructus damnum intolerabilius videretur; *et asinae pascebantur iuxta eos*, quod etiam ponitur ad augmentum doloris, dum consideraret quod eo tempore hostes supervenerunt quo plura simul possent rapere; *et irruerunt Sabaei*, hostes scilicet a remotis venientes, a quibus non de facili recuperari possent quae rapuissent; *tuleruntque omnia*, ne si aliqua reliquissent, ea saltem sufficerent ad necessarium usum et ad propaginem; *et pueros percusserunt gladio*, quod viro iusto gravius fuit; *et evasi ego solus ut nuntiarem tibi*, quasi dicat: ideo hoc divina dispositione evenit ut ego solus evaderem, ut tu posses habere nuntium tanti damni, quasi Deus te dolore affligere intendit.

Hac autem adversitate nuntiata statim altera nuntiatur, ne si aliquod intervallum fieret interim ad cor suum rediret et se ad patientiam praepararet, et sic sequentia facilius sustineret; et propter hoc subditur *Cumque adhuc ille loqueretur venit alter et dixit: Ignis Dei*, idest a Deo missus, *descen-*

590 quasi...Domini *hom. om.* F N 598 ei] *om.* γ(-As) Pd π *ante* fuit N V[1] As Va 608 Deum] dominus F deus δ[1] π domini V[2] scilicet domini Sv 620 proponitur] procedit γ proceditur δ[1] π procedere Va ponimus (?) F[2] 627 minori] —re N β(-F[2]) δ[1] π maiori Sv 649 consideraret] —rarent F pN V[2]

602 supra: lin. 281. 637 Arist. *III Rhet.* cap. 17 (1418 b 4) sec. transl. Hermanni Alemanni (ms. Paris B.N. lat. 16673, f. 145ra).

et tactas oves puerosque consumpsit, et effugi ego solus ut nuntiarem tibi. [17] Sed adhuc illo loquente venit alius et dixit: Chaldaei fecerunt tres turmas et invaserunt camelos et tulerunt eos necnon et pueros percusserunt gladio, et effugi ego solus ut nuntiarem tibi. [18] Adhuc loquebatur ille et ecce alius intravit et dixit: Filiis tuis et filiabus vescentibus et bibentibus vinum in domo fratris sui, [19] repente ventus vehemens irruit a regione deserti et concussit quatuor angulos domus, quae corruens oppressit liberos tuos et mortui sunt, et effugi ego solus ut nuntiarem tibi.

dit de caelo, ut quasi eius menti imprimeretur quod non solum ab hominibus sed etiam a Deo persecutionem pateretur, et sic facilius contra Deum provocaretur; *et tactas oves puerosque consumpsit*, quasi divinitus hoc procuratum sit ut statim ad tactum ignis omnia consumarentur, quod est supra naturalem virtutem ignis; *et effugi ego solus ut nuntiarem tibi*. Sequitur *Sed adhuc illo loquente venit alius et dixit: Chaldaei*, qui erant feroces et potentes; unde ad eorum potentiam ostendendam subditur *fecerunt tres turmas*, ut sic vindicta sperari non possit nec recuperatio damni; de quo damno subditur *et invaserunt camelos* etc. Sequitur de oppressione prolis: *Adhuc loquebatur ille et ecce alius intravit et dixit: Filiis tuis et filiabus vescentibus et bibentibus vinum in domo fratris sui*, ut ex hoc eorum mors tristior foret quo Iob poterat dubitare eos in statu alicuius peccati fuisse morte praeventos: nam et ipse propterea sanctificabat eos et holocausta per singulos offerebat quia timebat ne in conviviis aliquod peccatum incurrissent. Et ne forte posset credi quod paenituerint et animae suae providerint, subditur *repente ventus vehemens irruit a regione deserti et concussit quatuor angulos domus*, quod dicitur ad ostendendum vehementiam venti qui praeter consuetudinem totam domum simul subvertit, ut per hoc ostendatur ex divina voluntate processisse, et sic facilius contra Deum moveretur dum affligebatur ab eo cui devota mente servierat. Et ad maiorem doloris cumulum subditur damnum interemptae prolis, cum dicitur *quae corruens oppressit liberos tuos et mortui sunt*, scilicet omnes, ne saltem in aliquo evadente ex liberis posteritatis spes remaneret. Et hoc eo magis credebatur dolorosum quo liberis omnibus interemptis, aliquis famulorum evadere potuit ad concitandum dolorem, nam sequitur *et effugi ego solus ut nuntiarem tibi*.

Considerandum vero est quod cum omnis praedicta adversitas sit per Satan inducta, necesse est confiteri quod Deo permittente daemones possunt turbationem aeris inducere, ventos concitare, et facere ut ignis de caelo cadat. Quamvis enim materia corporalis non oboediat ad nutum angelis neque bonis neque malis ad susceptionem formarum sed soli creatori Deo, tamen ad motum localem natura corporea nata est spirituali naturae oboedire; cuius indicium in homine apparet, nam ad solum imperium voluntatis moventur membra ut opus a voluntate dispositum prosequantur. Quaecumque igitur solo motu locali fieri possunt, haec per naturalem virtutem non solum spiritus boni sed etiam mali facere possunt, nisi divinitus prohibeantur; venti autem et pluviae et aliae huiusmodi aeris perturbationes ex solo motu vaporum resolutorum ex terra et aqua fieri possunt, unde ad huiusmodi procuranda naturalis virtus daemonis sufficit: sed interdum ab hoc divina virtute prohibentur ut non liceat eis facere omne quod naturaliter possunt. Nec est contrarium quod dicitur Ier. XIV[22] « Numquid sunt in sculptilibus gentium qui pluant? »: aliud enim est naturali cursu pluere, quod solius Dei est qui causas naturales ad hoc ordinavit, aliud vero est causis naturalibus a Deo ad pluendum ordinatis interdum artificialiter uti ad pluviam, vel ventum interdum quasi extraordinarie producendum.

Tunc surrexit Iob etc. Enumerata adversitate beati Iob, agitur hic de patientia quam in adversitate monstravit. Sciendum autem est ad evidentiam eorum quae hic dicuntur quod circa corporalia bona et circa animi passiones antiquorum philosophorum diversa opinio fuit. Nam Stoici dixerunt bona exteriora nulla bona hominis esse, et quod pro eorum amissione nulla tristitia animo sapientis poterat inesse; Peripateticorum vero sententia fuit quod bona exteriora sunt quidem aliqua hominis bona, non

671 procuratum] procreatum F N β provocatum π 672 consumarentur *pro* consumerentur *ut habent* V¹ γ δ π (*cf.* Thesaurus ling. lat. *s.v.* consummo) 679 etc.] *om.* F γ et tulerunt eos necnon et pueros percusserunt gladio et effugi ego solus ut nuntiarem tibi *cum Vulg.* Pd π 682 sui] primogeniti *add. cum Vulg.* sV² δ(-R) π 730 interdum *om. solus* Va 731 producendum] —dam F N γ(-As)

710 ad susceptionem formarum: cf. Thomas *I Pars* q. 110 a. 2; ad motum localem: cf. ibid. a. 3. 736 antiquorum philosophorum: cf. August. *IX De civ. Dei* cap. 4 (PL 41,258) sec. Thomam *I-II* q. 59 a. 2.

[20] Tunc surrexit Iob et scidit tunicam suam, et tonso capite corruens in terram adoravit [21] et dixit: Nudus egressus sum de utero matris meae, nudus revertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit;

quidem principalia sed quasi instrumentaliter ordinata ad principale hominis bonum, quod est bonum mentis: et propter hoc sapientem in amissionibus exteriorum bonorum moderate tristari concedebant, ita scilicet quod per tristitiam ratio non absorberetur ut a rectitudine declinaret. Et haec sententia verior est et ecclesiasticae doctrinae concordat, ut patet per Augustinum in libro De civitate Dei.

Hanc igitur sententiam Iob secutus, tristitiam quidem in adversitate monstravit, tamen sic moderatam ut rationi subiecta esset, et ideo dicitur quod *Tunc surrexit Iob et scidit tunicam suam*, quod apud homines solet esse tristitiae indicium. Notandum vero est quod dicit *tunc*, scilicet post mortem filiorum auditam, ut de eis magis quam de amissione rerum doluisse videatur. De amicis enim mortuis non dolere duri et insensibilis cordis esse videtur, sed virtuosi est hunc dolorem non immoderatum habere, secundum illud Apostoli Thess. IV « Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini sicut et ceteri qui spem non habent »: et hoc in beato Iob fuit, unde et status mentis eius per actum exteriorem apparuit. Quia enim ratio erecta stetit, congruenter dicitur quod *Iob surrexit*, quamvis homines dolentes magis soleant prosterni; quia vero tristitiam patiebatur sed non penetrantem usque ad intima rationis perturbanda, in exterioribus tristitiae signum ostendit quantum ad duo, scilicet quantum ad ea quae sunt extra naturam corporis, unde dicitur *et scidit tunicam suam*, et quantum ad ea quae de natura corporis procedunt, unde dicitur *et tonso capite*, quod apud eos qui comam nutriunt solet esse doloris indicium. Unde haec duo signa tristitiae convenienter praemissis adversitatibus respondent, nam scissio tunicae respondet amissioni rerum, tonsio capitis amissioni filiorum. Tunc autem mens erecta stat quando humiliter Deo subicitur: unumquodque enim tanto in maiori nobilitatis altitudine consistit quanto magis suo perfectivo substat, sicut aer dum subditur luci et materia dum subditur formae; quod igitur mens beati Iob per tristitiam deiecta non erat sed in sua rectitudine persistens, manifestatur per hoc quod Deo se humiliter subdidit, nam sequitur *corruens in terram adoravit*, ad humilitatis et devotionis indicium demonstrandum.

Et non solum factis statum suae mentis declaravit sed etiam verbis; rationabiliter enim demonstravit, etsi tristitiam pateretur, se tristitiae non debere succumbere. Primo quidem ex condicione naturae, unde dicitur *et dixit: Nudus egressus sum de utero matris meae*, scilicet terrae quae est communis mater omnium, *nudus revertar illuc*, idest in terram; et secundum hunc modum dicitur Eccli. XL[1] « Occupatio magna creata est hominibus, et iugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae in matrem omnium ». Potest et aliter intelligi, ut quod dicitur *de utero matris meae* accipiatur ad litteram de utero mulieris quae genuit eum, quod autem dicitur *nudus revertar illuc* intelligitur quod haec dictio *illuc* facit simplicem relationem: non enim aliquis iterato in ventrem matris revertitur, sed revertitur in illum statum quem habuit in utero matris quantum ad aliquid, scilicet quantum ad hoc quod est alienum esse a conversatione humana. Hoc igitur dicens rationabiliter ostendit quod propter amissionem exteriorum bonorum non debet homo tristitia absorberi, quia exteriora bona non sunt ei connaturalia sed accidentaliter adveniunt, quod ex hoc patet quia homo sine eis in hunc mundum venit et sine eis recedit: unde accidentalibus bonis sublatis, si substantiale remaneat, non debet homo tristitia superari etsi eum tristitia tangat.

Secundo ostendit idem ex divina operatione dicens *Dominus dedit, Dominus abstulit:* ubi primo consideranda est vera eius sententia de providentia divina circa res humanas. In hoc enim quod dixit *Dominus dedit*, confessus est prosperitatem mundanam hominibus advenire non casualiter neque ex fato stellarum nec ex solo humano studio sed ex dispensatione divina; in hoc vero quod dicit *Dominus abstulit*, confitetur etiam adversitates mundanas in hominibus divinae providentiae iudicio provenire.

744 amissionibus] — one γ δ^1 π 752 quod *om.* N β 768 perturbanda *scripsi.*] — bande F N V^2 γ(-F^2) δ^1 π — bandus V^1 — bandum F^2 — bando F^2 *om.* Va 795 XL] 41 F xi N β δ^1 π 802 intelligitur] — gatur δ(-Pd) π 822 nec] neque β(-V^1) γ δ^1 π

749 Lib. XIV c. 9 (PL 41,413). 754 tristitiae indicium: cf. Gen. XXXVII[34], III Reg. XXI[27]. 760 I Thess. IV[13]. 774 doloris indicium: cf. Gregor. *II Moral.* cap. 16 (PL 75,570 A). 793 terrae: *Glossa interlin.* super h. l. ex Gregor. *II Moral.* cap. 17 (PL 75,570 C).

sicut Domino placuit ita factum est. Sit nomen Domini benedictum! [22] In omnibus his non peccavit Iob labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.

Hoc autem inducit quod non habet homo iustam querelam de Deo si temporalibus bonis spolietur, quia qui gratis dedit potuit vel usque ad finem vel ad tempus largiri: unde cum ante finem homini temporalia aufert, homo conqueri non potest.

Tertio ostendit idem ex beneplacito divinae voluntatis dicens *sicut Domino placuit ita factum est;* est autem amicorum idem velle et nolle: unde si ex beneplacito divino procedit quod aliquis bonis temporalibus spolietur, si Deum amat, debet voluntatem suam voluntati divinae conformare, ut hac consideratione tristitia non absorbeatur.

Hae igitur tres rationes debito ordine ponuntur: nam in prima ratione ponitur quod bona temporalia sunt homini extranea, in secunda quod a Deo homini dantur et auferuntur, in tertia quod hoc accidit secundum beneplacitum divinae voluntatis. Unde ex prima ratione concluditur quod homo propter amissionem temporalium bonorum non debet tristitia absorberi, ex secunda quod nec etiam potest conqueri, ex tertia quod etiam debet gaudere. Non enim esset placitum Deo quod aliquis adversitatem pateretur nisi propter aliquod inde proveniens bonum: unde adversitas, licet ipsa ex se amara sit et tristitiam generet, tamen ex consideratione utilitatis propter quam Deo placet debet esse iocunda, sicut et de apostolis dicitur « Ibant apostoli gaudentes » etc.; nam et de sumptione medicinae amarae aliquis ratione gaudet propter spem sanitatis licet sensu turbetur. Et quia gaudium est materia gratiarum actionis, ideo hanc tertiam rationem in gratiarum actionem concludit dicens *Sit nomen Domini benedictum!* Benedicitur quidem nomen Domini ab hominibus inquantum de eius bonitate notitiam habent, quod scilicet omnia bene dispenset et nihil agat iniuste.

Sic igitur concluditur innocentia Iob cum dicitur *In omnibus his non peccavit Iob labiis suis*, ut scilicet per verba impatientiae motum exprimeret, *neque stultum quid contra Deum locutus est*, idest blasphemum, ut scilicet de divina providentia blasphemaret: stultitia enim sapientiae opponitur quae proprie est cognitio divinorum.

860 dispenset] —sent F N —sat γ 865 blasphemum] —mium γ —miam δ^1 π —mia V^1 —me F^2

833 idem velle et nolle: Sallust. *Bellum Catil.* cap. 20; apud Thomam tamen e. g. *II-II* q. 29 a. 3 haec sententia Tullio tribuitur; cf. *Moralium dogma philos.* 22 (PL 171,1023 B). 852 Act. v^{41}. 868 cognitio divinorum: sec. August. *XIV De Trin.* cap. 1 (PL 42,1037) ut refert Thomas *II-II* q. 45 a. 1 arg. 2.

CAPITULUM II

[1] Factum est autem, cum quadam die venissent filii Dei et starent coram Domino, venisset quoque Satan inter eos et staret in conspectu eius, [2] ut diceret Dominus ad Satan: Unde venis? Qui respondens ait: Circuivi terram et perambulavi eam. [3] Et dixit Dominus ad Satan: Numquid considerasti servum meum Iob, quod non est illi similis in terra? Vir simplex et rectus et timens Deum ac recedens a malo, et adhuc retinens innocentiam. Tu autem commovisti me adversus eum ut affligerem illum frustra.

F *actum est autem, cum quadam die* etc. Cum triplex sit hominis bonum, scilicet animae, corporis et exteriorum rerum, hoc modo ad invicem ordinantur ut corpus sit propter animam, res vero exteriores et propter corpus et propter animam. Sicut igitur est perversa intentio si quis bona animae ordinet ad prosperitatem exteriorum bonorum, ita est perversa intentio si quis bona animae ordinet ad corporis salutem. Et quidem quod Iob in actibus virtutum abundaret, quae sunt animae bona, sensibiliter cunctis poterat esse manifestum, unde et Dominus ad Satan supra dixerat «Numquid considerasti servum meum Iob» etc. Sed Satan calumniam inferebat quasi Iob actibus virtutum intenderet propter temporalia bona, sicut et mali homines quorum Satan princeps est perniciose iudicant de intentione bonorum; sed haec calumnia repulsa erat per hoc quod post exteriorum bonorum amissionem adhuc in virtute stabilis permanebat, ex quo sufficienter ostensum est quod eius intentio non erat ad exteriora bona obliquata. Restabat igitur ostendere ad perfectam demonstrationem virtutis Iob quod nec etiam ad salutem proprii corporis incurvata erat eius intentio, et ideo rursus inducitur divinum iudicium quo hoc manifestatur: hoc est ergo quod dicitur *Factum est autem, cum quadam die venissent filii Dei et starent coram Domino, venisset quoque Satan inter eos et staret in conspectu eius, ut diceret Dominus ad Satan: Unde venis?* Quibus verbis quia supra exposita sunt diutius immorandum non est, nisi quod hoc notandum est quod propter aliud factum alia dies hic inducitur, sicut et in principio Genesis secundum diversa rerum genera quae instituebantur diversi dies describuntur. Quid autem Satan examinatus responderit ostenditur consequenter cum dicitur *Qui respondens ait: Circuivi terram et perambulavi eam.* Et hoc ut supra.

Et rursus Dominus virtutem Iob ei quasi conspicuam proponit ut supra, unde sequitur *Et dixit Dominus ad Satan: Numquid considerasti servum meum Iob, quod non est illi similis in terra? Vir simplex et rectus et timens Deum ac recedens a malo.* Sed quia iam quaedam virtus beati Iob manifestata erat quae prius manifesta non fuerat, scilicet constantia in adversis, ideo nunc addit *et adhuc*, scilicet post amissionem temporalium bonorum, *retinens innocentiam;* ex quo ulterius Dominus ostendit suspicionem Satan fuisse calumniosam et intentionem frustratam, unde sequitur *Tu autem commovisti me adversus eum ut affligerem illum frustra.* Ex hoc autem quod dicitur *commovisti me adversus eum*, non est intelligendum quod Deus ab aliquo provocetur ad volendum quod prius nolebat sicut est apud homines consuetum – dicitur enim Num. XXIII[19] «Non est Deus ut homo ut mentiatur, neque ut filius hominis ut mutetur» –, sed loquitur hic Scriptura de Deo figuraliter more humano: homines enim quando facere aliquid volunt propter aliquem ab illo commoveri dicuntur; Deus autem vult quidem facere, sicut et facit, hoc propter illud, tamen absque omni mentis commotione quia ab aeterno in mente habuit quid propter quod facturus esset. Disposuerat igitur Dominus ab aeterno Iob temporaliter affligere ad demonstrandam veritatem virtutis eius, ut omnis malignorum excluderetur calumnia, unde ad hoc significandum hic dicitur *Tu autem commovisti me adversus eum.*

21 obliquata] obligata F β δ(-Pd) 28 eos] *om.* F pN F[a] *lac.* V[a] (*def.* V[1]) 34 describuntur] distribuuntur F β distinguntur Va describunt Pd 41 est] sit *cum Vulg.* F[a] δ(-R) π(*def.* γ) illi] ei (*post* similis Va) F Va π *post* similis F[a] Pd (*def.* γ) 50 illum] eum F[a] γ Pd π eius R (*def.* N V[1])

1 triplex...bonum: sec. Arist. *I Ethic.* 12 (1098 b 12) ut refert Thomas *II-II* q. 152 a. 2. 12 Cap. 1[8] 30 supra: cap. 1 216. 37 supra: cap. 1 354. 39 supra: cap. 1[8].

4 Cui respondens Satan ait: Pellem pro pelle, et cuncta quae habet homo dabit pro anima sua; 5 alioquin mitte manum tuam et tange os eius et carnem, et tunc videbis quod in faciem benedixerit tibi. 6 Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce in manu tua, verum tamen animam illius serva. 7 Egressus igitur Satan a facie Domini percussit Iob ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem eius. 8 Qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio.

Quod autem dicitur *ut affligerem illum frustra*, intelligendum est quantum ad intentionem Satan non quantum ad intentionem Dei: expetierat enim Satan adversitatem Iob intendens ex hoc eum in impatientiam et blasphemiam deducere, quod consecutus non erat; Deus autem hoc permiserat ad declarandam virtutem eius, quod et factum erat: sic igitur frustra afflictus est Iob quantum ad intentionem Satan sed non quantum ad intentionem Dei.

Repulsus autem Satan non quiescit sed adhuc calumniam instruit, ostendere volens quod omnia bona quae Iob fecerat, et etiam hoc ipsum quod patienter adversa toleraverat, non pro amore Dei fecerat sed pro sui corporis salute, unde sequitur *Cui respondens Satan ait: Pellem pro pelle, et cuncta quae habet homo dabit pro anima sua.* Considerandum est autem quod Iob dupliciter afflictus fuerat, scilicet in amissione possessionum et in amissione natorum. Intendit igitur Satan dicere quod utramque afflictionem Iob patienter toleraverat pro corporis sui salute, et hoc non erat magnae virtutis sed erat humanum et apud homines consuetum; et hoc est quod dicit *homo*, quasi quicumque etiam non virtuosus, dabit de facili *pellem pro pelle*, idest carnem alienam pro carne sua: sustinet enim homo non virtuosus ut quicumque alii etiam quantumcumque coniuncti potius corpore affligantur quam ipse; et similiter homo quicumque dabit cuncta exteriora quae possidet *pro anima sua*, idest pro vita sua conservanda: exteriora enim bona ad conservationem vitae quaeruntur, ut sint in subsidium victus et vestitus et aliorum huiusmodi quibus vita hominis commode conservatur.

Et quia posset aliquis dicere ad Satan 'unde potest probari quod Iob amissionem natorum et possessionum patienter tulerit timens pelli suae et vitae suae?' quasi huic quaestioni respondens subdit *alioquin*, scilicet si verbo simplici non creditur, *mitte manum tuam*, idest exerce virtutem tuam, *et tange os eius et carnem*, idest affligas eum in corpore, non solum in superficie, quod posset significari per tactum carnis, sed etiam in profundum, quod significatur per tactum ossis, ut scilicet tactus usque ad intima perveniat; *et tunc videbis*, idest manifeste ab omnibus conspici poterit, *quod in faciem benedixerit tibi*, quod exponendum est ut supra.

Voluit igitur Dominus ostendere quod Iob Deo non servierat propter corporis salutem, sicut supra ostenderat quod ei <non> servivit propter exteriora bona, unde subditur *Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce in manu tua*, idest potestatem tibi trado eum in corpore affligendi, *verum tamen animam illius serva*, idest vitam ei ne auferas. Non enim totaliter Deus servos suos voluntati Satan exponit sed secundum mensuram convenientem, secundum illud Apostoli Cor. x «Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis».

Egressus igitur Satan etc. Accepta potestate Satan ad eius executionem procedit, unde dicitur *Egressus igitur Satan a facie Domini percussit Iob*, percussione quidem turpi et abominabili, unde dicitur *ulcere*, incurabili et doloroso, unde dicitur *pessimo*, et universali, unde dicitur *a planta pedis usque ad verticem eius.*

Solent autem aegrotantium afflictiones remediis exterius adhibitis et deliciis alleviari, sed Iob sic alleviatus non fuit, sequitur enim *Qui testa saniem radebat*, in quo ostenditur quod lenitiva medicamenta et delicata ei non adhibebantur; *sedens in sterquilinio*, ex quo ostenditur quod non recreabatur neque loci amoenitate neque stramentorum mollitie neque alicuius suavitatis odore, sed magis contrariis utebatur. Potest autem hoc dupliciter contigisse: vel quia percussus a Domino ipse etiam se magis sponte affligebat et humiliabat ut misericordiam facilius obtineret, vel quia cuncta quae habebat amiserat, unde non poterat sibi convenientia remedia exhibere; et hoc satis probabile est ex hoc quod supra Dominus dixit; nec videtur quod Satan citra potestatem sibi datam aliquid egerit ad nocendum.

Solent etiam afflictiones hominum verbis consolatoriis relevari, sed afflicto Iob verba exasperantia dicuntur, tanto magis provocantia quanto a perso-

67 illum] eum N F^2 γ Pd π 87 et] et quod N δ π 93 ipse] ipsi F pN β(-V^1) δ(-Pd) 115 < non > *suppl. cum* F^2 γ δ π] *om. cet.* 117 tua] est *add. cum Vulg.* sV^2 δ(-R) π sunt *add.* R 119 ne] non F F^2 γ δ^1 π

112 supra: cap. I 533. 114 supra: cap. I^{12}. 122 I Cor. x^{13}. 144 supra: cap. I^{12}.

[9] Dixit autem illi uxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua. Benedic Deo et morere. [10] Qui ait ad illam: Quasi una de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus? In omnibus his non peccavit Iob labiis suis. [11] Igitur audientes tres amici Iob omne malum quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites et Baldath Suites et Sophar Naamathites. Condixerant enim ut pariter venientes visitarent eum et consolarentur.

na magis coniuncta proferuntur, sequitur enim *Dixit autem illi uxor sua*, quam solam diabolus reliquerat ut per eam viri iusti mentem pulsaret qui per feminam primum hominem deiecerat. Haec autem primo in verba irrisionis prorumpit dicens *Adhuc tu permanes in simplicitate tua*, quasi dicat: saltem post tot flagella cognoscere debes quia inutile tibi fuit simplicitatem servare, sicut etiam ex quorundam persona dicitur Mal. III[14] « Vanus est qui servit Deo; et quod emolumentum quia custodivimus praecepta eius? ». Secundo procedit ad verba perversae suggestionis dicens *Benedic Deo*, idest 'maledic', quasi dicat: ex quo tibi benedicenti Deo adversitas supervenit, maledic Deo ut prosperitate potiaris. Ultimo concludit in verba desperationis dicens *et morere*, quasi dicat: pro mortuo te habe quia nihil tibi residuum est in simplicitate remanenti nisi ut moriaris. Vel aliter *Benedic Deo et morere*, idest ex quo post tantam Dei reverentiam sic adversitate afflictus es, si adhuc Deo benedicas nihil restat nisi ut mortem expectes.

Sanctus autem vir qui sua incommoda patienter tulerat, iniuriam Dei ferre non potuit, sequitur enim *Qui ait ad illam: Quasi una de stultis mulieribus locuta es*. Recte eam stultitiae arguit quae contra divinam sapientiam loquebatur. Quod autem stulte locuta fuerit ostendit dicens *Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus?*, in quo perfectam hominis sapientiam docet. Cum enim temporalia bona et corporalia non sint amanda nisi propter spiritualia et aeterna, istis salvatis quasi principalioribus, non debet homo deici si illis privetur nec elevari si eis abundet. Docet ergo nos Iob tantam animi constantiam habere ut et bonis temporalibus, si nobis a Deo dentur, sic utamur ut ex hoc in superbiam non elevemur, et contraria mala sic sustineamus ut ex eis noster animus non deiciatur, secundum illud Apostoli Phil. ult. « Scio humiliari, scio et abundare », et postea « Omnia possum in eo qui me confortat ». Deinde concluditur perseverans innocentia Iob cum dicitur *In omnibus his non peccavit Iob labiis suis*.

Non solum per uxorem diabolus mentem beati Iob exasperare nitebatur sed etiam per amicos, qui quamvis ad consolandum venerint tamen ad verba increpationis processerunt, de quibus dicitur *Igitur audientes tres amici Iob omne malum quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites et Baldath Suites et Sophar Naamathites*. Et quia inter hos fere vertitur tota disputatio huius libri, considerandum est quod hi tres in aliquo eiusdem opinionis erant cum Iob, unde amici eius dicuntur, et in aliquo ab eo differebant inter se invicem concordantes, unde sibi invicem connumerantur et a Iob discernuntur. Conveniebant siquidem cum Iob quod non solum res naturales sed etiam res humanae divinae providentiae subiacerent, sed differebant ab eo quod putabant hominem pro bonis quae agit remunerari a Deo prosperitate terrena, et pro malis quae agit puniri a Deo adversitate temporali, quasi temporalia bona sint praemia virtutum et temporalia mala sint propriae poenae peccatorum. Hanc autem opinionem quilibet eorum propriis modis defendere nititur, secundum quod sibi proprium ingenium suggerebat: propter quod dicuntur venisse *singuli de loco suo*. Iob autem huius opinionis non erat, sed credebat bona opera hominum ordinari ad remunerationem spiritualem futuram post hanc vitam, et similiter peccata futuris suppliciis esse punienda.

Quod autem praedicti amici Iob ad consolandum venerint, ostenditur ex hoc quod sequitur *Condixerant enim ut pariter venientes visitarent eum et consolarentur*, in quo veros amicos se ostenderunt in tribulationibus sibi non deficientes, dicitur enim Eccli. XII[9] « In tristitia et in malitia viri amicus agnitus est ». Et primo quidem ipsa visitatio consolativa erat: nam videre amicum et ei convivere delectabilissimum est. Consolantur etiam ipsum factis, compassionis suae ad eum signa ostendendo. Quibus

154 prorumpit *scripsi. cum* V^1 δ^1 π] irruit N prorupit *cet.* 177 sustineamus] suscipiamus pN V^2 su. As F^3 (*def.* F Sv) 190 innocentia] in *praem.* V^3 γ(-Sv) Va

152 per feminam: Gen. III[1]. 187 Phil. IV[12]. 188 Ibid. IV[13]. 227 videre...convivere: sec. Arist. *IX Ethic.* 13 (1171 a 35) et 14 (1171 b 32).

[12] Cumque elevassent procul oculos suos non cognoverunt eum, et exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in caelum. [13] Et sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus, et nemo loquebatur ei verbum; videbant enim dolorem esse vehementem.

compassionis signis praemittitur provocativum ad compassionem cum dicitur *Cumque elevassent procul oculos suos non cognoverunt eum:* erat enim immutata facies ex ulcere, et habitus et reliquus cultus ex rerum amissione; quod autem dicit *procul* intelligendum est secundum eam mensuram qua homo a remotis potest cognosci. Haec autem immutatio amici eos provocavit ad tristitiam et compassionem quam per signa ostenderunt, sequitur enim *et exclamantes*, scilicet prae magnitudine doloris, *ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum* in signum humilitatis et deiectionis, quasi se ex deiectione amici deiectos reputantes. Addit autem *in caelum*, ut quasi hac humiliatione caelestem misericordiam provocarent. Considerandum est autem quod amicorum compassio consolativa est, vel quia adversitas quasi onus quoddam levius fertur quando a pluribus portatur, vel magis quia omnis tristitia ex admixtione delectationis alleviatur: delectabilissimum autem est experimentum sumere de amicitia alicuius, quod maxime sumitur ex compassione in adversis, et ideo consolationem affert.

Non solum autem ex compassione ostensa eum consolabantur sed etiam ei societatem exhibendo, sequitur enim *Et sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus;* intelligendum tamen est non continue sed congruentibus horis, indigebat enim magna tristitia diuturna consolatione. Sed tertium quod maxime est consolatorium, scilicet verbum, non exhibebant, sequitur enim *et nemo loquebatur ei verbum.* Taciturnitatis autem causa ostenditur cum subditur *videbant enim dolorem esse vehementem,* quae causa magis redditur secundum consolantium opinionem quam secundum statum afflicti; cum enim mens alicuius fuerit dolore absorpta consolationis verba non recipit, unde et Poeta dicit « Quis matrem nisi mentis inops in funere nati flere vetat? »; Iob autem non sic erat dispositus ut prae tristitia consolationem recipere non posset, sed magis ipse secundum rationem consolabatur se ipsum, ut ex verbis eius supra inductis apparet.

239 prae] pro F β(-F²) As Pd π 269 non *om.* F pN

245 amicorum compassio: cf. Arist. *IX Ethic.* 13 (1171 a 28) ut refert Thomas *I-II* q. 38 a. 3. 266 Ovid. *Remedia amoris* 127. 271 supra: vers. 10.

CAPITULUM III

[1] Post haec autem aperuit Iob os suum et maledixit diei suo.

Post haec autem aperuit Iob os suum etc. Sicut supra dictum est, circa passiones animae duplex fuit antiquorum opinio: Stoici enim dixerunt tristitiam in sapientem non cadere, Peripatetici vero dixerunt sapientem quidem tristari sed in tristitiis secundum rationem moderate se habere, et haec opinio veritati concordat. Ratio enim condicionem naturae auferre non potest; est autem naturale sensibili naturae ut et convenientibus delectetur et gaudeat et de nocivis doleat et tristetur: hoc igitur ratio auferre non potest sed sic moderatur ut per tristitiam ratio a sua rectitudine non divertat. Concordat etiam haec opinio sacrae Scripturae, quae tristitiam in Christo ponit, in quo est omnis virtutis et sapientiae plenitudo.

Sic igitur Iob ex praenarratis adversitatibus tristitiam quidem sensit, alias patientiae virtus in eo locum non haberet, sed propter tristitiam ratio a rectitudine non declinavit quin potius tristitiae dominabatur. Ad hoc igitur ostendendum dicitur *Post haec aperuit Iob os suum.* Dicit autem *Post haec,* idest post septem taciturnitatis dies; ex quo manifestum fit quod verba quae sequuntur sunt secundum rationem prolata per tristitiam non perturbatam; si enim ex perturbatione mentis dicta fuissent, prius ea protulisset quando vis tristitiae vehementior erat: tristitia enim quaelibet longitudine temporis mitigatur et in principio magis sentitur; unde propter hoc tandiu tacuisse videtur ne perturbata mente loqui iudicaretur. Quod etiam ostenditur per hoc quod dicitur *aperuit os suum;* cum enim aliquis loquitur ex impetu passionis, non ipse aperit os suum sed agitur passione ad loquendum: non enim per passionem nostri actus domini sumus sed per solam rationem. Loquendo autem tristitiam quam patiebatur ostendit: consuetum est enim apud sapientes ut ex ratione loquantur passionum motus quos sentiunt, sicut et Christus dixit « Tristis est anima mea usque ad mortem », et Apostolus dicit Rom. VIII « Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum illud facio »; sic etiam et Boetius in principio De consolatione tristitiam aperuit ut ostenderet quomodò eam ratione mitigaret: sic et Iob loquendo tristitiam suam aperuit.

Unde sequitur *et maledixit diei suo,* quod videtur esse contra illud Apostoli Rom. XII[14] « Benedicite et nolite maledicere ». Sed sciendum est quod maledicere multipliciter dicitur: cum enim maledicere nihil aliud sit quam malum dicere, totiens dicitur maledicere quotiens contingit malum dicere. Contingit autem aliquem alicui malum dicere primo dictione causante malum, sicut divinum dicere est causa eorum quae dicuntur, et sententia iudicis aliquem condemnantis est causa poenae eius qui condemnatur; et per hunc modum intelligitur quod Dominus dixit Gen. III[17] « Maledicta terra in opere tuo », et Gen. X « Maledictus Chanaan, servus sit fratrum suorum »; et Iosue maledixit Achor qui de anathemate sustulerat. Secundo imprecando malum vel optando, sicut legitur in I Reg. quod « Philisthaeus maledixit David in viis suis ». Tertio contingit aliquem dicere malum simpliciter enuntiando vel in praesenti vel in praeterito vel in futuro, sive vere sive false. Prohibet igitur Apostolus maledicere tali maledictione qua quis imprecatur malum alicui vel eum falso diffamat, non autem eo modo quo iudex reum condemnat vel aliquis verax malum alicuius rei ordinate demonstrat, vel demonstrando praesens vel recitando praeteritum vel praenuntiando futurum. Sic igitur intelligendum est Iob suo diei maledixisse quia eum malum esse denuntiavit, non secundum suam naturam qua a Deo creatus est, sed secundum illam Scripturae consuetudinem qua tempus dicitur bonum vel malum secundum ea quae in tempore aguntur, secundum illud Apostoli Eph. V[16] «Redimentes tempus quoniam dies mali sunt»; maledixit igitur Iob diei suo inquantum mala sibi in ipso die accidisse commemorat.

9 et[1]] *om.* β^1 γ(-As) δ^1 π de Va 24 perturbatam] —bata β(-V^1) γ(-F^3) R turbatam Pd π 31 dicitur] dicit F β(-V^1) γ 61 viis] diis sN sV^1 V^2 Sv δ π 63 false] falso β γ(-F^2) δ π

2 supra: cap. I 736. 13 Matth. XXVI[38], Marc. XIV[34]. 27 tristitia: cf. Thomas *I-II* q. 42 a. 5. 38 Matth. XXVI[38]. 39 Rectius Rom. VII[15]. 42 PL 63,581. 57 Rectius Gen. IX[25]. 58 Ios. VII[25]. 60 I Reg. XVII[43]. 64 Rom. XII[14].

[2] Et locutus est: [3] Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est: conceptus est homo. [4] Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper,

Quomodo autem maledixerit subditur: *Et locutus est: Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est: conceptus est homo.* Sciendum est autem quod licet esse et vivere secundum se sit appetibile, tamen esse et vivere in miseria est fugiendum secundum quod huiusmodi, licet interdum esse in miseria libenter sustineatur propter aliquem finem; unde illa misera vita quae non ordinatur ad aliquem finem bonum nullo modo est eligenda, secundum quod Dominus dicit Matth. XXVI[24] «Melius erat ei si natus non fuisset homo ille». Bonum autem quod ex aliqua miseria expectatur sola ratio apprehendit, vis autem sensitiva non percipit, sicut amaritudinem medicinae gustus percipit sed sola ratio in fine sanitatis delectatur; si quis igitur passionem sui gustus vellet exprimere denuntiaret medicinam esse malam, quamvis ratio iudicaret eam esse bonam propter finem; sic igitur miseria quam beatus Iob sustinebat rationi quidem poterat videri quantum ad aliquid utilis esse, sed inferior pars animae quae ex ea tristitia afficiebatur adversitatem totaliter repudiabat, unde et ipsum vivere sub tali adversitate odiosum ei erat. Quando autem est nobis aliquid odiosum, omnia abominamur per quae in illud devenimus; et ideo Iob secundum inferiorem partem animae, cuius passionem nunc exprimere intendebat, et nativitatem et conceptionem suam ex quibus in hanc vitam devenerat odio habebat, et per consequens diem nativitatis et noctem conceptionis, secundum illum loquendi modum quo ex his quae in tempore aguntur aliquid ascribitur tempori bonum vel malum. Sic igitur Iob quia secundum partem sensibilem vitam sub adversitate repudiabat, volebat se numquam natum vel conceptum fuisse, et hoc est quod dicit *Pereat dies in qua natus sum*, ac si diceret 'numquam natus fuissem!' *et nox in qua dictum est*, idest vere dici potuit *conceptus est homo*, idest 'utinam numquam conceptus fuissem!' Et congrue ordinat, quia nativitate sublata conceptio non aufertur sed e converso; congruenter etiam conceptionem nocti ascribit et nativitatem diei, quia secundum astrologos nativitas diurna est laudabilior, principaliori sidere existente super terram, idest sole, conceptio autem nocturna est frequentior. Similis modus loquendi habetur Ier. XX[14]: «Maledicta dies in qua natus sum, dies in qua peperit me mater mea non sit benedicta».

Posita ergo maledictione diei nativitatis et noctis conceptionis, prosequitur singillatim de maledictione utriusque, et primo de maledictione diei nativitatis dicens *Dies ille vertatur in tenebras*. Considerandum autem est quod, sicut Hieronymus dicit in Prologo, «a verbis Iob in quibus ait 'Pereat dies in qua natus sum' usque ad eum locum ubi ante finem voluminis scriptum est 'Idcirco ipse me reprehendo', hexametri versus sunt, dactylo spondeoque currentes»; et sic patet quod liber iste exhinc per modum poematis conscriptus est, unde per totum hunc librum figuris et coloribus utitur quibus poetae uti consueverunt. Solent autem poetae, ut vehementius moveant, ad eandem sententiam diversa inducere, unde et hic Iob ad maledicendum diei suae secundum modum quem dicimus ea inducit quibus aliquis dies solet esse odiosus.

Dignitas autem diei est claritas eius, hac enim a nocte distinguitur; hanc igitur dignitatem excludit dicens *Dies ille vertatur in tenebras*, quae quidem sententia quantum ad superficiem litterae frivola videtur et vana. Dies enim nativitatis praeterierat et iam non erat; quod autem praeteriit immutabile est: quomodo igitur poterat dies qui praeterierat in tenebras verti? Sed sciendum est quod quaedam per modum optandi dicuntur ad exprimendum iudicium quod de aliqua re habetur; sic igitur nunc dicitur *Dies ille vertatur in tenebras* ac si diceretur: dies nativitatis meae debuisset esse tenebrosus ut congrueret tenebris miseriae quam patior. Quia enim aspectus luminis delectabilis est, secundum illud Eccl. XI[7] «Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem», consuetum est in Scripturis ut per tenebras tristitia significetur, secundum illud Eccl. V[16] «Comedit in tenebris et in curis multis et in aerumna atque tristitia».

Est autem aliquis dies clarus multipliciter: primo quidem ex Dei sanctificatione qui eum celebrem esse instituit, sicut habetur Exodi XX[8] «Memento ut diem sabbati sanctifices»; hanc igitur claritatem a praedicto die removet dicens *non requirat eum Deus de-*

97 rationi] —onem F pN —one sN Pd π ratio pR 129 ille] illa N β δ(-Pd) π 145 ille] illa N V² δ(*def.* Pd) π
149 qui] que sN β¹ γ δ² π 153 diceretur] diceret N β(-F²) δ¹ π 162 multipliciter] multum F V² Va tripliciter *in ras.* sN

82 appetibile...fugiendum: sec. Arist. *IX Ethic.* 11 (1170 a 20) ut refert Thomas *Super IV Sent.* d. 44 q. 3 a. 1 qc. 2 ad 3.
120 astrologos: e. g. Leopoldus *Compilatio de astrorum scientia* tr. 7 (ed. Venetiis 1520, f. J). 128 primo: cf. 'consequenter' lin. 214. 131 *Prol. in lib. Iob de hebr. transl.* (PL 28,1140). 141 dicimus: lin. 136.

et non sit in recordatione nec illustretur lumine; [5] obscurent eum tenebrae et umbra mortis, occupet eum caligo et involvatur amaritudine. [6] Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni nec numeretur in mensibus; [7] sit nox illa solitaria nec laude digna, [8] maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan.

super, quasi dicat: non exigat Deus ab hominibus ut hunc diem celebrem agant. Dies enim aliqui exiguntur a Deo ad celebritatem propter aliquod insigne beneficium in illa die hominibus collatum, sicut sabbatum in Veteri Lege propter beneficium creationis, et dies Paschae propter beneficium liberationis ex Aegypto; quod etiam manifestum est in diebus festis qui in Novo Testamento celebrantur. Vult ergo per hoc significare quod sua nativitas non debet computari inter insignia Dei beneficia, cum magis ad miseriam natus esse videatur quam ad laetitiam. Secundo aliquis dies clarus est ex hominum recordatione: solent enim homines aliquos dies celebres agere in quibus aliqua magna et iocunda eis contigerunt, sicut Herodes et Pharao diem nativitatis celebrabant; hanc igitur claritatem a praedicto die removet dicens *et non sit in recordatione*, scilicet hominum, quia videlicet non aliquid iocundum in illa die accidit sed magis triste ut ex eventu apparet. Tertio dies clarus est ex corporali lumine, quae quidem claritas multipliciter aufertur: primo quidem ex subtractione radiorum solis illuminantium terram, ut patet quando sol eclipsatur, et quantum ad hoc dicit *nec illustretur lumine;* secundo ex oppositione nubium vel aliquorum huiusmodi occultantium radios solis, et quantum ad hoc dicit *obscurent eum tenebrae;* tertio ex defectu visivae virtutis, cum enim aliquis moritur vel visu privatur, quantum ad eum claritas diei aufertur, et quantum ad hoc dicit *et umbra mortis.*

Modum autem obtenebrationis praemissae exponit dupliciter: primo quidem quantum ad ordinem in hoc quod dicit *occupet eum caligo:* tunc enim dies caligine occupatur quando diei prius splendenti subito et ex insperato tenebrae inducuntur, cuius simile in vita ipsius Iob apparet; secundo quantum ad genus tenebrarum in hoc quod dicit *et involvatur amaritudine*, per quod dat intelligere totum quod de obtenebratione dictum est ad tenebras tristitiae esse referendum: hunc enim morem observare videtur ut parabolicam locutionem ex aliquo subsequenti exponat. Per omnia igitur haec nihil aliud dicere intendit quam quod dies suae nativitatis non debet iudicari dies gaudii sed maeroris, cum per suam nativitatem ad vitam tantae adversitati subiectam devenerit.

Post maledictionem igitur diei suae nativitatis, consequenter maledicit noctem suae conceptionis secundum similem modum loquendi, et primo attribuit ei illud unde nox magis horribilis redditur. Cum enim nox propter tenebras secundum se ipsam horrida sit, quanto magis tenebrae noctis augmentantur tanto magis horrida redditur, quod contingit cum aliqua magna tempestas in nocte oboritur, et quantum ad hoc dicit *Noctem illam tenebrosus turbo possideat*, quasi diceret: congruum fuisset noctem illam tenebroso turbine possideri ut vitae meae congrueret, quae tanto adversitatis turbine involvitur.

Deinde removet ab ea illa quae pertinere videntur ad bonum noctis, et primo quantum ad opinionem hominum. Cum enim homines tempora distinguant secundum ea quae aguntur in tempore, in nocte autem pauca vel nulla fiant memoria digna, nox non notatur per se ipsam in hominum memoriis sed ex die coniuncta. Hoc igitur bonum a nocte praedicta removet dicens *non computetur in diebus anni nec numeretur in mensibus*, quasi dicat: nox illa non est memoria digna cum nihil insigne in ea acciderit sed magis aliquid dolorosum. Inter noctes autem quae in memoriis hominum aguntur, quaedam non solum memorabiles sunt sed etiam celebres et festivae in quibus homines ad aliqua festa agenda congregantur, et hoc removet dicens *sit nox illa solitaria.* Huiusmodi autem hominum congregatio in aliqua nocte fit in laude et celebritate illius noctis propter aliquod celebre factum quod in illa nocte recolitur, sicut apud fideles agitur in nocte dominicae Resurrectionis, et ideo subdit *nec laude digna:* est enim aliqua nox digna laude propter aliquod magnum factum in illa nocte contingens.

Ex hoc ergo nihil aliud intendit quam significare quod sua conceptio non fuit aliquid magnum nec ad bonum ordinata sed potius ad malum adversitatis quam sentiebat, unde subdit *maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan.* Quod quidem secundum litteram dupliciter potest

175 per] propter F N V^1 γ 204 dat] datur pN V^1 γ(-As) *om.* V^2 pPd 229 memoria] —rie F V^1 γ δ^1 π 234 memoria] —rie As Pd π 241 laude et celebritate] laudem et celebritatem γ δ π

171 beneficium creationis: Exod. XX^{11} sec. Thomam *II-II* q. 122 a. 4. 172 beneficium liberationis: Exod. XIII^3 sec. Thomam *I-II* q. 102 a. 2 arg. 1. 181 Herodes: cf. Matth. XIV^6; Pharao: cf. Gen. XL^{20}. 226 primo: cf. 'Deinde' lin. 277.

[9] Obtenebrentur stellae caligine eius, expectet lucem et non videat nec ortum surgentis aurorae, [10] quia non conclusit ostia ventris qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis. [11] Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii?

exponi: uno modo secundum quod per Leviathan intelligitur aliquis magnus piscis, prout videtur congruere his quae in fine huius libri de eo dicuntur: « An extrahere », inquit, « poteris Leviathan hamo? »; et secundum hoc intelligendum est quod illi qui huiusmodi magnos pisces piscantur de nocte eos invadunt in tenebris, et ideo quando dies incipit apparere maledicunt diei quia per hoc eorum opus et intentio impeditur. Alio modo potest intelligi ut per Leviathan significetur draco antiquus, scilicet diabolus, secundum illud Is. XXVII[1] « In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro et gravi et forti super Leviathan, serpentem tortuosum ». Illi ergo parati sunt suscitare Leviathan qui student ad suggestiones diaboli implendas operibus iniquitatis vacando, qui diei maledicunt quia, ut dicitur Ioh. IV, « Omnis qui male agit odit lucem », et infra XXIV[16] dicitur « Oculus adulteri observat caliginem », et postea « Si subito apparuerit aurora arbitratur umbram mortis ». Secundum hoc igitur, sicut per hoc quod dixerat « nec laude digna » vult praedictam noctem esse odiosam bonis, ita per hoc quod subdit *maledicant ei* etc. vult eam esse odiosam malis: nam adversitatem et boni et mali abhorrent.

Deinde excludit a praedicta nocte quae videntur ad bonum noctis pertinere secundum naturam, quorum unum est quod nox decoratur aspectu stellarum, et hoc removet dicens *Obtenebrentur stellae caligine eius;* aliud est quod decoratur ex spe diei, et hoc removet dicens *expectet lucem et non videat*, quasi dicat: quamvis naturale sit ut in nocte lux diei expectetur, illa tamen nox habeat tenebras infinitas quae numquam diurnae lucis successione terminentur. Noctis quidem tenebrae plena luce diei totaliter excluduntur, aurorae vero crepusculo diminuuntur; imprecatur autem praedictae nocti non solum ut eius tenebrae non excludantur per diem sed quod nec minuantur per auroram, unde dicit *nec ortum surgentis aurorae.*

Sed quia id quod dixerat impossibile videbatur, ut scilicet nocti non succederet dies nec aurora, ostendit ex quo sensu id dictum sit subdens *quia non conclusit ostia ventris qui portavit me.* Vita enim hominis in ventre matris abscondita est, unde tenebris noctis comparatur; cum autem per nativitatem in manifestum prodit, tunc clarae diei similitudinem habet; ideo ergo dixit quod nox illa <neque> diem neque auroram succedentem haberet, ut ostenderet se desiderare quod suus conceptus numquam venisset ad partum neque ad pueritiam, quae per auroram intelligitur, neque ad iuventutem, quae per plenam lucem diei designatur. Dicit autem *quia non conclusit ostia* etc., non quod ipsa nox concludat ventrem, idest impediat partum, sed quia in nocte hoc agitur: ex ipsa enim conceptione potest praestari impedimentum ne conceptus ad partum perveniat. Et quia hoc etiam videbatur irrationabile quod aliquis vitam abhorreret cum omnibus desiderabile sit esse et vivere, ostendit ex qua ratione id dixerit cum subdit *nec abstulit mala ab oculis meis*, quasi dicat: non ipsam vitam propter se abhorreo sed propter mala quae patior; etsi enim vita secundum se desiderabilis sit, non tamen vita miseriis subiecta. Ubi considerandum est quod omnia quae supra figurative locutus est hac finali clausula exposuisse videtur, quod etiam in aliis eius dictis advertendum est.

Quare non in vulva mortuus sum? Postquam diei nativitatis et nocti conceptionis suae maledixerat ut ostenderet initia suae vitae se abhorrere, nunc ostendit se abhorrere suam conservationem in vita, ut ex his manifestius ostendat quod vita eius est ei onerosa. Est autem duplex status vitae: unus occultus quo concepti vivunt in utero alius manifestus quo vivunt homines post nativitatem ex utero. Quantum ergo ad primum statum dicit *Quare non in vulva mortuus sum?*, quantum ad secundum *egressus ex utero non statim perii?*, et de hoc secundo primo prosequitur. Sciendum est autem quod exterior vita dupliciter tollitur: quandoque quidem ex aliquo nocumento supervenienti, vel intrinseco sicut est morbus, vel extrinseco sicut gladius aut aliquid huiusmodi, et ad hoc potest referri quod dixit *egressus ex utero non statim perii?;* quandoque vero ex subtractione necessarii subsidii, quod quidem est vel extrinsecum ut sunt vehicula, fomenta et alia huiusmodi adiumenta, et quantum ad hoc

271 arbitratur] — antur *Vulg.* arbi. γ δ^1 π 299 <neque> *suppl. cum* δ π] nec F^3 *om. cet.* 324 ostendat] — dit F N Sv R

256 Cap. XL[20]. 262 draco antiquus: Apoc. XII[9]. 268 Rectius Ioh. III[20]. 270 Cap. XXIV[17]. 272 Vers. 7.
315 miseriis subiecta: cf. supra lin. 82 nota. 331 primo: cf. 'consequenter' lin. 388.

[12] Quare exceptus genibus, aut lactatus uberibus? [13] Nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem [14] cum regibus et consulibus terrae qui aedificant sibi solitudines, [15] aut cum principibus qui possident aurum et replent domos suas argento. [16] Aut sicut abortivum absconditum non subsisterem, vel qui concepti non viderunt lucem. [17] Ibi impii cessaverunt a tumultu, et ibi fessi robore requieverunt. [18] Et quondam vincti pariter sine molestia, non exaudierunt vocem exactoris.

dicit *Quare exceptus genibus?*, vel intrinsecum sicut est cibus, et quantum ad hoc dicit *aut lactatus uberibus?*: his enim adminiculis indiget vita nati in sui primordio.

Et quia cum aliquis dicit 'quare hoc factum est?' dat intelligere hoc inutiliter esse factum, ideo consequenter ostendit inutile sibi fore se fuisse conservatum in vita, immo potius nocivum. Quod quidem ostendit primo quantum ad mala quae nunc patitur, dicens *Nunc enim dormiens silerem:* mortem quidem somnum dicit propter spem resurrectionis, de qua postmodum plenius loquetur; per silentium autem intelligit quietem ab adversitatibus quas patiebatur, quasi dicat: si statim post ortum mortuus fuissem, his malis quae patior non inquietarer. Secundo quantum ad bona quae primo habuerat; posset enim ei aliquis dicere 'si in vita conservatus non esses, non habuisses bona quae olim habuisti', sed quasi ad hoc respondens ostendit quod nec propter illa bona vitae conservatio sibi fuisset optanda: nam etiam illi qui in tota vita sua maximis prosperitatibus florent hoc fine concluduntur, scilicet mortis; hoc est ergo quod dicit *et somno meo*, idest morte, *requiescerem*, idest a vitae inquietudinibus immunis essem, *cum regibus et consulibus terrae*. Sciendum est autem quod eorum qui in dignitatibus constituti sunt, qui maxime prosperari videntur, intentio est vel ad voluptatibus fruendum, et quantum ad hos dicit *qui aedificant sibi solitudines*, ad litteram causa venationis vel aliarum voluptatum solitarii esse volentes; vel ad divitias congregandum, et quantum ad hos dicit *aut cum principibus qui possident aurum et replent domos suas argento*, quasi dicat: si statim mortuus essem post ortum, nihil nunc minus haberem quam habent illi post mortem qui in multis prosperantur. Considerandum est autem quod cum quiescere non sit nisi subsistentis, ex his verbis dat intelligere hominem secundum animam post mortem subsistere. Si autem aliquis obiciat quod huiusmodi reges aut principes de quibus loquitur forte non quiescunt sed sunt in poenis inferni, vel etiam quod ipsi Iob in hoc fuit utilis vita quod sibi meritum acquisivit, advertendum est quod, ut supra diximus, Iob nunc loquitur ex persona sensualis partis, exprimens eius affectum, quae non habet locum nisi ad corporalia et praesentia bona vel mala.

Sic igitur postquam ostendit sibi desiderandum non fuisse quod post ortum conservaretur, consequenter ostendit sibi desiderandum non fuisse quod conservatus in utero perveniret ad ortum, explicans quod supra dixerat « Quare non in vulva mortuus sum? ». Considerandum est autem quod in vulva aliqui moriuntur ante infusionem animae rationalis quae sola immortalis est, et quantum ad hoc dicit *Aut sicut abortivum absconditum non subsisterem:* ab huiusmodi enim abortivis fetibus nihil perpetuum remanet; aliqui vero moriuntur post infusionem <animae> rationalis, qui quidem post mortem subsistunt secundum animam sed lucem huius mundi non vident, et quantum ad hoc dicit *vel*, supple 'sicut', *qui concepti non viderunt lucem*, scilicet vitae praesentis. Et quod hoc sibi fuisset optandum ostendit per hoc quod non esset subiectus malis huius vitae, unde dicit *Ibi*, scilicet in statu quem habent qui concepti non viderunt lucem, *impii cessaverunt a tumultu*, scilicet quem aliis inferebant eos affligendo, quod refertur ad immunitatem a malo culpae; *et ibi*, scilicet in statu mortuorum, *fessi robore*, idest viri bellatores qui bella gerendo fatigati sunt, *requieverunt*, idest caruerunt huiusmodi labore quia, ut dictum est, non loquitur nunc nisi de quiete a malis praesentis vitae; potest etiam et intelligi de fatigatione in quocumque labore quem quis patitur sua fortitudine operando. *Et* illi qui fuerunt *quondam vincti* erunt ibi *pariter sine molestia*, idest sine priori angustia, pariter cum eis qui eos vinctos detinebant; et ibi homines oppressi angariis vel servitutibus *non exaudierunt vocem exactoris*, secundum illud quod dicitur Is. XIV[4] « Quomodo cessavit exactor, quievit

341 aut] cur *cum Vulg.* γ 385 quae] quod β Sv δ π qui As 390 explicans] quod *praem.* F vel *praem.* N pro explanans Va 397 <animae> *cf. Praef.* § 67] *om.* F pN V[2] F[3] *post* rationalis R 415 pariter] *om.* F R *del.* sN *ante* erunt δ(-R) π

351 postmodum: cap. XIV[13] et XIX[25]. 376 quiescere: cf. Arist. *VIII Phys.* 15 (261 b 12). 383 supra: lin. 103. 391 Vers. 11. 410 dictum est: lin. 383.

[19] Parvus et magnus ibi sunt, et servus liber a domino suo. [20] Quare data est misero lux, et vita his qui in amaritudine animae sunt? [21] Qui expectant mortem et non venit, quasi effodientes thesaurum, [22] gaudentque vehementer cum sepulcrum invenerint. [23] Viro cuius abscondita est via, et circumdedit eum Deus tenebris.

tributum ». Et quod hoc sit verum ostendit per hoc quod subdit *Parvus et magnus ibi sunt* pariter, quia parvitas et magnitudo est in hac vita secundum inaequalitatem prosperitatis terrenae, qua sublata remanent secundum naturam aequales; quod ergo dicit *Parvus et magnus*, intelligendum est: idest illi qui fuerunt in hac vita differentes secundum magnitudinem terrenae prosperitatis. Sciendum tamen est quod differentia magnitudinis et parvitatis secundum spiritualia bona remanet etiam ibi, sed de his nunc non loquitur, ut iam dictum est. Et ibi erit *servus liber a domino suo*, unde non habebit locum exactio aut aliquid huiusmodi.

Quare data est misero lux? Postquam Iob vitam propriam detestatus fuerat multipliciter, nunc detestatur communiter totius humani generis vitam, tam quantum ad eos qui in prosperitate sunt quam quantum ad eos qui in adversitate, de quibus primo prosequitur quasi a manifestiori incipiens. Sciendum est autem quod in viventibus duo videntur esse praecipua, scilicet vivere et cognoscere. Et quidem ipsum cognoscere quamvis delectabilissimum sit et nobilissimum, tamen cognoscere ea quae hominem affligunt poenosum est, et ideo dicit *Quare data est misero lux?*, quasi dicat: ad quid prodest homini miseriis subiecto quod lucem cognitionis habet, cum per eam consideret mala quibus affligitur? Vivere autem nobile est propter animam; quod si anima in amaritudine sit, ipsum vivere redditur amarum, et ideo dicit *et vita his qui in amaritudine animae sunt*, resume 'quare data?' Et quod inutiliter detur ostendit hac ratione quia contrarium eius desideratur a miseris, unde dicit *Qui*, scilicet in amaritudine existentes, *expectant mortem et non venit*, scilicet tam cito sicut optant. Et ut ostendat quod expectant mortem non horrentes sed desiderantes eam, subiungit *quasi effodientes thesaurum*, qui scilicet magno desiderio accenduntur ut fodiendo ad thesaurum perveniant. Et quia desiderium cum completur gaudium parit, subiungit *gaudentque vehementer cum sepulcrum invenerint*, idest cum vident se pervenire ad mortem per quam sepulcrum inveniunt. Quidam autem hoc referunt ad eos qui thesaurum effodiunt, qui gaudent sepulcro invento, quia in sepulcris antiquis consueverunt thesauri inveniri; sed prima expositio melior est.

Et quia posset aliquis dicere quod vita etsi inutiliter detur miseris, utiliter tamen datur his qui in prosperitate sunt, ad hoc removendum subdit *Viro cuius abscondita est via*, supple 'quare data est lux et vita?' Viri enim via abscondita est quia nescitur quo status praesentis prosperitatis perveniat, dicitur enim Prov. XIV[13] « Risus dolore miscebitur et extrema gaudii luctus occupat », et Ier. X[23] dicitur « Non est in homine via eius », Eccl. VII[1] « Quid necesse est homini maiora se quaerere cum ignoret quid conducat sibi in vita sua? Aut quis potest indicare quid post eum futurum sub sole sit? ». Quomodo autem sit via hominis abscondita exponit subdens *et circumdedit eum Deus tenebris*, quod quidem multipliciter manifestum est: quantum ad ea quae sunt ante et post, secundum illud Eccl. VIII[6] « Multa hominis afflictio quia ignorat praeterita et ventura nullo scire potest nuntio »; et quantum ad ea quae sunt iuxta, scilicet ad homines, secundum illud Cor. II « Quis scit quae sunt hominis nisi spiritus hominis qui in ipso est? »; et quantum ad ea quae sunt supra, secundum illud Tim. ult. « Lucem habitat inaccessibilem », scilicet Deus, « quem nullus hominum vidit sed nec videre potest », et in Psalmo dicitur quod « posuit tenebras latibulum suum »; et quantum ad ea quae sunt infra, dicitur enim Eccl. I[8] « Cunctae res difficiles, non potest homo eas explicare sermone ». Dicitur autem Deus hominem tenebris circumdedisse, quia Deus ei talem intellectum tribuit quod praedicta cognoscere non possit.

Ostenso igitur quod vita hominum difficilis est propter miseriam et amaritudinem hominum, haec quae communiter dixerat sibi adaptat, exprimens suam amaritudinem cum dicit *Antequam comedam suspiro;* sicut enim risus gaudii signum est, ita su-

421 pariter] scilicet *praem.* pN δ π supple *praem.* sN 450 detur] dentur F pN V^2 F^3 δ^1 π dantur γ(-F^3) 454 ostendat] —dant F pN As (*def.* F^3) 460 vident] viderint F^3 As δ viderunt π 466 etsi] si F β 471 quo] quod F primo N ad quid β 476 quis *scrips. cum Vulg. et* Va] quid F N β^1 (*def. cet.*) 477 sole *scrips. cum Vulg. et* β^1] se F N Va (*def. cet.*) 495 quod] qui F β

430 dictum est: lin. 383. 461 Quidam: Gregor. *V Moral.* cap. 6 (PL 75,684 D). 485 I Cor. II[11]. 487 I Tim. VI[16]. 490 Ps. XVII[12].

[24] Antequam comedam suspiro, et quasi inundantis aquae sic rugitus meus, [25] quia timor quem timebam evenit mihi, et quod verebar accidit. [26] Nonne dissimulavi? Nonne silui? Nonne quievi? Et venit super me indignatio.

spirium amaritudinis animae: ostendit igitur ex modo suspirii suae amaritudinis modum. Suspirium igitur eius et tempestive incipiebat, dicit enim *Antequam comedam suspiro*, et continuum erat et magnum, unde subdit *et quasi inundantis aquae sic rugitus meus;* sicut enim suspirium moderatae tristitiae signum est ita rugitus vehementis et quae vix tolerari potest. Hic autem rugitus aquae rugitui comparatur: aqua enim de facili movetur et murmuris sonum facit, sic et homo in magna afflictione constitutus ex levi memoria suae miseriae provocatur ad rugitum. Addit autem *inundantis aquae* ut ostendat suae amaritudinis continuitatem: aqua enim inundans continue movetur et sonum facit.

Sed quia animae amaritudo ex miseria nascitur, post amaritudinem animae de sua miseria subiungit dicens *quia timor quem timebam evenit mihi.* Et notandum est quod miseria hominis ad amaritudinem provocans in duobus consistere videtur: in damnis rerum vel personae et in dehonorationibus. Quantum ergo ad primum dicit *timor quem timebam evenit mihi*, idest ea quae timebam mihi provenerunt, ubi magnitudo damnorum et poenarum exprimitur: quanto enim aliquis prudentior est, tanto in statu prosperitatis magis recogitat quae in adversitatis tempore sibi accidere possunt, secundum illud Eccli. XI[27] «In die bonorum ne immemor sis malorum»; magnam igitur miseriam Iob prudentissimus patiebatur dum sibi quae timuerat evenerunt. Quantum autem ad secundum, scilicet ad dehonorationes, dicit *et quod verebar accidit:* est enim verecundia secundum Philosophum «timor inhonorationis»; per hoc igitur ostendit quod ex magna gloria in multa opprobria et dehonorationes acciderat.

Solet autem aliquis miseriam et amaritudinem pati sed ex propria culpa, sed hoc removet Iob dicens *Nonne dissimulavi?* Et sciendum est quod aliquis offendit unde poenam meretur a Deo dupliciter: uno modo quando ex iniuriis sibi illatis ultra modum provocatur ad vindictam, secundum quod dicitur in Psalmo «Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis», hoc autem a se removet dicens *Nonne dissimulavi?*, scilicet iniurias mihi factas; alio modo dum ipse alium primitus offendit vel verbis, et hoc removet dicens *Nonne silui?*, quasi dicat: nulli contumeliosa aut iniuriosa verba protuli; vel factis, et hoc removet a se dicens *Nonne quievi?*, «impii enim quasi mare fervens quod quiescere non potest» Is. LVII[20]. Et quamvis innocens sim tamen *venit super me indignatio*, idest poena a Deo – ira enim in Deo non accipitur pro commotione animi sed pro punitione –, in quo recognoscit adversitates huius mundi non absque divino nutu provenire.

Si quis igitur colligere velit quae in hac deploratione Iob dicta sunt, sciendum est tria in ea contineri: primo enim ostendit sibi suam vitam esse taediosam, secundo magnitudinem miseriae quam patiebatur, ibi «Antequam comedam» etc., tertio ostendit suam innocentiam cum dicit «Nonne dissimulavi» etc.

504 continuum] quod suspirium δ^1 π et[2] *om.* F pN δ^1 π 518 est *om.* γ(-Sv) δ π 533 ex] *om.* N R est F^2 ei γ(-Sv) ei in Sv 533 in] *om.* Sv ei δ^1 ei in sR 534 acciderat] – dant F^2 – derant Sv Pd π – derunt R inciderat β(-F^2) Va incidere F^2 548 fervens] fervent F N fluctuans V^1 fluens π 560 dicit] dixit F δ π

532 Arist. *IV Ethic.* 17 (1128 b 11) sec. Thomam *II-II* q. 144 a. 2 arg. 1. Translatio Lincolniensis habet tamen 'timor ingloriationis'. 541 Ps. VII[5]. 551 ira...punitione: cf. August. *XV De civ. Dei* cap. 25 (PL 41,472); ipse Thomas *I Pars* q. 19 a. 11; infra cap. 9 145 et 357, cap. 13 159. 557 primo: vers. 3. 559 Vers. 24. 560 Vers. 26.

CAPITULUM IV

[1] Respondens autem Eliphaz Themanites dixit: [2] Si coeperimus loqui tibi forsitan moleste accipies, sed conceptum sermonem tenere quis poterit? [3] Ecce docuisti multos et manus lassas roborasti. [4] Vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua trementia confortasti. [5] Nunc autem venit super te plaga et defecisti, tetigit te et conturbatus es.

Respondens autem Eliphaz Themanites etc. Amici Iob qui ad consolandum venerant, cum prius propter doloris magnitudinem tacuissent, post locutionem Iob audaciam sumpserunt loquendi. Et primo loquitur Eliphaz Themanites qui verba a Iob proposita non eo animo accepit quo erant dicta: nam odium praesentis vitae quod dixerat se pati desperationi imputabat, magnitudinem amaritudinis impatientiae, innocentiae confessionem praesumptioni.

Primo igitur arguit eius impatientiam, et incipit loqui ad eum quasi ad hominem impatientiae vitio subiacentem qui ex verbis sibi prolatis indignatur, unde dicit *Si coeperimus loqui tibi forsitan moleste accipies*, ubi satis impatientis et irati consuetudinem exprimit, qui non suffert audire verba usque ad finem sed statim in ipso verborum exordio provocatur. Addit autem *forsitan* ne de temerario iudicio condemnetur, quamvis etiam in praesumptionibus seu suspicionibus in meliorem partem dicta vel facta interpretanda sunt. Sed dum ipse Iob de impatientia arguit, se ipsum impatientiae et fatuitatis reum ostendit dicens *sed conceptum sermonem tenere quis poterit?*, secundum illud Eccli. XIX[12] «Sagitta infixa femori canis, sic verbum in corde stulti»; quamvis et iusti ex zelo divino interdum ea quae concipiunt ad honorem Dei dicenda tacere non possunt, secundum illud Ier. XX[9] «Dixi: Non recordabor eius», scilicet sermonis Domini, «neque loquar ultra in nomine illius; et factus est in corde meo quasi ignis exaestuans claususque in ossibus meis, et defeci ferre non sustinens».

Ulterius autem procedit ad manifeste eius impatientiam ostendendam. Exaggerat autem eius impatientiam ex duobus, scilicet ex praecedenti doctrina et ex praecedenti vita: ex praecedenti quidem doctrina quia turpe est homini cum non servat ad quod alios inducit, secundum illud Matth. XX «Dicunt enim et non faciunt»; Iob autem multos antea ab impatientia retraxerat, et diversimode secundum quod diversis congruebat. Sunt enim aliqui qui per impatientiam deficiunt ex ignorantia dum nesciunt adversis uti ad virtutem, et quantum ad hos dicit *Ecce docuisti multos;* quidam vero primo quidem in adversis virtuose agunt sed adversitate durante quasi recta actione fatigati deficiunt, et quantum ad hos dicit *et manus lassas roborasti*, scilicet bonis inductionibus; sunt etiam aliqui qui in adversis in dubitationem incidunt an ex divino iudicio proveniant, et quantum ad hos dicit *Vacillantes confirmaverunt sermones tui;* sunt etiam aliqui qui parvam quidem adversitatem sustinerent sed sub magna adversitate quasi sub magno pondere deficiunt, et quantum ad hos dicit *et genua trementia confortasti*, scilicet tuis sermonibus: tremunt enim genua homini magnum pondus portanti. Ad praedicta autem implenda exhortatur Dominus Is. XXXV[3] dicens «Confortate manus dissolutas et genua debilia roborate».

Vult autem consequenter ostendere quod ea quae docuerat non implevit, unde subditur *Nunc autem venit super te plaga et defecisti*, a firmitate scilicet mentis quam habere videbaris et quam aliis suggerebas, et hoc referendum est ad adversitatem quam passus fuerat in exterioribus rebus; *tegitit te et conturbatus es*, idest quietem mentis quam habuisse videbaris amisisti, quod referendum est ad afflictio-

2 consolandum] eum *add.* γ δ^1 π 23 poterit *scripsi. cum* sN Va] possit β^1 sV^2 potest Sv δ^1 π *lac.* pV^2 po. *cet.* 26 possunt] possint F As δ(-R) 36 ad] id ad F^2 δ^1 π illud ad Sv Va 42 dicit] —tur F β(-V^1) δ π

7 odium praesentis vitae: supra cap. III[8]; desperationi: infra cap. 5 285. 8 magnitúdinem amaritudinis: supra cap. III[24]; impatientiae: infra immediate. 9 innocentiae confessionem: supra cap. III[26]; praesumptioni: infra lin. 112. 19 in meliorem partem: cf. *Glossa ordin.* super Rom. XIV[3] et *Glossa* Petri Lomb. ibid. (PL 191,1512 D) ut refert Thomas *II-II* q. 60 a. 4 sed. c. 35 ex praecedenti vita: infra lin. 73. 37 Rectius Matth. XXIII[3].

[6] Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua et perfectio viarum tuarum? [7] Recordare, obsecro te, quis umquam innocens periit, aut quando recti deleti sunt? [8] Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem et seminant dolores et metunt eos, [9] flante Deo perisse et spiritu irae eius esse consumptos.

nem corporis quam sustinebat: unde et supra Satan dixerat «Mitte manum tuam et tange os eius et carnem». Sic igitur Iob arguitur quod praecedentem doctrinam subsequenti patientia non confirmaverit, contra id quod scriptum est Prov. XIX[11] «Doctrina viri per patientiam noscitur».

Sed et <ex> vita praeterita quae in Iob videbatur subsequentem impatientiam exaggerat; videtur enim non fuisse vera virtus quae tam cito in tribulatione defecit quia, sicut scriptum est Eccli. II[5], «In igne probabitur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis». Multiplici autem virtute aliquis in tribulationibus conservatur ne deficiat: primo quidem per reverentiam divinam, dum homines considerant mala quae patiuntur ex divina providentia provenire, sicut et Iob supra dixerat «Sicut Domino placuit ita factum est», et ad hoc excludendum inducit *Ubi est timor tuus?*, quo scilicet Deum revereri videbaris. Secundo aliqui conservantur animi firmitate, quae quidem duos gradus habet: in quibusdam enim tanta est animi firmitas ut eorum animus adversitatibus non nimium molestetur, et hoc ad fortitudinem pertinere videtur, unde dicit *Ubi est fortitudo tua?*, nec accipitur hic fortitudo secundum quod conservat hominem ne succumbat timori, sed ut non deiciatur per tristitiam; quidam vero gravem quidem tristitiae passionem ex adversitate patiuntur sed ab ea propter rationem bene dispositam non abducuntur, et hoc videtur ad patientiam pertinere, ut talis sit differentia inter patientiam et fortitudinem qualem assignant philosophi inter continentiam et castitatem, et ideo adiungit *patientia tua?* Tertio vero conservantur aliqui ex amore honestae actionis et ex eo quod horrent turpiter agere, qui etsi interius conturbentur in adversitatibus, tamen nec verbo nec facto in aliquid indecens prorumpunt, et propter hoc addit *et perfectio viarum tuarum?:* per vias enim actiones intelliguntur quibus quasi quibusdam viis pervenitur ad finem; vel per vias possunt intelligi excogitata consilia quibus aliquis se evadere confidit, unde adversitates facilius tolerat.

Recordare, obsecro te etc. Postquam Eliphaz arguerat Iob impatientiae occasione accepta ex eo quod dixerat «Antequam comedam suspiro», nunc intendit eum praesumptionis arguere eo quod se dixerat innocentem. Ad ostendendum autem eum non esse innocentem, ex eius adversitate argumentum assumit dicens *Recordare, obsecro te, quis umquam innocens periit, aut quando recti deleti sunt?* Ubi considerandum est hanc fuisse opinionem Eliphaz, et aliorum duorum, sicut supra dictum est, quod adversitates huius mundi non adveniunt alicui nisi in poenam peccati et e contrario prosperitates pro merito iustitiae; unde secundum eius opinionem inconveniens videbatur quod aliquis innocens temporaliter periret, aut quod aliquis rectus, idest iustus secundum virtutem, deleretur per amissionem gloriae temporalis, quam credebat praemium esse iustitiae. Et hanc quidem opinionem intantum veram esse credebat quod etiam Iob ab ea discordare non posset; aestimabat tamen quod perturbata mente ipsius, veritatem quam aliquando cognoverat quasi oblitus esset, unde dicit *Recordare.*

Posito ergo quod innocentibus et rectis adversitas non contingat, consequenter adiungit quibus adversitas contingat dicens *Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem et seminant dolores et metunt eos, flante Deo perisse et spiritu irae eius esse consumptos.* In hoc autem quod dicit *vidi* dat intelligere se ista per experimentum probasse; per eos autem *qui operantur iniquitatem* intelligit eos qui manifeste iniustitiam faciunt et praecipue in nocumentum aliorum; per eos autem qui *seminant dolores et metunt eos* intelligit eos qui per dolum aliis nocent: hi enim dolores seminant dum calumnias praeparant quibus alios dolentes reddant, quos quidem dolores metunt dum malitiam suam ad effectum perducunt, et hoc pro magno fructu habent. Quam quidem metaphoram ulterius prosequitur quantum ad poenam: consueverunt enim segetes vento urente siccari et consumi, unde dicitur Mal. III[11] «Increpabo pro vobis devorantem», scilicet ventum, «et non corrumpet fructum terrae vestrae», et hoc est quod

70 confirmaverit] —vit β —verat δ^1 π firmaverat γ 73 <ex> *suppl. (cf. supra lin. 35)*] *om. codd.* 76 defecit] deficit N V^1 δ *om.* π 77 probabitur] probatur sN β^1 γ δ π

68 Cap. II[5]. 83 Cap. I[31]. 91 fortitudo: cf. Arist. *III Ethic.* 18 (1117 a 29); Thomas *II-II* q. 136 a. 4 ad 2. 96 ad patientiam: cf. Arist. *IV Topic.* cap 5 (125 b 22) ut refert Thomas *I-II* q. 59 a. 2 arg. 1. 98 philosophi: Arist. *VII Ethic.* 9 (1152 a 1) sec. Thomam *Super III Sent.* d. 34 q. 1 a. 5. 111 Cap. III[20]. 118 supra: cap. 2 207.

[10] Rugitus leonis et vox leaenae et dentes catulorum leonum contriti sunt. [11] Tigris perit eo quod non haberet praedam, et catuli leonum dissipati sunt. [12] Porro ad me dictum est verbum absconditum, et quasi furtive suscepit auris mea venas susurrii eius.

dicit quod flante Deo pereunt, quasi ipsum divinum iudicium ad vindictam iniquitatis procedens flatus quidam venti sit; ipsa autem Dei vindicta dicitur spiritus, idest ventus, irae eius. Non solum autem dicit quod pereunt sed quod consumuntur, quia non solum in propriis personis puniuntur sed et eorum filii et familia tota perit ut nihil ex eis residuum videatur, in quo videbatur tangere Iob qui et in suo corpore flagellatus erat, et filios et familiam et opes amiserat.

Sed quia videbatur hoc esse contra opinionem Eliphaz quod pro peccato parentis filii et familia puniretur, cum ipse intendat hanc opinionem defendere quod adversitates in hoc mundo sunt poenae peccati, huic obiectioni respondens subiungit *Rugitus leonis et vox leaenae et dentes catulorum leonum contriti sunt.* Ubi primo considerandum occurrit quod homo ceteris animalibus praeminet ratione; cum igitur ratione praetermissa passiones brutales sequitur, efficitur similis bestiis, et illius bestiae nomen sibi competit cuius passionem imitatur, utpote qui subiacet concupiscentiae passionibus equo vel mulo comparatur, secundum illud Psalmi «Nolite fieri sicut equus et mulus quibus non est intellectus»; propter ferocitatem autem vel iram leo aut ursus nominatur, secundum illud Prov. XXVIII[15] «Leo rugiens et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem», et Ez. XIX[3] «Leo factus est et didicit capere praedam hominemque comedere»: sic igitur et nunc hominem ferocem leoni comparat dicens *Rugitus leonis*, rugitus enim est leoninae ferocitatis indicium. Contingit autem frequenter quod ferocitas viro additur ex suggestione uxoris, et sic ea quae vir ferociter agit uxori imputantur in culpam, sicut patet de uxore Herodis quae impulit eum ad decollandum Iohannem, propter quod dicitur *et vox leaenae.* His autem quae tyrannus aliquis ferociter acquirit eius filii luxuriose interdum utuntur, et sic in rapina patris delectantur: unde et ipsi a culpa immunes non sunt, propter quod subditur *et dentes catulorum leonum contriti sunt*, secundum illud Nah. II[12] «Et leo cepit sufficienter catulis suis». Et sic obiectioni praemissae respondisse videtur, quia cum pro peccato viri punitur uxor et filii non est iniustum, cum et ipsi culpae participes fuerint; quod totum dicebat volens Iob et eius familiam de rapina notabilem reddere.

Videbatur tamen hoc quod dixerat ad Iob non pertinere quia eius uxor punita non videbatur, et ideo ad hoc removendum subiungit *Tigris perit eo quod non haberet praedam:* hi enim qui rapere consueverunt in hoc ipsum puniri se aestimant quod eis rapere non licet. Considerandum est autem quod mulierem et leaenae comparat propter ferocitatem irae, et tigridi propter promptitudinem sive velocitatem ad iram, dicitur enim Eccli. XXV[23] «Non est ira super iram mulieris», et iterum «Brevis omnis malitia super malitiam mulieris». Et quia filii Iob totaliter perierant, subiungit *et catuli leonum dissipati sunt.*

Porro ad me dictum est verbum absconditum etc. Quia asseruerat Eliphaz quod adversitates in hoc mundo non adveniunt alicui nisi propter eius peccatum, volens ex hoc arguere Iob et eius familiam fuisse peccatis subiectam, cuius contrarium videbatur ex his quae manifeste in Iob et in eius familia apparuerant, vult ostendere quod nec Iob nec eius familia fuerit a peccato immunis. Et quia, propter auctoritatem Iob et famam ipsius, eius verbum invalidum videbatur, recurrit ad auctoritatem maiorem ostendens ea quae propositurus est se ex revelatione didicisse; et ad ostendendum altitudinem revelationis proponit eius obscuritatem: quanto enim aliqua sunt altiora tanto humano respectu sunt minus perceptibilia, unde et Apostolus dicit Cor. XII quod «raptus est in paradisum Dei et audivit arcana verba quae non licet homini loqui», iuxta quem modum et Eliphaz hic vel vere vel ficte loquitur dicens *Porro ad me dictum est verbum absconditum.*

Considerandum est autem quod aliqua veritas, quamvis propter sui altitudinem sit homini abscondita, revelatur tamen quibusdam manifeste, quibusdam vero occulte; ad effugiendam igitur notam iactantiae hanc veritatem abscondite dicit sibi esse revelatam, unde subdit *et quasi furtive suscepit auris mea venas susurrii eius*, ubi triplex modus occultationis innuitur qui solet in revelationibus contingere. Quorum primus est cum intelligibilis veritas alicui revelatur per imaginariam visionem, secundum

163 puniretur] —rentur β(-F²) Sv δ(-R) π 204 et *om.* N F² Sv δ π 224 respectu *scripsi. cum* pF N] sensu *cet.*

173 Ps. XXXI[9]. 185 de uxore Herodis: cf. Matth. XIV[3]. 207 Eccli. XXV[26]. 225 II Cor. XII[4].

[13] In horrore visionis nocturnae quando sopor solet occupare homines, [14] pavor tenuit me et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt. [15] Et cum spiritus me praesente transiret, inhorruerunt pili carnis meae. [16] Stetit quidam cuius non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis,

quod dicitur Num. XII[6] «Si quis fuerit inter vos propheta Domini, per somnium aut in visione loquar ad eum; at non talis servus meus Moyses: ore ad os loquar ei qui palam et non per aenigmata videt Deum»; Moyses igitur hoc verbum absconditum per modum clarae vocis audivit, alii vero per modum susurrii. Secundus modus occultationis est quia in ipsa imaginaria visione proferuntur quandoque aliqua verba expresse continentia veritatem, sicut est illud Is. VII[14] «Ecce virgo concipiet», quandoque vero sub quibusdam figuratis locutionibus, sicut est illud Is. XI[1] «Egredietur virga de radice Iesse et flos» etc.; in hoc igitur quod Isaias audivit «Ecce virgo concipiet» percepit ipsum susurrium, in hoc autem quod audivit «Egredietur virga de radice Iesse» percepit venas susurrii: nam figuratae locutiones sunt quasi quaedam venae ab ipsa veritate per similitudinem derivatae. Tertius modus est quod aliquando aliquis revelationem divinam frequentem et diutinam habet, sicut dicitur de Moyse Exodi XXXIII[11] quod «loquebatur Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum»; aliquando autem aliquis habet revelationem subitam et transitoriam: hunc igitur subitum revelationis modum significat in hoc quod dicit *quasi furtive*, nam ea quasi furtive audimus quae raptim et quasi pertranseundo ad nos perveniunt.

Sic igitur altitudine visionis ostensa, prosequitur de circumstantiis revelationis, et primo de tempore dicens *In horrore visionis nocturnae quando sopor solet occupare homines*. Tempus enim nocturnum propter quietem magis est congruum revelationibus percipiendis: in die enim a tumultibus hominum et occupationibus sensuum mens quendam strepitum patitur ut susurrium verbi absconditi percipere nequeat.

Secundo ex dispositione percipientis, unde subdit *pavor tenuit me:* homines enim ad insolita pavere consueverunt, unde quando alicui fiunt insolitae revelationes in principio timorem patiuntur. Et ad magnitudinem huius timoris ostendendam subiungit *et tremor:* est enim tremor corporis indicium magnitudinis timoris. Et ad magnificandum huiusmodi tremorem subiungit *et omnia ossa mea perterrita sunt*, quasi dicat: tremor non fuit superficialis sed vehemens, qui etiam ossa concuteret; simile est quod habetur Dan. X[8] «Vidi visionem hanc grandem et non remansit in me fortitudo, sed et species mea immutata est in me et emarcui nec habui in me quicquam virium». Causam autem huius timoris consequenter ostendit dicens *Et cum spiritus me praesente transiret, inhorruerunt pili carnis meae:* rationabile enim est quod ad praesentiam maioris virtutis minor obstupescat; manifestum est autem virtutem spiritus esse maiorem quam carnis, unde non est mirum si ad praesentiam spiritus carnis pili inhorrescunt – quod ex subito timore procedit –, et praesertim cum praesentia spiritus aliquo corporali indicio insolito sentitur: quae enim insolita sunt admirationem et timorem inducere solent. Et <ut> huic terrori quem se passum esse commemorat temporis dispositio conveniret, supra dixit «In horrore visionis nocturnae»: quia enim in tempore noctis res visu discerni non possunt, quaecumque modica commotio perturbationem inducere solet aestimantibus aliquid maius esse, et hoc est quod dicitur Sap. XVII[17] «Sive spiritus sibilans aut inter spissos ramos avium sonus suavis deficientes faciebat illos prae timore».

Tertio ponitur persona revelans cum dicitur *Stetit quidam cuius non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis*, ubi tria ponit ad visionis certitudinem pertinentia. Sciendum est enim quod aliquando propter nimiam commotionem fumositatum et humorum, vel omnino non apparent somnia, phantasmatibus totaliter suffocatis, aut apparent somnia perturbata et instabilia sicut in febricitantibus solent accidere, et huiusmodi somnia cum parum vel nihil spiritualitatis habeant omnino absque significatione existunt; cum autem humores et fumositates resederint apparent somnia quieta et ordinata, quae cum sint magis spiritualia, intellectiva parte in quendam vigorem erumpente, huiusmodi somnia solent esse veriora, et ideo dicit *Stetit quidam*, per quod stabilitatem visionis ostendit. Item considerandum est quod somnia etiam cum sunt quieta ple-

279 patiuntur] patitur γ Va 299 <ut> *suppl. cum* V² sAs] quod δ¹ π *om. cet.* 307 faciebat *scripsi. cum* δ(-R) π] —bant Sv facit sN R fa. *cet.* (*def.* F²) 316 solent] solet γ δ π

301 Vers. 13. 313 commotionem...: sec. Arist. *De insomn.* cap. 3 (461 a 15) ut refert Thomas *I Pars* q. 84 a. 8 ad 2.

et vocem quasi aurae lenis audivi: [17] Numquid homo Dei comparatione iustificabitur? Aut factore suo purior erit vir? [18] Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles,

rumque sunt reliquiae praecedentium cogitationum, unde homo frequentius in somno videt illos cum quibus consuevit conversari; et quia talia somnia causam habent ex nobis et non ab aliqua superiori natura, non sunt magnae significationis: ad hoc ergo removendum dicit *cuius non agnoscebam vultum*, per quod ostendit huiusmodi visionem non traxisse originem ex prius visis sed ex aliqua occultiori causa. Tertio considerandum est quod huiusmodi visa quae ex aliqua superiori causa oriuntur, quandoque apparent dormientibus quandoque autem vigilantibus, et veriora solent esse et certiora cum vigilantibus apparent quam cum dormientibus, eo quod in vigilando est ratio magis libera et quia in somno spirituales revelationes minus discerni possunt a somniis frivolis et consuetis; et ideo ut ostendat hanc revelationem non dormienti sed vigilanti factam esse, subiungit *imago coram oculis meis*, per quod significat se hoc vidisse cum oculis per vigiliam apertis, quod etiam supra significavit cum diceret «Quando sopor solet occupare homines», ubi innuit se sopore occupatum non fuisse.

Deinde modum denuntiationis sibi factae narrat dicens *et vocem quasi aurae lenis audivi*. Ubi considerandum est quod huiusmodi apparitiones aliquando fiunt a spiritu bono, aliquando a spiritu malo: utroque autem modo in principio timorem patitur homo propter insolitam visionem; sed cum a bono spiritu apparitio procedit, timor in consolationem finitur, sicut patet de angelo confortante Danielem, Dan. X[18], et de Gabriele confortante Zachariam et Mariam, Luc. 1; sed malus spiritus hominem perturbatum relinquit. Per hoc igitur quod dicit *vocem quasi aurae lenis audivi*, consolationem quandam sedantem pavorem praeteritum demonstrat, ut per hoc visio demonstretur esse a spiritu bono non a spiritu malo, a quo frequenter visiones mendaces ostenduntur, secundum illud Reg. ult. «Egrediar et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius»; per hunc etiam modum III Reg. legitur de apparitione facta Eliae quod «post commotionem tenuis aurae sibilus, et ibi Dominus». Sciendum tamen est quod etiam in visionibus quae a bono spiritu procedunt interdum commotiones magnae et voces horribiles audiuntur, ut patet Ez. 1[4] ubi dicitur «Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone», et post multa subditur «Et audiebam sonum alarum quasi sonum aquarum multarum», et Apoc. 1[10] dicitur «Audivi post me vocem magnam tamquam tubae», sed hoc est ad designandum comminationes aut aliqua gravia pericula quae in huiusmodi revelationibus continentur; sed quia hic aliquid consolatorium dicendum erat, ideo inducitur loquentis vox similis aurae leni.

Ultimo autem ponuntur verba quae sibi asserit esse revelata cum dicit *Numquid homo Dei comparatione iustificabitur?*, quae quidem verba inducit ad confirmandum suam opinionem quam supra tetigerat, quod scilicet adversitates in hoc mundo non proveniant alicui nisi pro peccato. Ut igitur nullus posset se excusare quia adversa patitur per hoc quod se asserat a peccato immunem, inducit tres rationes, quarum prima sumitur ex comparatione ad Deum et est ducens ad impossibile: si enim homo absque culpa punitur a Deo, sequitur quod homo sit iustior Deo. Cum enim opus iustitiae sit reddere unicuique quod suum est, si Deus homini innocenti cui non debetur poena inferat poenam, homo autem qui a Deo patitur nulli homini absque culpa poenam intulerit – quod oportet dicere si innocens ponitur –, sequitur quod homo punitus a Deo sit iustior Deo, quod est hominem comparatione Dei iustificari, ut eum scilicet comparatione iustitiae ad Deum iustificari. Et quia forte alicui hoc non videretur inconveniens, ducit ad aliud apparentius inconveniens dicens *Aut factore suo purior erit vir?* Quaelibet enim res puritatem habet secundum quod in sua conservatur natura quam ex causis propriis habet; puritas igitur uniuscuiusque effectus a sua causa dependet, unde suam causam in puritate superare non potest: unde nec vir potest esse purior suo factore, scilicet Deo.

Secundam rationem ponit ex comparatione ad angelos, et est a maiori, cum dicit *Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem*, quae quidem sententia secundum doctrinam

327 in somno] in sompnio (*post* illos F) F Va *ante* frequentius N *post* videt F[2] *om.* Sv 341 somniis] sompnis pN β Va π 344 cum *om.* β(-F[2]) γ δ π 375 tamquam] quasi F γ 396 ponitur] positus N punitur β Sv δ π 398 ut...iustificari] ut deum Sv *hom.om.* δ(-sR) π 398 ut] aut sAs iustitiae] se F[2] sui sR 399 iustificari] —ficemus V[2] —ficaret sR rectificari *ante* ad pAs

326 reliquiae: cf. Arist. *De divin. per somn.* cap. 1 (463 a 23). 346 Vers. 13. 363 III Reg. XXII[22]. 365 III Reg. XIX[12]. 372 Ez. 1[24]. 383 supra: vers. 7. 392 quod suum est: sec. Ambros. *I De officiis* cap. 24 (PL 16,62 A).

et in angelis suis reperit pravitatem. [19] Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum:

catholicae fidei plana est: tenet enim fides catholica omnes angelos bonos fuisse creatos, quorum quidam per propriam culpam ceciderunt a rectitudinis statu, quidam vero ad maiorem gloriam pervenerunt. Quod autem angeli a statu rectitudinis ceciderunt mirum videtur propter duo, quorum unum pertinet ad vim contemplativam, aliud ad vim activam ipsorum. Ex vi enim contemplativa videbatur quod in angelis esse deberet stabilitas. Manifestum est enim quod causa mutabilitatis est potentia, causa immutabilitatis est actus: est enim de ratione potentiae quod se habeat ad esse et non esse, sed secundum quod magis perficitur ab actu firmius stat in uno, id vero quod secundum se actus est omnino immobile est. Sciendum est autem quod sicut materia comparatur ad formam ut potentia ad actum, ita voluntas ad bonum; id igitur quod est ipsum bonum, scilicet Deus, omnino immutabile est, ceterarum vero naturarum voluntates quae non sunt ipsum bonum comparantur ad ipsum ut potentia ad actum, unde quanto magis inhaerent ei tanto magis stabiliuntur in bono; et ideo cum angeli inter ceteras creaturas magis et propinquius Deo videantur inhaerere utpote ipsum subtilius contemplantes, stabiliores inter ceteras creaturas videntur, et tamen non fuerunt stabiles; unde multo minus inferiores creaturae, scilicet homines, quantumcumque Deo inhaerere videantur ipsum colendo, quod est ei servire, stabiles iudicari possunt. Ex vi vero activa videtur quod in angelis vel nihil vel minimum de pravitate esse possit: quanto enim regula propinquior est primae rectitudini minus habet de obliquitate; Deus autem in quo est prima rectitudo, sua providentia dirigens universa, inferiores creaturas per superiores disponit; unde in superioribus creaturis quae dicuntur angeli, quasi a Deo missi ad alia dirigenda, minimum videtur esse vel nihil de pravitate; unde cum in eis inventa sit pravitas, credendum est quod in quovis hominum quantumcumque magnus appareat pravitas possit inveniri. Cavendum autem est ne ex his verbis aliquis in errorem incidat Origenis qui etiam nunc quoscumque spiritus creatos instabiles asserit et posse ad pravitatem perduci; hoc enim aliqui per gratiam assecuti sunt ut immobiliter Deo inhaereant ipsum per essentiam videntes; et secundum hoc, etiam aliquibus hominibus, quamvis sint inferioris naturae quam angeli, per gratiam conceditur etiam in hac vita quod sint a pravitate peccati mortalis immunes.

Tertiam rationem ponit sumptam ex condicione humana cui coniungitur conclusio praecedentis rationis, unde etiam posset ex duobus una ratio formari, et hoc cum dicit *Quanto magis hi qui habitant domos luteas*. Est autem humana condicio talis quod ex terrena materia corpus eius compactum est, quod designat cum dicit *Quanto magis qui habitant domos luteas:* corpus enim humanum luteum dicitur quia ex terra et aqua, gravioribus elementis, abundantius constat, quod eius motus declarat, unde Gen. 1 dicitur quod «formavit Deus hominem de limo terrae»; hoc igitur luteum corpus domus animae dicitur quia anima humana quantum ad aliquid est in corpore sicut homo in domo vel sicut nauta in navi, inquantum scilicet est motor corporis. Fuerunt autem aliqui qui propter hoc dixerunt quod anima non unitur corpori nisi accidentaliter sicut homo vestimento aut nauta navi, sed ut hanc opinionem excluderet subdit *qui terrenum habent fundamentum*, per quod datur intelligi quod anima humana unitur corpori etiam ut forma materiae: dicitur enim materia fundamentum formae eo quod est prima pars in generatione sicut fundamentum in constitutione domus. Utitur autem tali modo loquendi, ut id quod est animae attribuat homini, non ideo quod anima sit homo, ut quidam posuerunt dicentes hominem nihil aliud esse quam animam indutam corpore, sed quia anima est principalior pars hominis: unumquodque autem consuevit appellari id quod est in eo principalius. Haec autem duo quae de hominis infirmitate dicit videntur contraponi his quae supra de angelorum excellentia dixerat: nam hoc quod dicit *qui habitant domos luteas* videtur ponere contra id quod dixerat «Qui serviunt ei», quod est inhaerere ei et in ipso spiritualiter habitare;

440 possunt] non *praem. codd. et delevimus* 463 duobus] duabus γ(-F²) δ π 467 qui] hii qui γ δ(-R) π

412 fides catholica: *I Decretal.* tit. 1 c. 1 (ed. Friedberg II,5); cf. supra cap. 1 241 et infra cap. 40 226. 453 *I Peri Archon* cap. 6 (PG 11,169 C); cf. August. *XXI De civ. Dei* cap. 17 (PL 41,731) ut refert Thomas *De verit.* q. 24 a. 10 et *De malo* q. 16 a. 5. 455 aliqui: scil. angeli et beati sec. Thomam *De verit.* q. 24 a. 8. 459 in hac vita: scil. Beata Virgo et Apostoli sec. Thomam ibid. a. 9 sed c. 470 quod eius motus declarat: cf. ipse Thomas *Super II Sent.* d. 1 q. 2 a. 5 ad 4. 471 Rectius Gen. II⁷. 476 aliqui: quorum Plato sec. Nemesium *De nat. hom.* cap. 3 (PG 40,593 B; transl. Burgund. ed. Burkhard p. [47]) ut refert Thomas *Super III Sent.* d. 22 q. 1 a. 1 et *De spir. creat.* a. 2, ubi etiam allegatur Arist. *II De anima* 2 (413 a 9). 486 quidam: cf. nota praec. 489 id...principalius: cf. Arist. *II De anima* 9 (416 b 23) sec. Thomam *I Pars* q. 115 a. 2. 494 Vers. 18.

consumentur velut a tinea, [20] de mane usque ad vesperam succidentur. Et quia nullus intelligit, in aeternum peribunt; [21] qui autem reliqui fuerint auferentur ex eis, morientur et non in sapientia.

Cap. V [1] Voca ergo si est qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere.

quod vero dicit *qui terrenum habent fundamentum*, ei quod dixerat «In angelis suis»: angeli enim natura incorporei sunt, secundum illud Psalmi «Qui facit angelos suos spiritus».

Ex praemissa autem hominis condicione miserabilem eius eventum concludit dicens *consumentur velut a tinea*, et quidem potest hoc secundum superficiem litterae de morte corporali intelligi quam homo necessario patitur ex eo quod terrenum habet fundamentum; et secundum hoc potest designari duplex mors, scilicet naturalis in hoc quod dicit *consumentur velut a tinea:* tinea enim sic vestimentum corrodit quod ex vestimento nascitur, ita et mors naturalis ex causis interioribus corporis exoritur; et mors violenta in hoc quod subditur *de mane usque ad vesperam succidentur:* succisio enim arboris ex causa exteriori procedit. Et satis signanter dicit *de mane usque ad vesperam*, quia mors naturalis potest quidem per aliqua naturalia signa praecognosci, sed mors violenta omnino incerta est utpote diversis casibus subiecta, unde non potest sciri si homo de mane perveniat usque ad vesperum. Sciendum tamen quod hoc non est intentio litterae: nam supra proposuit de defectu peccati cum diceret «In angelis suis reperit pravitatem»; unde ut conclusio praemissis respondeat oportet hoc etiam ad peccatum referre, per quod vita iustitiae in homine consumitur dupliciter: uno modo ex interiori corruptione, quod significat cum dicit *consumentur velut a tinea;* sicut enim vestimentum consumitur a tinea quae ex eo nascitur, ita iustitia hominis consumitur ex his quae in homine sunt sicut est corruptio fomitis, malae cogitationes et alia huiusmodi; alio modo ex exteriori tentatione, quod notatur in hoc quod dicit *de mane usque ad vesperam succidentur*. Sed considerandum est quod interior tentatio non subito hominem prosternit sed paulatim, dum per negligentiam aliquis in se ipso peccati initia reprimere non curat, secundum illud Eccli. «Qui minima negligit paulatim defluit», sicut etiam vestimentum quod non excutitur, a tinea consumitur; exterior vero tentatio hominem plerumque subito prosternit, sicut David ad aspectum mulieris in adulterium prorupit et etiam multi in tormentis fidem negaverunt.

Quocumque autem modo homo per peccatum ruat, si peccatum suum recognoscat et paeniteat misericordiam consequetur; sed quia nullus est qui omnia peccata possit cognoscere, secundum illud «Delicta quis intelligit?», sequitur quod plurimi hominum peccata non cognoscentes eis remedia non adhibent per quae liberentur, et hoc est quod subdit *Et quia nullus intelligit*, scilicet lapsus peccatorum, *in aeternum peribunt*, scilicet plurimi quasi a peccato numquam liberati. Sed quia aliqui sunt qui contra peccata remedia adhibent licet ea non plene intelligant, sicut David qui dicebat «Ab occultis meis munda me, Domine», subiungit *qui autem reliqui fuerint*, scilicet de numero eorum qui in aeternum pereunt, *auferentur ex eis*, idest segregabuntur ex eorum consortio; *morientur* quidem quia quamvis homo a peccato paeniteat a mortis tamen necessitate non liberatur, sed sapientia in eis non moritur, et hoc est quod dicit *et non in sapientia*. Vel hoc quod dicit *morientur et non in sapientia* non respondet ad immediate dictum sed ad id quod supra dixerat «In aeternum peribunt», ut sit sensus quod morientur sine sapientia. Vel hoc quod dicit *qui reliqui fuerint* potest intelligi de filiis qui relinquuntur ex parentibus pereuntibus, qui propter peccata parentum quae imitantur et ipsi auferuntur sine sapientia morientes. Vult ergo ex omnibus istis Eliphaz habere quod cum condicio hominis sit tam fragilis de facili cadit in peccatum, quod dum homo non cognoscit in perditionem vadit ipse et filii eius; et sic Iob licet se peccatorem non recognosceret, credendum erat quod propter peccata aliqua ipse et filii eius perierint.

Sic igitur postquam revelationem sibi factam exposuerat, quia posset Iob hanc revelationem non credere ideo subiungit *Voca ergo si est qui tibi respondeat*, quasi dicat: si mihi hoc esse revelatum non credis, tu ipse invoca Deum si forte ipse tibi ad hanc dubitationem respondere voluerit; et si per

507 sic] sicut (*ante* enim sN) $_{s}$N V^{1} 508 quod] que sN 517 vesperum] –ram β^{1} F^{3} δ π 570 recognosceret] cognosceret N β^{1} As δ^{1} π cognoscere Sv 577 tibi *om.* F $_{s}$N Va 578 respondere] tibi *praem.* F tibi *add.* N β(–F^{a}) Va

497 Vers. 18. 498 Ps. CIII[4]. 508 ex vestimento nascitur: cf. Gregor. *V Moral.* cap. 38 (PL 75,718 C). 519 Vers. 18. 534 Eccli. XIX[1]. 538 David: cf. II Reg. XI[2]. 544 Ps. XVIII[13]. 551 Ibid. 559 Vel...: cf. Gregor. *V Moral.* cap. 42 (PL 75,722 A). 561 Vers. 20. 575 Hic incipit cap. V sec. ed. Clementinam Vulg.; cf. Praef. § 145.

merita propria hoc a Deo obtinere non putas, *ad aliquem sanctorum convertere*, ut eo mediante huius rei veritatem a Deo cognoscere possis. Et notandum est quod dicit *ad aliquem sanctorum*, quia non licet per immundos spiritus quocumque modo vel arte occulta perquirere sed solum per Deum vel per sanctos Dei, secundum illud Is. VIII[19] « Cum dixerint ad vos: Quaerite a pythonibus et a divinis qui strident in incantationibus suis, numquid non populus a Deo suo requirit visionem pro vivis aut mortuis? ».

586 strident] student F β Sv δ(*def.* Pd) stridunt π

CAPITULUM V

[2] Virum stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia. [3] Ego vidi stultum firma radice et maledixi pulcritudini eius statim. [4] Longe fient filii eius a salute et conterentur in porta, et non erit qui eruat.

Virum stultum interficit iracundia. Quia in revelatione quam sibi factam esse commemoraverat Eliphaz inter cetera hoc continetur quod homines «qui terrenum habent fundamentum consumuntur velut a tinea», vult hoc ostendere per hominum diversas condiciones: non enim est aliqua condicio hominum cui non adsit pronitas ad aliquod peccatum. Sunt autem duae hominum condiciones: quidam enim sunt magni et elati animi qui facile provocantur ad iram, quod ideo est quia ira est appetitus vindictae ex praecedenti offensa proveniens; quanto autem aliquis est magis elati animi tanto ex leviori causa se putat offensum, et ideo facilius provocatur ad iram, et hoc est quod dicit *Virum stultum interficit iracundia.* Vocat autem eum qui est superbi et elati animi stultum, quia per superbiam homo praecipue metas rationis excedit et humilitas viam sapientiae parat, secundum illud Prov. XI[2] «Ubi humilitas ibi sapientia»; cum hoc etiam stultitia iracundiae competit: iracundus enim, ut docet Philosophus, utitur quidem ratione dum pro offensa intentat vindictam, sed perverse dum in vindicta modum rationis non servat: perversitas autem rationis stultitia est. Quidam vero sunt pusillanimes et hi proni sunt ad invidiam, unde subdit *et parvulum occidit invidia*, et hoc rationabiliter dicitur: invidia enim nihil aliud est quam tristitia de prosperitate alicuius inquantum prosperitas illius aestimatur propriae prosperitatis impeditiva; hoc autem ad parvitatem animi pertinet quod aliquis non se aestimet posse prosperari inter alios prosperantes. Sic igitur manifestum videtur quod homo, cuiuscumque condicionis existat, pronus est ad aliquod peccatum: facile enim esset his similia de aliis peccatis inducere.

Sic igitur per omnia supra dicta Eliphaz probare intendit quod adversitates in hoc mundo non adveniunt alicui nisi pro peccato. Contra quod videntur esse duae obiectiones, quarum una est ex hoc quod multi iusti videntur adversitatibus subdi, sed hanc obiectionem dissolvere visus est per hoc quod homines ostendit esse faciles ad peccandum; secunda obiectio est quod aliqui iniqui in hoc mundo prosperantur, cui consequenter satisfacere intendit per hoc quod prosperitas eorum in malum ipsorum redundat, unde dicit *Ego vidi stultum*, idest hominem in divitiis superbientem, *firma radice*, idest firmatum in prosperitate huius mundi, ut videbatur, sed eius prosperitatem non approbavi, quin immo *maledixi pulcritudini eius statim.* Ubi considerandum est quod loquitur de homine sub metaphora arboris, cuius cum radix fuerit firma, pulcritudinem habet in ramis et fructibus; comparat igitur prosperitatem hominis in divitiis firmati pulcritudini arboris, quam maledicit, idest malam esse pronuntiat et nocivam, secundum illud Eccl. V[12] «Est et alia infirmitas pessima quam vidi sub sole: divitiae conservatae in malum domini sui»; addidit autem *statim* ut ostendat se de hac sententia nullatenus dubitare.

Quae autem mala ex prosperitate stulti proveniant ostendit primo quantum ad filios. Frequenter enim contingit quod quando aliquis dives et potens filios sine disciplina nutrit, quod proprium est stulti, filii eius in multa pericula incidunt: et quandoque quidem propter odia quae contra se concitant absque iudicio perimuntur, vel etiam dum ipsi sibi non cavent inordinate delectabilibus utentes vitam amittunt, et quantum ad hoc dicit *Longe fient filii eius a salute;* quandoque vero dum calumnias et iniurias aliis inferunt coram iudicibus conveniuntur et

4 consumuntur] — mitur pN — mentur Sv δ π 21 intentat] intendit β δ π intendat F[3]

75 perfectum...: sec. Arist. *I Ethic.* 9 (1097 a 29) ut refert Thomas *I-II* q. 3 a. 2 ad 2. 97 supra: vers. 1. 114 supra: cap. II[8]. 118 humor naturalis: cf. Avicen. *I Canon medic.* fen 1 doctr. 4 c. 1 (ed. Venetiis 1555, f. 6v); vide Thomam *Super II Sent.* d. 30 q. 2 a. 1 et *I Pars* q. 119 a. 1 arg. 3. 138 aliqui: antiqui gentiles sec. August. *XII De civ. Dei* cap. 13 (PL 41,361) ut refert Thomas *IV Cont. gent.* cap. 82. 148 Vers. 1.

[8] nec aspiciet me visus hominis; oculi tui in me, et non subsistam. [9] Sicut consumitur nubes et pertransit, sic qui descendit ad inferos non ascendet. [10] Nec revertetur ultra ad domum suam, neque cognoscet eum amplius locus eius.

ultra non revertitur, ita vita hominis cum pertransierit non redit, et hoc est quod subdit *et non revertetur oculus meus ut videat bona*, scilicet terrenae vitae quae quondam habui et nunc amisi. Et sicut cum vita mea praeterierit ego non revertar ut videam bona terrena, sic nec videbor ab oculo terreno, unde sequitur *nec aspiciet me visus hominis;* ponit autem haec duo ut significet quod non revertetur ad conversationem humanam quae maxime consistit in videre et videri: nam visus cum sit subtilior sensuum principatum tenet in vita sensibili. Sed quamvis post mortem ab oculo hominis se dixerit non videndum, confitetur tamen se videndum esse ab oculo divino in hoc quod subdit *oculi tui in me*, scilicet erunt: Deo enim mortui conspicui sunt qui spiritualia intuetur, quia mortui secundum spiritum vivunt, non secundum carnem quam visus hominis aspicere potest.

Posset autem ex hoc aliquis intelligere quod oculi Dei ita respiciant mortuum non secundum statum praesentem sed sicut respicit futura, quasi homo mortuus iterum rediturus sit ad vitam quam dimisit, et ideo ad hoc excludendum subiungit *et non subsistam*, quasi dicat: sic dico quod oculi tui in me erunt post mortem, quod tamen ego postmodum iterato non subsistam in statu huius vitae terrenae. Et hoc probat per simile cum subdit *Sicut consumitur nubes et pertransit, sic qui descendit ad inferos non ascendet.* Dicuntur autem mortui ad inferos descendere, vel quia secundum animam ante Christi mortem omnes ad infernum descendebant, vel quia secundum carnem sub terra ponuntur; quantum enim ad praesens pertinet, nihil differt quomodolibet exponatur: nihil enim aliud vult dicere nisi quod mortui non redeunt ad vitam praeteritam, et hoc probat in quodam simili, probatione sufficienti. Sicut enim Philosophus docet in II De generatione, tam in corporibus corruptibilibus quam in corporibus incorruptibilibus quidam circularis motus apparet; sed haec est differentia quia in corporibus caelestibus secundum circulationem reiteratur idem numero, sicut idem sol numero qui occidit redit ad ortum, et hoc ideo quia substantia non corrumpitur in tali mutatione sed solum locus mutatur; in motu vero generabilium et corruptibilium non redit idem numero sed idem specie. Patet enim quod secundum circularem motum solis annuum, circulatio quaedam fit in dispositione aeris: nam in hieme sunt nubes, et postmodum in aestate consumuntur, et iterum redeunte hieme redeunt nubes, non tamen eaedem numero sed eaedem specie quia illae nubes quae prius fuerunt omnino dispereunt. Et similiter est in hominibus: non enim iidem homines per generationes redeunt qui prius fuerunt secundum numerum sed solum secundum speciem.

Ex quo patet solutio rationis illorum qui ponebant reditum ad eandem vitam et ad eosdem actus: credebant enim quod inferiora disponuntur secundum motum corporum caelestium, unde cum redierit eadem constellatio post plurima temporum spatia credebant quod rediret eadem res numero; non est autem necesse quod redeant eaedem numero, ut dictum est, sed solum similes secundum speciem. Ponebant autem isti quod homo mortuus, post certa temporum spatia non solum rediret ad vitam sed etiam ad easdem possessiones et domos quas prius habuit, et ideo ad hoc excludendum subiungit *Nec revertetur ultra ad domum suam.* Ponebant etiam quod eadem opera acturus erat quae prius egit et eadem officia et dignitates habiturus, unde ad hoc etiam excludendum subiungit *neque cognoscet eum amplius locus eius*, idest non redibit ulterius ad locum suum; et accipitur hic locus pro statu personae, illo modo loquendi quo dicere consuevimus: iste habet magnum locum in ista civitate.

Manifestum est autem ex his quod Iob hic resurrectionem quam fides asserit non negat, sed reditum ad vitam carnalem quem Iudaei ponunt et quidam philosophi etiam posuerunt. Nec hoc etiam contradicit narrationi Scripturae de hoc quod aliqui sunt resuscitati ad vitam praesentem, quia aliud est quod miraculose agitur, aliud est quod agitur secundum

179 descendit] —derit N Va —dunt β^1 descen. F As 198 annuum] nubium *in ras.* sN *om.* γ δ^1 π 213 eaedem *scripsi.* *cum* V^2 γ(-Sv) Pd] eadem F N Sv δ(-Pd) eodem V^1 hee F^2 (*def.* π) 229 quem] *om.* pN quod sN quam β Sv δ^1 π ut Va 233 est *om.* F γ

161 subtilior sensuum: sec. Arist. *I Metaph.* 1 (980 a 26) ut refert Thomas *I-II* q. 83 a. 4 arg. 3; principatum: cf. Arist. *De sensu* 2 (437 a 3). 182 ad infernum: cf. *Glossa ordin.* super Iob XXX[28] ut refert Thomas *Super IV Sent.* d. 45 q. 1 a. 2 qc. 1 sed c. 1. 183 sub terra: cf. supra cap. 1 401 nota. 188 Cap. 11 (338 b 11). 207 illorum: cf. supra lin. 138 nota. 229 Iudaei: inter quos Pharisaei sec. Thomam *Lect. super Matth.* XXII[28]; philosophi: cf. supra lin. 138 nota. 231 E.g. III Reg. XVII[22], IV Reg. IV[35], Matth. IX[25] et XXVII[52].

[11] Quapropter et ego non parcam ori meo: loquar in tribulatione spiritus mei, confabulabor cum amaritudine animae meae. [12] Numquid mare sum ego aut cetus quia circumdedisti me carcere? [13]Si dixero: Consolabitur me lectulus meus, relevabor loquens mecum in stratu meo, [14] terrebis me per somnia et per visiones horrore concuties.

cursum naturae prout hic loquitur Iob. Considerandum est etiam quia quod supra dixit «Memento quia ventus est vita mea» non ideo dixit quasi in Deum oblivio cadat, sed loquitur ex hypothesi positionis adversariorum: si enim Deus repromitteret homini cuius vita iam quasi praeteriit bona in hac vita terrena, videretur quasi oblitus quod vita hominis ad modum venti sine reditu transit.

Quapropter et ego non parcam ori meo. Postquam ostendit Iob consolationem Eliphaz promittentis prosperitatem terrenam fuisse incongruam per rationes ostensivas, nunc ostendit deducendo ad inconvenientia, quia si illi consolationi inniteretur quae ex spe terrenae prosperitatis sibi ab Eliphaz data erat, cum ista spes frivola sit, ut ostensum est, sequebatur quod oporteret eum adhuc in tristitia remanere et doloris verba proferre et penitus desperare. Et ideo quasi contra positionem disputans, concludit *Quapropter*, quia scilicet vanum est expectare prosperitatem terrenam, ut ostensum est, et vos aliunde non habeatis unde me consolemini, *et ego*, quasi consolatione destitutus, *non parcam ori meo* quin loquar verba lamentationis prout mens suggerit: et hoc est quod subdit *loquar in tribulatione spiritus mei*, idest secundum quod tribulatio quam patior spiritum meum impellit ad loquendum. Nec solum aderat ei tribulatio exterior sed tristitia interior exinde concepta, et ideo subdit *confabulabor cum amaritudine animae meae*, idest inania et quasi fabulosa verba loquar secundum quod amaritudo animae meae mihi ministrabit.

Inter cetera autem quae homines amaricati confabulari solent, praecipue solent inquirere de causis suae amaritudinis, quia vix est aliquis amaricatus quin videatur sibi vel penitus iniuste vel plus iusto afflictus esse: et ideo Iob, gerens personam hominis amaricati, inquirit de causa suae afflictionis dicens *Numquid mare sum ego aut cetus quia circumdedisti me carcere?* Ubi notandum est quod aliter providentia Dei operatur circa creaturas rationales et aliter circa irrationales: in creaturis enim rationalibus invenitur meritum et demeritum propter liberum arbitrium, et propter hoc debentur eis poenae et praemia; creaturae vero irrationales cum non habeant liberum arbitrium, nec merentur nec demerentur poenas aut praemia, sed operatur Deus circa eas ad earum ampliationem vel restrictionem secundum quod competit ad bonum universi. Ex qua quidem provisione seu ratione contingit quod Deus mare coercet ne totam terrae superficiem occupet, ut sit locus animalibus et terraenascentibus; similiter etiam cetum infra mare oceanum coercet ne si in alia maria deduceretur aliquibus posset esse in nocumentum. Et ideo inquirit Iob utrum similis causa sit suae afflictionis causae propter quam coartatur mare aut cetus, ut scilicet afflictus sit non propter aliquod suum demeritum sed propter aliquam utilitatem exinde aliis provenientem.

Dicit autem se carcere circumdatum eo quod ita oppressus erat tribulatione quod ex nulla parte patebat sibi vel liberatio vel consolatio, et ideo consequenter ostendit se privatum esse illis remediis quibus afflicti solent consolari, quorum unum est somnus, nam post somnum tristitia mitigatur, et hoc notat cum dicit *Si dixero: Consolabitur me lectulus meus*, scilicet tempore dormitionis. Aliud remedium est cum homines sapientes per deliberationem rationis se ipsos consolantur, et hoc remedium tangit cum dicit *relevabor*, scilicet ab oppressione tristitiae, *loquens mecum*, per deliberationem rationis, *in stratu meo:* homines enim sapientes quando solitarii sunt et a tumultibus hominum et negotiorum semoti, tunc magis secum loqui possunt secundum rationem aliquid cogitando. Sed ista remedia eum iuvare non poterant, quia tempore quo his remediis uti debebat aderant sibi alia impedimenta quibus perturbabatur, scilicet somnia terribilia et visiones horribiles, et hoc est quod subdit *terrebis me per somnia*, quae scilicet dormienti apparent, *et per visiones*, quae scilicet apparent vigilanti ab usu exteriorum sensuum alienato, *horrore concuties*. Solent enim nocturna phantasmata conformia esse diurnis cogitationibus, unde quia Iob in die quae mae-

262 inania et] in amaritudine N F^2 F^3 8(*def.* R) π 276 eis *scrips. cum* sN F^2 γ(-Sv) π] ei *cet.* 277 creaturae...irrationales *scrips. cum* β] creaturis...irrationalibus *cet.* 278 nec[1]...poenas] non debentur pene γ nec merentur penas Va 280 earum] eorum F N β(-F^2) R 302 relevabor] et *cum Vulg. praem.* β γ(*def.* Sv) Va

235 Vers. 7. 297 post somnum: cf. August. *IX Confess.* cap. 12 (PL 32,777) ut refert Thomas *I-II* q. 38 a. 5 sed c. 315 conformia...: cf. supra cap. 4 326 nota.

[15] Quamobrem elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea. [16] Desperavi, nequaquam ultra iam vivam. Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei. [17] Quid est homo quia magnificas eum, aut quia ponis erga eum cor tuum? [18] Visitas eum diluculo et subito probas illum.

roris sunt cogitabat, similibus phantasmatibus perturbabatur in nocte; infirmitas etiam corporis ad hoc operatur ut perturbata phantasmata dormientibus appareant.

Sic igitur undique consolatione exclusa, nullus modus mihi remanet tot angustias evadendi nisi per mortem, et ideo praeeligo mortem quantumcumque abiectam vitae tam miserae, et hoc est quod dicit *Quamobrem elegit suspendium anima mea.* Et ne putaretur haec electio ex aliqua infirma cogitatione provenire, aliis fortibus cogitationibus repugnantibus, subiungit nihil esse in se tam forte quod mortem non desideret, et hoc est quod dicit *et mortem ossa mea:* solet enim per ossa in Scriptura id quod est in homine roboris designari. Et quare hoc eligat, ostendit cum subdit *Desperavi*, scilicet a spe quam mihi dedisti ut iterum fruar prosperitate terrena; et quare desperaverit, ostendit subdens *nequaquam ultra iam vivam:* in quo duo possunt intelligi quae supra posuerat, scilicet quod maius tempus vitae suae iam praeterierat et quod non erat reditus post mortem ad eandem vitam, ut scilicet viveret super terram. Hoc igitur inconveniens consequebatur ipsi Iob ex consolatione Eliphaz, quod scilicet desperaret, mortem eligeret et non haberet unde tristitiam reprimeret.

Parce mihi, Domine. Postquam ostendit Iob quod consolatio Eliphaz ex promissione felicitatis terrenae inducebat eum ad desperationem et desiderium mortis, ostendit quid sibi sperandum relinquatur a Deo, ut scilicet tribulatio illata cesset, et hoc est quod dicit *Parce mihi, Domine*, quasi dicat: a spe prosperitatis terrenae decidi, hoc mihi sufficit ut parcas, idest flagellare desistas. Et quia ad parcendum inducere solet parvitas et miseria hominis, subiungit *nihil enim sunt dies mei*, quod videtur referri ad hominis parvitatem et ad vitae brevitatem: et communiter quantum ad omnes et speciaLiter quantum ad se ipsum cuius dies iam quasi praeterierant.

Utrumque autem consequenter prosequitur, et primo de parvitate dicens *Quid est homo*, idest quam parvum quid et infirmum secundum corpus, *quia magnificas eum* honore quodam inter ceteras creaturas, *aut quia ponis erga eum cor tuum*, eum speciali cura custodiendo et protegendo? Ubi considerandum est quod licet omnia subsint divinae providentiae et omnia secundum statum suum magnitudinem consequantur a Deo, aliter tamen et aliter. Cum enim omnia particularia bona quae sunt in universo ordinari videantur ad commune bonum universi sicut pars ad totum et imperfectum ad perfectum, eo modo aliqua disponuntur secundum divinam providentiam secundum quod habent ordinem ad universum; sciendum est autem quod secundum modum quo aliqua participant perpetuitatem, essentialiter ad perfectionem universi spectant, secundum autem quod a perpetuitate deficiunt, accidentaliter pertinent ad perfectionem universi et non per se: et ideo secundum quod aliqua perpetua sunt, propter se disponuntur a Deo, secundum autem quod corruptibilia sunt, propter aliud. Quae igitur perpetua sunt et specie et individuo, propter se gubernantur a Deo; quae autem sunt corruptibilia individuo, perpetua specie tantum, secundum speciem quidem propter se disponuntur a Deo, secundum individuum propter speciem tantum, sicut bonum et malum quod accidit in brutis animalibus, utpote quod haec ovis occiditur ab hoc lupo vel aliquid aliud huiusmodi, non dispensatur a Deo propter aliquod meritum vel demeritum huius lupi vel huius ovis, sed propter bonum specierum, quia divinitus unicuique speciei ordinatus est proprius cibus. Et hoc est quod dicit *aut quia ponis erga eum cor tuum*, dum scilicet ei provides propter eius bonum; non ponit autem erga animalia singularia cor suum, sed erga bonum speciei quod potest esse perpetuum.

Quomodo autem ponat erga eum cor suum ostendit cum subdit *Visitas eum diluculo*, idest a principio nativitatis tua providentia administras ei quae sunt necessaria ad vitam et magnificationem, tam corporalia quam spiritualia; *et subito probas illum*

334 desperaverit] —vit β γ δ π 361 quia ponis (*cf. infra lin.* 392 *et* 395)] quid apponis F sN F^2 γ δ π 390 quia ponis] quid apponis F sN F^2 γ(-F^2) δ π quia apponis V^1 392 animalia *coni.*] alia V^2 eorum F eum pN F^2 *om.* sN V^1 aliorum γ Pd π aliquorum R bonum Va 392 singularia] —lariter F^2 —larium Va

318 infirmitas...: cf. Arist. *De insomn.* cap. 3 (461 a 21); vide supra cap. 4 315 330 ossa: cf. Alan. de Insulis *Distinctiones* s. v. Os (PL 210,885). 336 supra: vers. 6. 358 primo: cf. 'aliam rationem' lin. 420.

[19] Usquequo non parcis mihi nec dimittis me ut glutiam salivam meam? [20] Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum? Quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimet ipsi gravis?

per adversa in quibus apparet qualiter se habeat ad virtutem quia, sicut habetur Eccli. XXVII[6], « Vasa figuli probat fornax, et homines iustos tentatio tribulationis ». Dicitur autem Deus hominem probare non ut ipse addiscat qualis est homo sed ut alios eum cognoscere faciat et ut ipsemet se ipsum cognoscat. Haec autem verba Iob non sunt intelligenda tamquam improbantis divinam circa homines sollicitudinem, sed tamquam inquirentis et admirantis: id enim quod de homine videtur exterius parvum quid est, fragile et caducum, unde mirum videretur quod Deus tantam sollicitudinem haberet de homine nisi aliquid lateret in eo quod esset perpetuitatis capax. Unde per hanc inquisitionem et admirationem sententia Eliphaz excluditur, quia si non esset alia vita hominis nisi quae est super terram, non videretur condignus homo tanta Dei sollicitudine circa ipsum: ipsa ergo sollicitudo quam Deus specialiter habet de homine demonstrat esse aliam vitam hominis post corporis mortem.

Deinde aliam rationem subdit ut sibi parcatur sumptam ex brevitate vitae, eam sub interrogatione proponens cum dicit *Usquequo non parcis mihi?*, quasi dicat: tempus vitae hominis breve est et temporis vitae meae maior pars iam transiit, quis ergo terminus expectatur ut mihi parcas si modo non parcis, ut saltem aliquod breve spatium habeam in quo quiescam? Quod significat in hoc quod subdit *nec dimittis me ut glutiam salivam meam?* Homines enim dum verba proferunt salivam glutire non possunt: necesse est ergo in loquendo aliquam modicam pausam fieri ut saliva vel expuatur vel glutiatur; cui quidem horulae residuum tempus vitae suae comparat, ac si dicat: si parcere differas, non remanebit mihi a laboribus aliqua quies saltem illi pausae similis qua loquentes salivam glutiunt. Et haec etiam ratio procedit ex suppositione sententiae Eliphaz, quia si non sit vita alia hominis nisi quae est super terram, non restabit quando Deus parcat si in hac vita non parcit.

Posset autem aliquis dicere Iob indignum esse ut sibi parcatur a Deo, quia peccata sua merentur eum ulterius affligi, secundum sententiam Eliphaz qui eum propter peccata flagellari putabat, et ideo subdit *Peccavi*, quasi dicat: esto quod peccaverim et propter hoc merear flagellari, adhuc remanet ratio quare mihi parcere debeas. Et subiungit ad hoc tres rationes quare parcere debeat sumptas ex hominis infirmitate, quarum prima sumitur ex impotentia satisfaciendi. Homo enim nihil condignum facere potest propriis viribus ad recompensandum offensam quam contra Deum commisit, et hoc est quod dicit *quid faciam tibi, o custos hominum?*, quasi dicat: si tantam sollicitudinem de hominibus habes quasi custos eorum ut de singulis eorum actibus rationem requiras, non suppetunt meae vires ad faciendum aliquid propter quod peccata remittas, unde si hoc expectatur numquam mihi parceres; et ideo hoc non obstante mihi parcas.

Secunda ratio sumitur ex impotentia perseverandi. Homo enim post corruptionem humanae naturae perseverare non potest sine gratia Dei, unde et in sacra Scriptura consuetum est dici quod Deus aliquem indurat vel excaecat ex hoc quod gratiam non largitur per quam emolliatur et videat; secundum ergo hunc modum et hic Iob loquitur dicens *Quare posuisti me contrarium tibi*, idest quare mihi gratiam non dedisti per quam in hoc perseverarem ut tibi contrarius non essem per peccatum? Quicumque enim peccat Deo contrarius est, dum divinis mandatis repugnat sive quae sunt in Lege scripta tradita sive quae sunt naturaliter indita hominis rationi. Sciendum est autem quod ratio fortior est inter omnes animae virtutes, cuius signum est quod aliis imperat et eis utitur ad suum finem; contingit tamen quod ratio interdum ad modicum absorbetur per concupiscentiam vel iram aut alias inferiorum partium passiones, et sic homo peccat; non tamen inferiores vires sic possunt rationem ligatam tenere quin semper redeat ad suam naturam, qua in spiritualia bona tendit sicut in proprium finem. Sic igitur pugna quaedam fit etiam hominis ad se ipsum dum ratio renititur ei quod per concupiscentiam vel iram absorpta peccavit; et quia ex peccato praeterito inferioribus viribus est addita pronitas ad similes actus propter consuetudinem, ratio non potest

401 XXVII] xxiii N δ 410 videretur] videtur N β^1 δ^1 π 430 necesse *coni.*] necessaria F N V^2 F^2 necessarium V^1 Sv δ π necessarie F^1 As 438 est] hominis *add.* N δ 457 expectatur] —tares Va —tas δ^1 469 est] *om.* F pN *ante* Deo V^1 fit *post* Deo γ π 477 passiones *scripts. cum* Va] rationes F pN β^1 positiones V^2 vires sN γ δ^1 π

462 E.g. Exod. IV[21] et X[1], Is. VI[9] et LXIII[17], Rom. I[24] et IX[18]. 474 aliis imperat: cf. ipse Thomas *I-II* q. 17 a. 1.

[21] Cur non tollis peccatum meum? Et quare non aufers iniquitatem meam? Ecce nunc in pulvere dormiam, et si mane me quaesieris non subsistam.

libere uti inferioribus viribus ut eas in superiora bona ordinet et ab inferioribus retrahat: et sic homo dum fit contrarius Deo per peccatum fit etiam sibimet ipsi gravis, et hoc est quod subdit *et factus sum mihimet ipsi gravis?*, in quo apparet quod peccatum statim suam poenam habet; et sic post hanc poenam facilius videtur homini esse parcendum.

Tertia ratio sumitur ex impotentia hominis ad purgandum peccatum. Homo enim per se ipsum in peccatum labitur, sed solius Dei est peccatum remittere, et ideo quaerit Iob: si poena mea cessare non debet quandiu peccatum manet, et tu solus peccatum auferre potes, *cur non tollis peccatum meum* quod in Deum vel in me ipsum commisi? *Et quare non aufers iniquitatem meam*, si qua est contra proximum commissa? Considerandum est autem quod huiusmodi quaestiones Iob non facit quasi temerarius divinorum iudiciorum inquisitor, sed ad falsitatem destruendam quam adversarii asserere nitebantur, scilicet quod in hac vita tantum essent expectanda a Deo bona vel mala pro factis humanis: quo quidem posito, tota ratio divinorum iudiciorum turbatur, quibus homines in hac vita punit propter peccata vel peccata remittit secundum quod eos praeordinat ad vitam futuram vel praedestinando vel reprobando. Si autem non esset vita futura sed tantum praesens, non esset ratio quare Deus differret parcere his quibus parcere intendit aut eos iustificare et remunerare, et ideo Iob ut suam intentionem aperiat, subdit *Ecce nunc in pulvere dormiam*, quasi iam in promptu est finis vitae meae cum moriar resolvendus in pulverem; et propter incertitudinem mortis non potest expectari firmiter etiam dies crastinus, et ideo subdit *et si mane me quaesieris non subsistam*, quasi dicat: non possum repromittere mihi tempus vitae usque in mane, nedum longa vitae spatia in quibus expectare possim quod mihi parcas si alia vita non erit.

Considerandum est autem quod Iob procedit more disputatoris, cui a principio sufficit falsam opinionem refellere et postmodum aperit quid ipse de veritate sentiat. Notandum est etiam quod Iob in verbis praemissis tres rationes tetigit quare aliquis in hac vita flagellatur a Deo: prima est ut cohibeatur eius malitia ne aliis nocere possit, et hanc rationem tetigit cum dixit «Numquid mare sum ego aut cetus quia circumdedisti me carcere?»; secunda est ad hominis probationem ut virtus eius manifestetur, et hanc tetigit cum dixit «Visitas eum diluculo et subito probas illum»; tertia est in poenam peccatorum, et hoc tetigit cum dixit «Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum» etc.

490 sum *om.* N γ(-Sv) 517 pulverem] —re F pN β Va 521 nedum *scripsi. cum* Sv Va] neque dum F^2 δ^1 necdum *cet.* 536 hoc] hanc sN F^1 Va sR *om.* pR

499 in Deum.. in me ipsum...contra proximum: cf. supra cap. 1 21 nota. 531 Vers. 12. 534 Vers. 18. 536 Vers. 20.

CAPITULUM VIII

[1] Respondens autem Baldath Suites dixit: [2] Usquequo loqueris talia, et spiritus multiplex sermonis oris tui? [3] Numquid Deus supplantat iudicium et Omnipotens subvertit quod iustum est? [4] Etiam si filii tui peccaverunt ei, et dimisit eos in manu iniquitatis suae.

Respondens autem Baldath Suites etc. In superioribus beatus Iob dictis Eliphaz responderat eius sententiam efficaciter et profunde evacuando; sed Baldath Suites in eadem sententia cum Eliphaz concordans profunditatem beati Iob non comprehenderat, et ideo contra responsionem beati Iob loquitur sicut solent homines loqui contra sententias non intellectas. Homines autem non comprehendentes mentes loquentium in duobus deficere solent, quorum unum est quia nesciunt quando ille qui loquitur ad finem propositum pervenerit, aliud est quia ordinationem sermonum loquentis capere non possunt. Et hoc in verbis Baldath manifeste apparet, dicitur enim *Respondens autem Baldath Suites dixit: Usquequo loqueris talia?*, videbatur enim ei quod nimis protraxisset sermonem, non considerans nec intelligens ad quem finem Iob suum sermonem perducere volebat; similiter etiam neque ordinationem eorum quae Iob dixerat, qualiter scilicet ad invicem compacta erant, capiebat, et ideo subiungit *et spiritus multiplex sermonis oris tui?*, reputabat enim, quia Iob multa protulerat quorum ordinem ipse non capiebat, quod essent verba dissuta et quasi hominis sine ratione ex impetu spiritus varia loquentis absque ordine rationis.

Et quia, ut dictum est, Baldath intentionem Iob non comprehenderat, eius verba in alia intentione accipiens ad inconveniens deducere conatur. Volens enim Iob superius excludere sententiam Eliphaz potentis quod adversitates in hoc mundo pro peccatis hominum contingebant et quod peccatores flagellati a Deo si convertantur ad statum prosperitatis reducentur, contra utrumque locutus fuerat: nam contra primum, ut supra expositum est, dixerat «Utinam appenderentur peccata mea et calamitas quam patior in statera!», contra secundum dixerat «Desperavi, nequaquam ultra iam vivam», et multa huiusmodi ut ex superioribus patet. Haec autem dicebat Iob intendens quod poena peccatorum et iustitiae praemium non sunt expectanda a Deo in hac vita; Baldath autem, qui aliam vitam nesciebat, sic accepit haec verba ac si Iob intenderet dicere quod Deus peccata non punit nec benefacta remunerat, quod videtur esse divinae iustitiae contrarium, et ideo Baldath proponit dicens *Numquid Deus supplantat iudicium et Omnipotens subvertit quod iustum est?*, quasi dicat: hoc sequitur ex tuis verbis si homines in hoc mundo absque peccato punit aut ultra mensuram peccati, vel si ad se reversis bona non reddit. Et notandum est quod iustitia dupliciter corrumpitur, scilicet per astutiam alicuius sapientis et per violentiam alicuius potentis; in Deo autem utrumque est, et perfecta sapientia et omnipotentia, nec tamen per sapientiam quae nomine Dei intelligitur quasi astute agens supplantat iudicium, neque per omnipotentiam quasi violenter subvertit quod iustum est.

Duo autem erant quae videbantur impedire Iob ne pristina prosperitas ei restitui posset etiam si converteretur ad Deum, ut Eliphaz dixerat, quorum unum erat quia filii quos amiserat mortui erant, nec expectari poterat quod resuscitarentur per suam conversionem ad vitam, et ideo Baldath dicit *Etiam si filii tui peccaverunt ei, et dimisit eos in manu iniquitatis suae*, quasi dicat: cum tu conversus fueris ad Deum, illa recuperabis quae pro peccatis tuis amisisti; filii autem tui morte oppressi sunt non propter peccata tua sed propter peccata eorum, unde non est contra sententiam Eliphaz – qua dixerat quod per conversionem redibis ad prosperitatem –, si filii tui te converso non resuscitentur. Et notandum est quod quia poenas praesentis vitae pro peccatis accidere credebat, ultima autem poenarum praesentium est mors, tunc homo videtur perfecte

24 varia] vana γ(-F²) δ π 59 converteretur] —terentur F pN V² 60 Deum] dominum pN δ π

26 dictum est: lin. 5. 35 Cap. VI². 37 Cap. VII¹⁶. 60 dixerat: cap. V²³. 73 ultima...: sec. Arist. *III Ethic.* 14 (1115 a 26) ut refert Thomas *II-II* q. 64 a. 5 ad 3.

[5] Tu tamen si diluculo consurrexeris ad Deum et Omnipotentem fueris deprecatus, [6] si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te et pacatum reddet habitaculum iustitiae tuae, [7] intantum ut priora tua fuerint parva et novissima tua multiplicentur nimis. [8] Interroga enim generationem pristinam et diligenter investiga patrum memoriam. [9] Hesterni quippe sumus et ignoramus, quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram.

pro peccato punitus quando usque ad mortem pro peccato perducitur; et ideo signanter dicit *et dimisit eos in manu iniquitatis suae*, quasi in potestate peccatorum suorum, ut absque aliquo retinaculo usque ad ultimam poenam pro peccatis deducerentur.

Aliud autem est, quod reditum ad pristinam prosperitatem impedire videbatur, quod plurimum tempus vitae Iob iam transierat et parvum restabat, ut Iob supra dixerat, unde non videbatur quod in illo modico tempore sufficienter sibi pristina prosperitas posset restitui etiam si converteretur ad Deum; et ideo Baldath ei promittit post conversionem recompensationem fiendam quantitatis ad tempus, ut scilicet multo maiora bona obtineat quam prius habuit per hoc quod modico tempore ea esset habiturus. Et ideo Baldath primo describit ei modum debitae conversionis, ad quam tria requiruntur, quorum primum est ut peccator absque mora a peccato surgat, et hoc est quod dicit *Tu tamen si diluculo*, idest tempestive, *consurrexeris ad Deum*, relictis peccatis, secundum illud Eccli. v[8] «Ne tardes converti ad Dominum»; secundum est ut homo pro peccatis satisfaciat, et quantum ad hoc dicit *et Omnipotentem fueris deprecatus:* inter satisfactionis enim opera quasi praecipuum videtur esse oratio; tertium est ut homo perseveret cavens sibi a recidivo peccati, et ideo dicit *si mundus et rectus incesseris*, scilicet cavens tibi ab immunditiis carnis et ab iniustitiis quibus laeditur proximus. Sic autem perfecta conversione descripta, subiungit promissionem prosperitatis dicens *statim evigilabit ad te:* Deus enim quasi dormire videtur cum iustos affligi permittit, evigilare autem quando eos defendit, secundum illud «Exurge, quare obdormis, Domine?». Et effectum huius evigilationis subiungit dicens *et pacatum reddet habitaculum iustitiae tuae*, quasi dicat: domus et familia tua tempore peccati tui fuit perturbata, sed tempore iustitiae tuae pacem habebit. Et ne posset conqueri de temporis brevitate, repromittit excessum prosperitatis dicens *intantum ut priora tua fuerint parva*, scilicet comparatione sequentium, et hoc est quod subdit *et novissima tua multiplicentur nimis*, ita quod magnitudo prosperitatis recompenset tibi tempus quo in adversitate fuisti.

Interroga enim generationem pristinam etc. Baldath Suites in praecedentibus eandem sententiam cum Eliphaz Themanite defendens, proposuerat homines pro peccato in praesenti vita divinitus punitos post conversionem ad prosperitatis statum redituros, quod quidem ex nunc probare intendit. Probat autem dupliciter: primo quidem ex experimento, secundo ex similitudine. Experimentum enim in rebus particularibus maxime efficax est ad probandum, et tanto magis quanto diuturnius est observatum et infallibile inventum. Ea autem quae diuturnitatem temporis requirunt per antiquorum memorias maxime comprobantur, et ideo ad propositi probationem recurrit ad antiquorum memorias, et quantum ad antiquos cum dicit *Interroga enim generationem pristinam*, et quantum ad immediate praecedentes cum dicit *et diligenter investiga patrum memoriam*, idest ea quae patres tui in memoria habent. Interrogatio autem generationis pristinae est considerando antiquorum gestorum scripta et ea quae de antiquis per famam feruntur; et quia de rebus antiquis multa fabulose et scribuntur et narrantur, ne ex hoc aliquis se falli reputaret, remittit ad patres qui narrare possunt ea quae viderunt. Necessitatem autem huius investigationis ostendit subdens *Hesterni quippe sumus*, quasi heri nati, *et ignoramus* propter hoc antiqua; et hoc quidem dicit ad ostendendam vitae nostrae brevitatem, unde subdit *quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram:* umbra enim cito transit, statim scilicet dum removetur obstaculum lucis, et dum corpus movetur ad cuius obiectum fit umbra, prior umbra transit et alia succedit: ita et dies hominis sunt in continuo transitu dum alii aliis succedunt. Quid autem ex praecedenti investigatione utilitatis assequatur, ostendit subdens *Ipsi*, scilicet pristini et patres in-

88 habuit] habuerit F β^1 Sv habuerat γ(-Sv) 89 ea] eam F β(-V^1) F^3 δ^1 *om.* N 94 Deum] dominum N Sv δ(-Pd) 125 ex nunc] et nunc V^1 γ nunc $V^2\pi$ exinde N δ^1 exhinc Va ex inductione sPd 154 assequatur] quis *praem.* β γ subsequatur *in ras.* sN consequatur δ^1 π

83 supra: cap. VII[6]. 108 Ps. XLIII[23].

[10] Ipsi docebunt te, et de corde suo proferent eloquia. [11] Numquid vivere potest scirpus absque humore, aut crescere carectum sine aqua? [12] Cum adhuc sit in flore nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit. [13] Sic viae omnium qui obliviscuntur Deum, et spes hypocritae peribit. [14] Non ei placebit vecordia sua, et sicut tela aranearum fiducia eius.

terrogati, *docebunt te* veritatem super praemissis, vel verbis patres, vel scriptis et fama antiqui; *et de corde suo proferent eloquia*, quod subdit ad ostendendam veritatem huius doctrinae, quasi dicat: non aliud docebunt quam quod corde senserunt quia nulla inest causa eis decipiendi.

Deinde inducit similitudinem ad propositi probationem ex rebus corporalibus sumptam. Et ponit exemplum de duobus terraenascentibus, quorum unum ad sui conservationem exigit humorem in terra, scilicet scirpus, idest iuncus, unde dicit *Numquid vivere potest scirpus absque humore?* Aliud autem requirit loca aquosa, scilicet carices, et sunt herbae latae et in summitate acutae quae non crescunt nisi in locis aquosis, unde subdit *aut crescere carectum sine aqua?:* dicitur enim carectum locus in quo huiusmodi herbae crescunt; et quod scirpus humorem requirat et carectum aquam, ostendit quia per solam subtractionem humoris aut aquae faciliter desiccantur, nulla alia causa desiccationis existente. Est autem duplex causa in aliis terraenascentibus desiccationis: una est naturalis propter antiquitatem, alia est violenta quando evelluntur; utraque autem causa cessante, scirpus et carectum arefiunt ex sola subtractione humoris et aquae, et hoc est quod dicit *Cum adhuc sit in flore*, idest cum adhuc sit in sua iuventute et suo vigore, per quod excluditur temporis antiquitas, *nec carpatur manu*, per quod excluditur violentia, *ante omnes herbas arescit*, idest prae omnibus aliis herbis facilius.

Hoc autem adaptat ad propositum. Ubi considerandum est quod adhaesionem hominis ad Deum hoc modo intellexit esse causam prosperitatis mundanae sicut humor est causa viriditatis herbae, et hoc ideo quia bonum hominis aestimabat esse prosperitatem terrenam; bonum autem hominis manifestum est <esse> ex hoc quod homo Deo inhaeret, et ideo credidit quod ex quo Deo non inhaeret eius prosperitas terrena deficiat: quod quidem verum est de felicitate spirituali quae est verum hominis bonum, non autem de prosperitate terrena quae inter minima bona computatur utpote organice deserviens ad veram hominis felicitatem; et ideo subdit *Sic viae omnium qui obliviscuntur Deum, et spes hypocritae peribit.* Ubi considerandum est quod duobus supra positis duo hic correspondentia subdit: carectum enim manifestam aquam requirit ad sui viriditatem et per eius subtractionem arescit, scirpus autem requirit aquam in terra occultatam et eam humectantem et per eius defectum siccatur; similiter et aliqui sunt qui secundum eius sententiam pereunt propter hoc quod eis subtrahitur in manifesto adhaesio ad Deum, scilicet quia opera manifeste agunt Deo contraria, quos significat per eos *qui obliviscuntur Deum:* qui enim manifeste male agere non formidant, omnino Dei reverentiam postponere videntur et eum in memoria non habere; aliqui autem sunt qui secundum eius sententiam pereunt propter subtractionem occultae adhaesionis ad Deum, et hi sunt hypocritae qui exterius praetendunt ac si Deo inhaereant sed cor eorum est ad terrena: et ideo de hypocrita loquens nominavit spem, de obliviscentibus Deum nominavit vias, idest operationes, quia eorum opera sunt aversa a Deo, hypocritae autem spes.

Quomodo autem spes hypocritae pereat, ostendit cum subdit *Non ei placebit vecordia sua*, ubi considerandum est quod hypocrita cor habet vanum quidem et negligens ad spiritualia sed quantum ad temporalia sollicitum, et hoc quidem ei placet quandiu in temporalibus ei bene succedit secundum quod sperat; si autem ei temporalia subtrahantur, tunc necesse est quod ei displiceat quod circa Deum cor verum et firmum non habuit. Dicit ergo *Non ei placebit vecordia sua*, idest adversitate veniente displicebit ei quod ad Deum cor rectum non habuit; et sollicitudo eius quam circa temporalia habuit omnino deficiet, et hoc est quod subdit *et sicut tela aranearum fiducia eius*, idest ea in quibus confidebat de facili frangentur sicut aranearum tela: confidebat enim non in divino auxilio sed in domus suae fortitudine, idest in abundantia divitiarum,

157 et²] loquentur tibi *cum Vulg. praem.* Pd π 168 carices *scripsi cum* N Va] carepte F caretes β γ(-Sv) caretum Sv caraces R carectes Pd π 180 arefiunt] acrescunt pN arescunt sN δ π 192 <esse> *suppl. cum* sN γ δ¹ π] *om. cet.* 208 ad Deum *scripsi cum* sN F² γ(-As) (*cf. infra lin.* 215)] a deo *cet.* 220 hypocritae autem spes *om.* sN β Sv Va π

166 idest iuncus: cf. Albertus *VI De veget. et plantis* tr. 2 c. 4. 168 carices: cf. Barthol. Anglic. *XVII De propriet. rerum* cap. 35. 171 carectum: cf. ibid. 196 inter minima bona: sec. August. *II De lib. arb.* cap. 19 (PL 32, 1267) quem allegat Thomas *II-II* q. 125 a. 4 ad 3; organice deserviens: cf. Arist. *I Ethic.* 14 (1099 b 28) ut refertur *III Cont. gent.* cap. 26.

[15] Innitetur super domum suam et non stabit, fulciet eam et non consurget. [16] Humectus videtur antequam veniat sol, et in ortu suo germen eius egreditur. [17] Super acervum petrarum radices eius densabuntur, et inter lapides commorabitur. [18] Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum et dicet: Non novi te. [19] Haec est enim laetitia viae eius ut rursum de terra alii germinentur. [20] Deus non proiciet simplicem nec porriget manum malignis, [21] donec impleatur risu os tuum et labia tua iubilo:

multitudine consanguineorum et aliis huiusmodi, sed haec ei de facili deficient, unde sequitur *Innitetur super domum suam*, idest fiduciam habebit suae stabilitatis in prosperitate domus suae, *et* tamen *non stabit*, quia cum deerit ei divinum auxilium ruet. Contingit autem quod aliquis in futurum adversa prospiciens aliqua adminicula sibi et domui suae contra adversa parat, sed et hoc ei non valebit, sequitur enim *fulciet eam*, aliquibus scilicet remediis contra adversa, sicut domui quae minatur ruinam fulcimenta aliqua adhibentur, *et* tamen *non consurget* vel ipse vel domus sua ad prosperitatis statum. Ad hanc autem sententiam quam de fragilitate fiduciae dixerat praemissam similitudinem de scirpo adaptat. Ex duobus enim de scirpo fiducia haberi videtur: primo quidem ex propria viriditate, quae tamen adveniente sole et desiccante terrae humorem cito deficit, et quantum ad hoc dicit *Humectus videtur*, scilicet scirpus, *antequam veniat sol*, qui eius viriditatem tollat; *et in ortu suo*, scilicet scirpi, *germen eius egreditur:* cito enim crescere et proprium fructum facere videtur; et similiter hypocrita quia a principio arridet sibi fortuna proficere videtur, sed veniente sole, idest tribulatione, cito prosperitas eius deficit. Secundo potest haberi fiducia de scirpo ex aliis, scilicet vel ex multitudine aliorum scirporum ei coadhaerentium, vel ex soliditate loci in quo crescit dum nascitur in loco lapidoso: et ideo consequenter dicit *Super acervum petrarum radices eius*, scilicet scirpi, *densabuntur*, inquantum simul coniunguntur multorum scirporum radices, quod dicit quantum ad primum; quantum ad secundum dicit *et inter lapides commorabitur;* ita etiam et aliquis hypocrita potest habere fiduciam de sua stabilitate, non solum propter prosperitatem propriam sed etiam propter multitudinem consanguineorum et domesticorum, aut etiam propter fortitudinem regni aut civitatis in qua inhabitat. Sed haec fiducia eius deficit ei sicut et circa scirpum accidit, sequitur enim *Si absorbuerit eum*, scilicet scirpum, aliquis *de loco suo*, locus eius *negabit eum et dicet: Non novi te*, quasi dicat: ita scirpus de loco suo evellitur quod nec vestigium eius in loco appareat nec locus eius aliquid operatur ad hoc quod ille idem scirpus iterum inseratur. Et causam subiungit dicens *Haec est enim laetitia viae eius* – vel *vitae eius* – *ut rursum de terra alii germinentur*, quasi dicat: processus et vita scirporum in aliquo loco commorantium non ad hoc naturali appetitu tendit, nec per hoc conservatur, quod idem numero scirpus qui ereptus est reinseratur, sed ad hoc quod alii eiusdem speciei renascantur; ita etiam est cum aliquis per mortem aut alio modo ab aliqua fortium societate separatur, statim quasi oblivioni traditur, secundum illud Psalmi «Oblivioni datus sum tamquam mortuus a corde», sed huiusmodi societas gaudet in his qui ei succedunt, secundum illud Eccl. IV[14] «Alius natus in regno inopia consumatur. Vidi cunctos viventes qui ambulant sub sole cum adolescente secundo qui consurgit pro eo». Haec autem ad hoc introducta sunt ut ostendat quod etsi aliqua prosperitas interdum malis eveniat, non tamen est firma de qua confidere possint, sed cito transit, unde pro nihilo reputanda est.

Ex omnibus autem supra dictis ostendit consequenter quid intendat dicens *Deus non proiciet simplicem*, idest a se eum non elongabit ut eum non sustentet qui simplici corde ei adhaeret; *nec porriget manum malignis*, idest non dabit eis auxilium ut eorum prosperitas confirmetur. Et quia posset dicere Iob: quicquid tu dicas et similitudinibus confirmare velis, tamen ego contrarium in me sum expertus, qui cum simplex essem adversitatem patior et maligni adversarii mei contra me praevaluerunt, ideo ad hoc excludendum subiungit *donec impleatur risu os tuum et labia tua iubilo*, quasi dicat: hoc quod dixi intantum verum est quod hoc in te senties, si tamen fueris simplex, ita scilicet quod ex prosperitate quae subsequetur laetitia tua prorumpet in risum et iubi-

242 deerit] defecerit N As δ π dederit pV[1] 263 scilicet *om.* F β 269 quantum[2]] autem *add.* sN β γ(-F[2]) Va π *om.* R 270 etiam *om.* N β 288 ereptus] erectus F β(-F[2]) γ eiectus F[2] 294 qui] que N δ (*def.* β[1]) 314 hoc *om.* N β δ π

261 tribulatione: cf. Alan. de Insulis *Distinctiones* s. v. Sol (PL 210,947 D). 267 scilicet scirpi: cf. *Glossa interlin.* super h. l. 283 vel...: cf. Praef. § 17. 292 Ps. XXX[19].

[22] qui oderunt te induentur confusione, et tabernaculum impiorum non subsistet.

lum, quae solent ex magnitudine gaudii provenire; et e contrario, *qui oderunt te induentur confusione*, idest manifeste ac multipliciter confundentur ut sic sit eis confusio quasi vestimentum. Et ne hoc alicui videatur impossibile propter prosperitatem praesentem qua videntur florere, subiungit *et tabernaculum impiorum non subsistet:* per tabernaculum enim, in quo plurimi orientalium habitare consueverunt et suas divitias et supellectiles habere, potest intelligi omne illud quod pertinet ad prosperitatem vitae praesentis. Considerandum est autem quod ideo Baldath de hypocrita et simplici fecit mentionem quia aestimabat Iob non vere sanctum sed hypocritam fuisse, et quod propterea prosperitas eius firma non fuerit, sed si simplex esse inceperit promittit ei prosperitatem affuturam.

325 et *om.* F N F² 331 si *om.* N β R

CAPITULUM IX

[1] Et respondens Iob ait: [2] Vere scio quod ita sit et quod non iustificetur homo compositus Deo. [3] Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere ei unum pro mille. [4] Sapiens corde est et fortis robore: quis restitit ei et pacem habuit?

Et respondens Iob ait: Vere scio quod ita sit. Beatus Iob in superiori responsione, qua verbis Eliphaz responderat, unum praetermisisse videbatur quod Eliphaz de Dei iustitia proposuerat cum dixerat « Numquid homo comparatione Dei iustificabitur? »; quin immo quadam quasi contentiosa disputatione visus est ad Deum loqui cum dixit « Numquid mare sum ego aut cetus » etc., et iterum « Usquequo non parcis mihi » etc. Et ideo Baldath Suites replicans contra responsionem beati Iob a defensione divinae iustitiae incepit dicens « Numquid Deus supplantat iudicium » etc., et in hoc idem suum sermonem terminavit cum dixit «Deus non proiciet simplicem» etc. Et ideo beatus Iob in hac responsione primo ostendit se divinae iustitiae contradicere nolle nec contra Deum velle contendere, ut illi suspicabantur, et hoc est quod dicitur *Et respondens Iob ait: Vere scio quod ita sit*, scilicet quod « Deus non supplantat iudicium » et quod « non proiciet simplicem », quae Baldath proposuit; *et* scio etiam *quod non iustificetur homo compositus Deo*, idest comparatus ei, et hoc dicit respondens ei quod supra Eliphaz dixerat « Numquid homo comparatione Dei iustificabitur? ».

Et unde hoc sciat consequenter ostendit ex quodam signo. Cum enim aliquis comparatione alterius iustus est, libere et secure potest cum eo contendere, quia per mutuam disceptationem iustitia et veritas manifestatur; nulli autem homini tutum est cum Deo contendere, et ideo subdit *Si voluerit contendere cum eo*, scilicet homo cum Deo, *non poterit respondere ei*, scilicet homo Deo, *unum pro mille*. Sciendum siquidem est quod maior numerorum qui apud nos proprium nomen habeat est millenarius, nam omnes maiores numeri per replicationem inferiorum numerorum nominantur, ut puta decem millia, centum millia; et hoc rationabiliter accidit, nam secundum quosdam antiquorum species numerorum usque ad decem protenduntur, postmodum enim priores numeri repetuntur – quod quidem secundum nominationem manifestum est quicquid sit secundum rei veritatem –; cubicus autem ex denario consurgens millenarius est: decies enim decem decies mille sunt. Millenarium igitur numerum quasi maximum numerorum nominatorum apud nos pro quantumcumque magno determinato numero sumpsit: idem est ergo quod dicit quod non potest homo Deo respondere *unum pro mille* ac si diceret quod nulla determinata numeri mensura metiri potest quantum divina iustitia humanam excedat, cum haec sit finita, illa autem infinita.

Quod autem homo in contendendo nulla proportione possit ad Deum accedere, ostendit consequenter cum dicit *Sapiens corde est et fortis robore*, scilicet Deus. Duplex enim est contentio: una qua contenditur disputando et haec est per sapientiam, alia qua contenditur pugnando et haec est per fortitudinem; in utroque autem excedit Deus quia et fortitudine et sapientia omnem fortitudinem et sapientiam excedit. Et utrumque horum excessuum ostendit consequenter, et primo excessum fortitudinis, quem quidem ostendere incipit quantum ad homines cum dicit *quis restitit ei et pacem habuit?*, quasi dicat 'nullus'. Sciendum siquidem est quod aliter homo obtinet pacem a potentiori, aliter a minus potenti vel ab aeque potenti: manifestum est enim quod potentior a minus potenti pacem acquirit contra eum pugnando, sicut cum rex potens contra aliquem rebellem in suo regno bellum movet et victoriam obtinens pacem regni reformat; similiter etiam et ab aeque potenti quandoque aliquis pa-

1 Et *om.* N γ δ(-Pd) 11 incepit] incipit F pN As δ(-R) π *om.* R 33 habeat] habet sN β¹ As δ¹ π est Sv 45 determinato] indeterminato sF sN 65 potenti¹] — te F F² γ π (*def.* R) 70 aeque potenti *scripsi.* (*cf. supra lin.* 65)] eque potente F² γ equipotente *cet.*

5 Cap. IV¹⁷. 7 Cap. VII¹²,¹⁹. 11 Cap. VIII³. 13 Cap. VIII²⁰. 14 primo: cf. 'Postquam' lin. 508. 23 Cap. IV¹⁷. 33 millenarius: cf. Dionys. *De cael. hier.* cap. 14 (PG 3,321 A; Dion. 980) ut refert Thomas *I Pars* q. 112 a. 4 ad 2. 37 quosdam: e.g. Plato sec. Arist. *III Phys.* 10 (206 b 32) ut refert Thomas *Super I Metaph.* 7 (986 a 9). 42 millenarius: cf. August. *XX De civ. Dei* cap. 7 (PL 41,668); Thomas *Super IV Sent.* d. 43 a. 3 qc. 1 ad 4. 60 primo: cf. 'Postquam' lin. 194.

[5] Qui transtulit montes, et nescierunt hi quos subvertit in furore suo. [6] Qui commovet terram de loco suo,

cem obtinet pugnando: licet enim eum superare non possit, tamen assiduitate pugnae eum fatigat ut ad pacem reducatur; sed a magis potente numquam aliquis pacem obtinet resistendo vel pugnando, sed se ei humiliter subdendo. Hoc est igitur evidens signum quod fortitudo Dei omnem humanam fortitudinem excedit, quia nullus cum eo pacem habere potest resistendo sed solum humiliter oboediendo, unde dicitur Is. XXVI[3] «Servabis pacem, pacem, quia in te speravimus»; sed impii qui Deo resistunt pacem habere non possunt, secundum quod dicitur Is. LVII[21] «Non est pax impiis, dicit Dominus», et hoc est quod hic dicitur *quis restitit ei et pacem habuit?*

Deinde ostendit quod fortitudo Dei omnem fortitudinem rerum naturalium excedit, et hoc quidem ostendit tam in corporibus superioribus quam inferioribus. In corporibus quidem inferioribus hoc ostendit ex hoc quod ea quae maxime videntur esse stabilia et firma in inferioribus corporibus pro sua voluntate movet. Inter corpora igitur mixta, ad quae post homines transitum facit, maxime videntur esse firma et stabilia montes, quorum stabilitati sanctorum stabilitas in Scripturis comparatur, secundum illud Psalmi «Qui confidunt in Domino sicut mons Sion»; et tamen montes Deus sua virtute movet, et hoc est quod subditur *Qui transtulit montes*, quod quidem etsi miraculose divina virtute fieri possit – cum hoc videatur firmitati fidei repromissum, secundum illud Matth. XXI[21] «Si habueritis fidem et non haesitaveritis, si monti huic dixeritis: Tolle et iacta te in mare, fiet» et Cor. XIII «Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam» –, tamen congruentius videtur ut hoc ad naturalem cursum rerum referatur. Hoc enim habet naturae ordo ut omne quod naturaliter generatur etiam determinato tempore corrumpatur: unde cum generatio montium sit naturalis, necesse est quod quandoque montes naturaliter destruantur; et hanc quidem naturalem montium corruptionem translationem vocat, eo quod dissolutio montium et ruina cum quadam translatione partium eius accidit. Nec autem irrationabiliter ea quae naturaliter contingunt divinae virtuti attribuit: cum enim natura agat propter finem, omne autem quod ad finem certum ordinatur vel se ipsum dirigit in finem vel ab alio dirigente in finem ordinatur, necesse est quod res naturalis, quae finis notitiam non habet ut se in ipsum dirigere possit, ab aliquo superiori intelligente ordinetur in finem. Comparatur igitur tota naturae operatio ad intellectum dirigentem res naturales in finem, quem Deum dicimus, sicut comparatur motus sagittae ad sagittatorem: unde sicut motus sagittae convenienter sagittatori attribuitur, ita convenienter tota naturae operatio attribuitur virtuti divinae; unde si per operationem naturae montes subruuntur, manifestum est quod a virtute divina montium stabilitas superatur. Contingit autem quandoque apud homines quod aliquis rex sua virtute aliquam fortem civitatem expugnat, quod quanto citius et insensibilius fit tanto magis virtus regis demonstratur; hoc igitur quod montes transferuntur maxime virtuti divinae attestatur cum quasi subito et insensibiliter fiat, ut etiam ab his qui circa montes habitant et per subversionem montium pereunt praecognosci non possit, et hoc est quod subditur *et nescierunt hi quos subvertit in furore suo*, quasi dicat: adeo subito tantam rem Deus operatur quod etiam hi qui circa montes habitant praenoscere non possunt, quod inde evidens fit quia si praecognoscerent, sibi caverent ut non subverterentur. Addit autem *in furore suo*, ad ostendendum quod Deus interdum naturales operationes moderatur secundum ordinem suae providentiae prout necessarium est ad hominum peccata punienda, quibus metaphorice irasci dicitur cum in eos vindictam exercet, quae apud nos solet esse irae effectus.

Ex corporibus autem mixtis transit ad elementa, inter quae firmissimum et stabilissimum videtur esse terra quae est immobilis sicut centrum motus totius, et tamen quandoque secundum aliquas partes suas movetur naturaliter ex vapore incluso, ut philosophi tradunt, et hoc est quod subdit *Qui commovet terram de loco suo*, non quidem totaliter secundum se totam sed cum aliquae partes eius agitantur, sicut

79 pacem *semel tantum* N F^2 $\gamma(-F^2)$ δ π 86 quam] in *add.* sN β F^2 111 autem *coni.*] est F N Va enim F^2 F^3 tamen δ^1 π *om.* $\beta(-F^2)$ $\gamma(-F^2)$ 113 attribuit] —bui F sN 118 intelligente] agente γ δ^1 π 138 praenoscere] precognoscere N γ π 153 totaliter] vel *add.* γ π se *om.* N β^1 γ δ^1 π 154 totam] totum sN γ Pd π agitantur *coni.*] habitantur F N β^1 γ habitentur δ^1 mutantur V^2 moventur π *om.* Va

94 Ps. CXXIV[1]. 101 I Cor. XIII[2]. 106 corrumpatur: sec. Arist. *I De caelo* 28 (282 b 4) ut refert Thomas *Super II Sent.* d. 20 q. 1 a. 1 arg. 2. 114 propter finem: cf. Arist. *II Phys.* 8 (196 b 21) et 13 (199 a 7) sec. Thomam *I-II* q. 1 a. 2 sed c. 121 motus sagittae: exemplum sec. Arist. *I Ethic.* 2 (1094 a 23) ut videtur. 145 irasci: cf. supra cap. 3 551 nota. 149 immobilis: cf. Arist. *II De caelo* 26 (296 b 21). 151 philosophi: e. g. Arist. *II Meteora* cap. 8 (366 a 4).

et columnae eius concutientur. [7] Qui praecipit soli, et non oritur, et stellas claudit quasi sub signaculo. [8] Qui extendit caelos solus et graditur super fluctus maris.

in terraemotu accidit; in quo quidem motu etiam montes concutiuntur, qui sunt quasi columnae super terram fundatae, unde sequitur *et columnae eius concutientur*. Possunt etiam per columnas ad litteram intelligi columnae et quaecumque alia aedificia videntur terrae adhaerere, quae in terraemotu concutiuntur; vel possunt intelligi per columnas terrae inferiores et intimae partes terrae, eo quod sicut domus stabilitas super columnas firmatur ita stabilitas terrae ex centro procedit, ad quod omnes partes terrae naturaliter tendunt, et per consequens omnes inferiores partes terrae sunt superiorum sustentatrices et quasi columnae: et sic cum terraemotus ex profundis partibus terrae procedat, videtur quasi ex concussione columnarum terrae causari.

Ultimo autem ad corpora caelestia procedit, quae etiam virtuti divinae cedunt. Considerandum est autem quod sicut de natura terrae est immobilitas et quies, ita de natura caeli est quod semper moveatur; sicut ergo virtus terrae ostenditur superari a virtute divina per motum qui in ea apparet, ita virtus caelestis corporis ostenditur a virtute divina superari per hoc quod motus eius impeditur per quem fit solis et aliorum siderum ortus et occasus, et ideo subdit *Qui praecipit soli, et non oritur*. Quod quidem non dicitur propter hoc quod ortus solis impediatur secundum rei veritatem, cum motus caeli continuus sit, sed quia secundum apparentiam aliquando non oriri videtur, puta cum aer fuerit nubilosus intantum quod solis ortus habitantibus super terram in solita claritate apparere non possit; huiusmodi autem nebulositas, cum per operationem naturae fiat, convenienter divino praecepto attribuitur, a quo tota natura in sua operatione regulatur, ut dictum est. Et quod sic intelligat solem non oriri inquantum solis ortus occultatur, manifeste apparet ex hoc quod subditur *et stellas claudit quasi sub signaculo:* stellae enim quasi claudi videntur cum nubibus caelum obtegitur ne stellae inspici possint.

Qui extendit caelos solus etc. Postquam beatus Iob ostendit robur divinae fortitudinis, hic incipit ostendere profunditatem divinae sapientiae. Procedit autem contrario ordine nunc et prius: nam primo quidem incepit ab ostensione divinae fortitudinis in rebus humanis et processit usque ad corpora caelestia, hic autem incipit a corporibus caelestibus et procedit usque ad res humanas; et hoc rationabiliter, nam sapientia factoris ostenditur in hoc quod opera stabilia facit, et ideo in ostensione divinae sapientiae incipit a creaturis magis stabilibus, utpote ab habentibus evidentius divinae sapientiae indicium; robur autem alicuius fortitudinis ostenditur ex hoc quod potest aliqua a suo statu mutare – unde homines consueverunt examinari in elevatione vel proiectione lapidum, prostratione hominum et huiusmodi –, et propterea cum ostendebat robur divinae fortitudinis, incepit ab his in quibus manifestius apparet mutatio.

Sic igitur ad ostendendam divinam sapientiam a corporibus caelestibus incipit dicens *Qui extendit caelos solus*. Sciendum autem est quod sapientia Dei in tribus praecipue commendabilis apparet, primo quidem in hoc quod aliqua magna suo intellectu et sapientia metiri potest, et quantum ad hoc dicit *Qui extendit caelos solus:* in extensione enim caelorum magnitudo quantitatis eorum exprimitur; sic igitur Deus solus extendisse caelos dicitur inquantum ipse solus tantam quantitatem sua sapientia mensuratam caelis dare potuit. Secundo Dei sapientia commendabilis apparet in hoc quod res variabiles et quasi in incertum fluctuantes in certum ordinem reducit et suae gubernationi subditas esse facit, et quantum ad hoc subdit *et graditur super fluctus maris:* fluctus enim maris inordinatissimi esse videntur utpote quia ventis variis nunc hac nunc illac circumferuntur, et tamen super eos Deus graditur inquantum eos Deus suae gubernationi subdit. Tertio Dei sapientia commendabilis apparet ex hoc quod Deus multa condidit secundum suae sapientiae rationem quae mirabilia hominibus apparent, et eorum rationem investigare non possunt, et haec praecipue sunt quae in situ et dispositione stellarum apparent, quae tamen a Deo sapientissime et rationabiliter sunt instituta. Et haec quidem enumerat incipiens a polo septentrionali et procedens usque ad polum

156 super] supra F V^2 δ(-R) 159 aedificia] quecumque *add.* (*et delevimus*) F pN β que *add.* sN γ $δ^1$ π 162 inferiores] partes *add.* N δ π 177 quod] si N β Va impeditur] — diretur N β γ(-Sv) δ(-Pd) π 178 ortus] motus N $β^1$ γ δ 178 occasus] et ortus *add.* γ 208 examinari] —nare pN β(-V^1) $δ^1$ π —nare robur sue fortitudinis Va —nare se sR 209 huiusmodi] fortitudinem suam *add.* π 210 propterea] propter hoc N $β^1$ $δ^1$ cum ostendebat] ostendens $β^1$ Iob cum ostenderet γ π cum ostenderet Iob $δ^1$

182 continuus: cf. Arist. *II De caelo* 6 (287 a 23). 189 dictum est: lin. 124. 201 res humanas: infra lin. 292.

[9] Qui facit Arcturum et Oriona et Hyadas et interiora Austri. [10] Qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia, quorum non est numerus. [11] Si venerit ad me non videbo, si abierit non intelligam eum.

meridionalem, unde dicit *Qui facit Arcturum:* Arcturus quidem est quaedam constellatio in caelo quae vocatur Ursa maior et habet septem stellas claras quae numquam nobis occidunt sed semper circueunt polum septentrionalem. Sequitur *et Oriona:* Orion est quaedam constellatio multum evidens in caelo propter sui magnitudinem et claritatem stellarum quae dicuntur esse in Tauro et Geminis. Sequitur *et Hyadas*, quae sunt quaedam stellae in pectore Tauri, ut dicitur, existentes et sunt etiam multum notabiles visu. Sequitur *et interiora Austri*, ubi considerandum est quod his qui sub aequinoctiali habitant, si tamen aliqui ibi habitant, uterque polus conspicuus est, cum horizon eorum ad rectos angulos aequinoctialem secet, et sic oportet quod transeat per utrumque polum aequinoctialem, unde uterque polus redditur conspicuus habitantibus sub aequinoctiali, ut dictum est; recedentibus autem ab aequinoctiali et accedentibus versus polum septentrionalem, elevatur super horizontem polus septentrionalis et deprimitur polus australis secundum modum elongationis ab aequinoctiali: unde nobis qui in parte septentrionali sumus polus australis numquam potest esse conspicuus, et similiter stellae ei vicinae occultae sunt nobis secundum quantitatem qua elongamur ab aequinoctiali, et haec dicuntur hic *interiora Austri* quia sunt nobis occulta, quasi sub horizonte abscondita et depressa.

Et ne aliquis credat quod in praedictis solum divina sapientia se manifestaverit, ostendit consequenter quod multa alia similia innumerabilia nobis Deus fecit, dicens *Qui facit magna*, in quibus scilicet commendabilis apparet Dei sapientia ex commensuratione magnitudinis: et hoc respondet ei quod dixerat « Qui extendit caelos solus »; *et inscrutabilia*, quae scilicet homines scrutari non possunt propter eorum instabilitatem, quae tamen divina gubernatione ordinantur: et hoc respondet ei quod dixerat « Et graditur super fluctus maris »; *et mirabilia*, quorum scilicet rationes homines considerare non possunt licet a Deo secundum rationem sint facta: et hoc respondet ei quod dixerat « Qui facit Arcturum » etc. Quod autem addit *quorum non est numerus* ad singula referendum est, ita tamen quod intelligantur divina opera innumerabilia esse hominibus, sed numerabilia Deo qui facit « omnia in numero, pondere et mensura ».

Si venerit ad me non videbo. Beatus Iob volens ostendere suam intentionem non esse ut cum Deo contendat, per plura indicia profunditatem divinae sapientiae in rebus naturalibus ostendit; nunc autem vult ostendere profunditatem divinae sapientiae in rebus humanis. Considerandum est autem quod ad rectorem humanarum rerum tria pertinere videntur: primum est ut suis subiectis iustitiae praecepta et alia beneficia dispenset, secundum est ut actus subditorum examinet, tertium est ut quos culpabiles invenit poenis subiciat. In his ergo tribus immensam profunditatem divinae sapientiae ostendit: primo quidem quia tam profunde et subtiliter suis subditis providet sua beneficia quod etiam eis qui recipiunt incomprehensibile est, et hoc est quod dicit *Si venerit ad me non videbo, si abierit non intelligam eum.* Ubi considerandum est quod in Scripturis Deus venire ad hominem dicitur quando ei sua beneficia largitur, sive intellectum eius illuminando sive affectum inflammando sive qualitercumque ei benefaciendo, unde dicitur Is. XXXV[4] « Deus noster ipse veniet et salvabit nos »; e contrario vero Deus ab homine recedere dicitur quando ei sua beneficia vel suam protectionem subtrahit, secundum illud Psalmi « Ut quid, Domine, recessisti longe, despicis in opportunitatibus, in tribulatione? ». Contingit autem quandoque quod Deus aliquibus vel tribulationes vel etiam aliquos spirituales defectus evenire permittit ad procurandum eorum salutem, sicut dicitur Rom. VIII[28] « Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum »; sic ergo Deus ad hominem venit eius procurando salutem, et tamen homo eum non

244 Oriona] —nas β(-F²) δ¹ π —nam γ —nem Va orizona F² 252 si...habitant *hom. om.* F β 259 polus] poli F pN β¹ 266 quia] que F γ(*def.* As) 268 aliquis] quis β δ π 285 sed *scripₛ. cum* F] sunt tamen (*in ras.* sN) sN V¹ sint F² licet sint δ(*def.* Pd) non γ π autem *post* numerabilia V² 285 numerabilia] innumerabilia γ π 287 non videbo] etc. F eum *add.* F² γ(-F²) δ(-R) π ipsum *add.* F² 289 contendat] contempnat F β(-F²) 294 suis *om.* N γ 302 videbo] eum *add.* γ δ(-R) π (*def.* F V²)

240-244 Arcturus...Orion: cf. Isid. *III Etymol.* cap. 71 (PL 82,179) et Barthol. Anglic. *VIII De propriet. rerum* cap. 35 et 36. 248 in pectore Tauri: cf. Isid. l. c. et Barthol. Anglic. ibid. cap. 37, ubi tamen habetur 'in fronte Tauri'. 252 si...habitant: cf. Arist. *II Meteora* 10 (362 b 25). 253 conspicuus est: cf. ipse Thomas *Super II De caelo* 3 (285 b 23) et 28 (297 b 31). 257 dictum est: lin. 251. 274 Vers. 8. 278 Vers. 8. 281 Vers. 9. 285 Sap. XI[21]. 311 Ps. IX[22].

[12] Si repente interroget, quis respondebit ei? Vel quis dicere ei potest: Cur ita facis? [13] Deus cuius irae resistere nemo potest, et sub quo curvantur qui portant orbem. [14] Quantus ergo ego sum qui respondeam ei et loquar verbis meis cum eo? [15] Qui etiam si habuero quippiam iustum non respondebo, sed meum iudicem deprecabor.

videt quia beneficium eius non percipit; e contrario vero multis Deus manifesta beneficia non subtrahit quae tamen in eorum perniciem vergunt, et ideo dicitur quod Deus sic recedit ab homine quod homo eum non intelligit recedentem. Sic ergo apparet profunditas sapientiae divinae in dispensatione suorum beneficiorum.

Ostenditur autem secundo divinae sapientiae profunditas in examinatione humanorum actuum, quia videlicet sic subtiliter et efficaciter examinat ut eius examinationem nullus per quamcumque cavillationem subterfugere possit, et hoc est quod dicit *Si repente interroget, quis respondebit ei?* Interrogat autem Deus hominem quando eum ad considerandum suam conscientiam reducit, vel interius inspirando vel exterius provocando beneficiis aut flagellis, secundum illud Psalmi «Dominus interrogat iustum et impium»; tunc autem homo sufficienter Deo responderet quando in eo nihil inveniretur quod iuste a Deo reprehendi posset, quod nulli hominum in hac vita contingit, secundum illud Prov. XX[9] «Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum a peccato?». Signanter autem dicit *Si repente interroget*, quia si homini spatium respondendi detur potest per paenitentiam delicta diluere. Contingit autem quandoque quod aliquis in examinando aliorum excessus remissus invenitur, timens ne et sui excessus versa vice ab aliis examinentur, sed hoc Deo formidandum non est ut in sua examinatione mollescat, quia non habet superiorem qui de eius factis iudicare possit, et ideo subditur *Vel quis dicere ei potest: Cur ita facis?*, quasi eum castigando.

Tertio autem ostenditur divinae sapientiae profunditas in punitione delictorum, quia quocumque se vertat homo, nulla astutia, nulla potentia Dei vindictam declinare potest, secundum illud Psalmi «Quo ibo a spiritu tuo et quo a facie tua fugiam?», et hoc est quod dicit *Deus cuius irae resistere nemo potest:* ira enim secundum quod Deo attribuitur in Scripturis non importat commotionem animi sed vindictam. Huius autem probationem consequenter inducit: *et sub quo curvantur qui portant orbem.* Intelligendi sunt autem portare orbem caelestes spiritus quorum ministerio tota corporalis creatura divinitus procuratur, ut Augustinus dicit III De Trinitate. Hi autem caelestes spiritus sub Deo curvantur quia ei per omnia oboediunt, secundum illud Psalmi «Benedicite Domino omnes angeli eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius»; sic igitur angelis Deo oboedientibus, manifestum est quod totus cursus rerum corporalium qui per angelos administratur divinae subiacet voluntati, et sic ex nulla creatura homo potest habere auxilium ad effugiendum Dei vindictam, secundum illud Psalmi «Si ascendero in caelum tu illic es, si descendero ad infernum ades»; quin immo, ut dicitur Sap. V[21], «Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos». Possent etiam intelligi portare orbem reges et principes mundi qui sub Deo curvantur, secundum illud Prov. VIII[15] «Per me reges regnant», vel quia nec ipsi reges irae divinae resistere possunt, ut ex hoc a maiori idem de aliis concludi possit.

Sic igitur ostensa multipliciter immensitate divinae potentiae et profunditate divinae sapientiae, concludit propositum, quod scilicet suae intentionis non est cum Deo contendere, et hoc est quod dicit *Quantus ergo ego sum*, idest quam potens, quam sapiens, *qui respondeam ei*, scilicet Deo interroganti potentissimo et sapientissimo, *et loquar verbis meis cum eo*, examinando facta eius et dicendo «cur ita facis?», ac si diceret: non sufficiens sum ut contendam cum Deo; contentio enim in respondendo et obiciendo consistit. Contingit autem quandoque quod aliquis, etsi non sit multum potens aut sapiens, tamen propter securitatem suae conscientiae non formidat contendere cum quovis iudice; sed hanc etiam causam contendendi cum Deo a se excludit dicens *Qui etiam si habuero quippiam iustum non respondebo*, scilicet Deo examinanti quasi meam iustitiam defendendo, *sed meum iudicem deprecabor*, quasi non petens iudicium sed misericordiam. Signanter autem dicit *si habuero quippiam iustum*, ad designandum incertitudinem humanae iustitiae per hoc quod dicit *si habuero*, secundum illud Apostoli

336 responderet] —det N F^2 δ π —deretur V^2 337 inveniretur] —nitur sN δ π 373 ad] in β(*def.* F^2) Va *om.* R (*def.* F As Sv) 386 qui] quod β^1 γ(-Sv) R ut Pd π 389 sum] *om.* F pN *ante* sufficiens F^2 γ

335 Ps. X^6. 354 Ps. CXXXVIII[7]. 357 ira...vindictam: cf. supra cap. 3 551 nota. 361 caelestes spiritus: cf. Gregor. *IX Moral.* cap. 16 (PL 75,874 C). 363 Cap. 4 (PL 42,873). 366 Ps. CII[20]. 372 Ps. CXXXVIII[8]. 376 reges...: cf. Gregor. *IX Moral.* cap. 16 (PL 75,874 A). 383 propositum: cf. supra lin. 15. 388 Vers. 12.

[16] Et cum invocantem exaudierit me, non credo quod audierit vocem meam; [17] in turbine enim conteret me et multiplicabit vulnera mea etiam sine causa, [18] non concedet requiescere spiritum meum et implet me amaritudinibus. [19] Si fortitudo quaeritur, robustissimus est; si aequitas iudicii, nemo pro me audet testimonium dicere. [20] Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me;

I ad Cor. IV[4] «Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum», et ad ostendendum quod iustitia hominis parva est et imperfecta ad divinum examen relata, propter quod dicit *quippiam*, secundum illud Is. LXIV[6] «Omnes iustitiae nostrae quasi pannus menstruatae» sic sunt coram illo.

Quid autem ex sua deprecatione consequatur, ostendit cum subdit *Et cum invocantem exaudierit me, non credo quod audierit vocem meam.* Contingit enim quandoque quod Deus hominem exaudit non ad votum sed ad profectum: sicut enim medicus non exaudit ad votum infirmum postulantem amoveri medicinam amaram, si medicus eam non removeat eo quod scit eam esse salutiferam, exaudit tamen ad profectum quia per hoc sanitatem inducit quam maxime infirmus desiderat, ita Deus homini in tribulationibus constituto tribulationes non subtrahit, quamvis deprecanti, quia scit eas expedire ad finalem salutem; et sic licet Deus vere exaudiat, tamen homo in miseriis constitutus se exaudiri non credit. Et quare non credat ostendit subdens *in turbine enim conteret me;* et more suo quod metaphorice dictum est exponit subdens *et multiplicabit vulnera mea etiam sine causa:* hoc enim est conterere quod multiplicare vulnera, idest tribulationes, et hoc est *in turbine*, idest in horribili obscuritate, quod dicit *sine causa*, scilicet manifesta et ab homine afflicto perceptibili; si enim homo afflictus perciperet causam quare Deus eum affligit et quod afflictiones sunt ei utiles ad salutem, manifestum est quod crederet se exauditum, sed quia hoc non intelligit credit se non exauditum. Et ideo non solum exterius affligitur sed etiam interius, sicut infirmus qui nesciret se per medicinam amaram sanitatem consecuturum non solum affligeretur in gustu sed etiam in animo, et ideo subdit *non concedet requiescere spiritum meum:* requiescit enim spiritus licet carne afflicta propter spem finis, secundum quod Dominus docet Matth. V[11] «Beati eritis cum maledixerint vobis homines», et postea subdit «Gaudete, quoniam merces vestra copiosa est in caelis»; et sic dum affligor exterius et interius non requiesco, *implet me amaritudinibus*, scilicet intus et extra.

Et est considerandum quod ab illo loco «Et cum invocantem exaudierit» etc. evidenter exposuit quod supra occulte dixerat «Si venerit ad me non videbo»: hoc enim fere ubique in dictis Iob observandum est quod obscure dicta per aliqua consequentia exponuntur. Et quia supra breviter et summarie dixerat «Quantus ego sum qui respondeam ei?», hoc consequenter diffusius explicat, ubi etiam assignat causam quare non respondet sed iudicem deprecatur. Quod enim aliquis audacter iudici respondeat potest ex duobus contingere: primo quidem si iudex sit debilis qui subditum coercere non possit, sed hoc excludit dicens *Si fortitudo quaeritur*, scilicet in Deo ad subditos coercendum, *robustissimus est*, omne robur excedens; secundo aliquis audacter respondet iudici quia confidit de sua causa, quod aliquando contingit quia habet multos excusatores, sed hoc excludit dicens *si aequitas iudicii*, scilicet requiritur, secundum quam aliquis habens pro se multos testes absolvitur, *nemo pro me audet testimonium dicere:* intellectus enim hominis hoc non capit quod hominis iustitia maior sit quam veritas Dei redarguentis. Aliquando vero homo, etsi non habeat alios testes pro se, confidit tamen de causa sua innitens testimonio conscientiae suae; sed testimonium conscientiae non potest valere homini contra redargutionem divinam, et hoc ostendit per singulos gradus. Habet enim testimonium conscientiae tres gradus, quorum summus est quando alicui conscientia sua testimonium reddit quod sit iustus, secundum illud Rom. VIII[16] «Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei»; sed hoc testimonium non valet contra divinam reprehensionem, unde dicit *Si iustificare me voluero*, idest si voluero dicere me esse iustum, Deo mihi obiciente quod sim impius, *os meum condemnabit me*, idest condemnabilem me reddet propter blasphemiam. Secundus gradus est quando aliquis, etsi non praesumat se esse iustum, tamen non reprehendit eum conscientia de aliquo peccato, secundum illud I ad Cor. IV[4] «Nihil mihi conscius sum»; sed nec hoc testimonium valet contra

403 IV] x N β γ(-Sv) δ π *om.* pN habiturum sN 414 infirmum] *hic et ante* ad pN *ante* ad F sN F[2] 436 consecuturum] —cutum F β(-V[1])

442 Matth. V[12]. 446 Vers. 16. 448 Vers. 11. 452 Vers. 14.

si innocentem ostendero, pravum me comprobabit. [21] Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea et taedebit me vitae meae. [22] Unum est quod locutus sum: innocentem et impium ipse consumit. [23] Si flagellat, occidat semel, et de poenis innocentium non rideat. [24] Terra data est in manus impii, vultum iudicum eius operit. Quod si ille non est, quis ergo est?

Deum, unde dicit *si innocentem ostendero*, idest si voluero me ostendere esse sine peccato, *pravum me comprobabit*, inquantum mihi vel aliis manifestabit peccata quorum mihi non sum conscius quia, ut dicitur in Psalmo, «Delicta quis intelligit?». Tertius gradus est quando aliquis, etsi sit sibi conscius de peccato, tamen praesumit vel quia non habuit malam intentionem aut quia non fecit ex malitia et dolo sed ex ignorantia et infirmitate; sed nec hoc testimonium valet homini contra Deum, et ideo dicit *Etiam si simplex fuero*, idest sine dolo vel duplicitate pravae intentionis, *hoc ipsum ignorabit anima mea:* homo enim non potest ad liquidum motum sui affectus deprehendere, tum propter variationem eius tum propter permixtionem et impetum multarum passionum, propter quod dicitur Ier. XVII[9] «Pravum est cor hominis et inscrutabile; quis cognoscet illud?». Et propter huiusmodi ignorantiam quod homo se ipsum non cognoscit nec statum suum, redditur etiam iustis sua vita taediosa, et propter hoc subdit *et taedebit me vitae meae.*

Unum est quod locutus sum. Postquam beatus Iob ostendit non esse suae intentionis ut cum Deo contendat, proponit illud de quo cum adversariis ei disputatio erat. Dixerat enim Eliphaz quod poenae a Deo non nisi pro peccatis immittuntur, contra quod in superiori responsione Iob locutus fuerat; et quia Baldath sententiam Eliphaz asserere conatus fuerat, Iob iterato sententiam suam repetit dicens *Unum est quod locutus sum: innocentem et impium ipse consumit*, quasi dicat: non solum peccatoribus sed etiam innocentibus mors a Deo immittitur, quae tamen est maxima poenarum praesentium, et sic non est verum quod vos dicitis, quod solum pro peccatis propriis homo puniatur a Deo. Quod autem mors a Deo sit dicitur Deut. XXXII[39] «Ego occidam et ego vivere faciam»; sed cum mors communiter omnibus immittatur a Deo, unum est quod durum videtur, scilicet quod innocentes praeter mortem communem multiplices adversitates sustinent in hac vita, cuius rei causam investigare intendit, et ideo subdit *Si flagellat, occidat semel*, quasi dicat: detur quod flagellum mortis omnibus sit commune, videretur tamen rationabile quod innocentibus, qui ex propriis peccatis non sunt rei, praeter mortem quae debetur peccato communi aliam poenam infligere non deberet. Si enim, ut vos dicitis, nulla alia causa est quare iuste alicui infligi poena possit nisi peccatum, manifestum est autem innocentes pati poenam in hoc mundo, videtur sequi quod sine causa puniantur ac si ipsae poenae propter se Deo placerent, et ideo subdit *et de poenis innocentium non rideat:* de illis enim ridere solemus quae nobis secundum se placent.

Si autem hoc est inconveniens quod poenae innocentium Deo secundum se placeant, inveniuntur autem innocentes frequenter in terris puniri, videtur sequi aliud inconveniens, scilicet quod istae poenae ex divino iudicio non procedant sed ex malitia alicuius iniqui domini qui habeat potestatem in terra et puniat innocentes, unde sequitur *Terra data est in manus impii*, quasi dicat: si ipsi Deo non placent secundum se poenae innocentium qui tamen puniuntur in terra, oportebit dicere quod Deus regimen terrae alicui impio commiserit, ex cuius iniquitate iudicium in terra pervertitur ut innocentes puniantur; et hoc est quod subdit *vultum iudicum eius operit*, idest rationem eorum obnubilat vel cupiditate aut odio aut amore, ne veritatem iudicii in iudicando sequantur. *Quod si ille non est*, scilicet impius cui tradita est terra, a quo scilicet causatur innocentium punitio, *quis ergo est*, scilicet huius punitionis causa? Non enim dici potest, ut ostensum est, quod hoc sit a Deo, supposita vestra positione quod solum peccatum sit causa poenarum praesentium. Hoc autem quod dixit *Terra data est in manus impii* est quidem secundum aliquid verum, inquantum scilicet terreni homines sub potestate diaboli a Deo relinquuntur, secundum illud «Qui facit peccatum servus est peccati»; simpliciter autem est falsum: non enim diabolo absolute ter-

521 puniatur] punitur F γ(-F[2]) π 523 ego *om.* pN β(-V[1]) (*def.* F) 529 videretur] videtur β[1] γ(-As) δ[1] π 534 possit] posset pN γ Pd π potuit R (*def.* β)

491 Ps. XVIII[13]. 511 Dixerat: cap. IV[7]. 513 locutus fuerat: cap. VI[2]. 519 maxima poenarum: cf. supra cap. 8 73 nota 560 ostensum est: lin. 520. 566 Ioh. VIII[24].

[25] Dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt et non viderunt bonum, [26] pertransierunt quasi naves poma portantes, sicut aquila volans ad escam. [27] Cum dixero: Nequaquam ita loquar, commuto faciem meam et dolore torqueor. [28] Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.

rae dominium est concessum, ut scilicet libere in ea facere possit quod velit, sed quicquid facere permittitur ex divina dispositione procedit quae omnia ex rationabili causa dispensat; unde hoc ipsum quod innocentes puniantur non dependet absolute ex malitia diaboli sed ex sapientia Dei permittentis. Unde si peccatum non est causa punitionis innocentium, non sufficit hoc ad malitiam diaboli reducere, sed oportet ulterius aliquam rationabilem causam esse propter quam Deus permittit, et ideo signanter dicit *Quod si ille non est, quis ergo est?*, quasi dicat: si malitia diaboli non est sufficiens causa punitionis innocentium, oportet aliam causam investigare.

Ad investigandum igitur rationem quare innocentes puniantur in hoc mundo, primo proponit defectum quem sustinuerat in amissione bonorum, ostendens mutabilitatem prosperitatis praesentis ex similitudine eorum quae videntur esse velocissima in hoc mundo. Sed considerandum est quod ad prosperitatem huius mundi aliqui diversimode se habent: quidam enim ipsam pro fine habent nihil ultra ipsam sperantes – ad quod videbatur declinare illorum opinio qui omnia praemia et poenas in hac vita constituebant –, tales autem non pertranseunt prosperitatem huius mundi, sed prosperitas huius mundi fugit ab eis quando eam amittunt; quidam vero, de quorum numero fuit Iob, in prosperitate huius mundi finem non ponunt sed ad alium finem tendunt, et tales prosperitatem huius mundi magis ipsi pertranseunt quam pertranseantur ab ea. Tendentibus autem ad aliquem finem tria sunt necessaria: primum est ut in nullo alio cor suum figant per quod retardari possint a fine, sed festinent ad finem consequendum, et ideo primo ponit exemplum de cursore qui sic tendit ad finem sui cursus quod in via moram non contrahit, unde dicit *Dies mei velociores fuerunt cursore*, in quibus verbis et labilitatem praesentis fortunae et intentionem suam in aliud tendentem demonstrat; *fugerunt*, quasi in rebus huius mundi requie cordis non inventa, unde sequitur *et non viderunt bonum*, scilicet in quod mea intentio ferebatur, quod est verum bonum: unde pro iustitia me remuneratum non reputo; quod si prosperitatem praesentem remunerationem putatis, ea subtracta innocens punitus sum. Secundo requiritur quod tendens in aliquem finem acquirat sibi illa per quae possit ad finem pervenire, sicuti qui vult sanari oportet quod acquirat medicinas quibus sanetur; similiter qui vult ad verum bonum pervenire oportet quod conquirat virtutes quibus illud consequi possit, unde subdit *pertransierunt quasi naves poma portantes*, in quo etiam duo demonstrat: et labilitatem praesentis fortunae, quia naves poma portantes ad vendendum festinant ne per moram putrescant, et studium tendendi in finem, quasi dicat: dies mei non pertransierunt vacui, sed virtutes congregavi cum quibus tendo ad finem consequendum. Tertium restat consecutio finis, unde dicit *sicut aquila volans ad escam*, in quo etiam duo praedicta designantur: nam aquila velocis volatus est praecipue cum a fame impellitur, et escam habet pro fine quo reficitur.

Quia ergo in his verbis quasi innuerat se esse iustum et innocentem, quod praesumptuosum ab adversariis reputabatur, incipit de sua innocentia conferre cum Deo qui solus est conscientiae iudex, unde subdit *Cum dixero*, scilicet in corde meo: *Nequaquam ita loquar*, ut scilicet sim iustus et innocens, *commuto faciem meam*, scilicet a fiducia quam conceperam de mea innocentia ad quandam sollicitudinem investigandi peccata, *et dolore torqueor*, in conscientiae propriae discussione recogitans ne forte pro aliquo peccato sic puniar. Et causam doloris subdit dicens *Verebar omnia opera mea:* est enim alicui magna causa doloris quando magnam sollicitudinem habet de re aliqua et tamen incidit in illud quod vitare studebat; ipse autem circa omnia opera sua magnam sollicitudinem apponebat, timens ne in aliquo a iustitia declinaret, et hoc est quod dicit *Verebar omnia opera mea*. Et causa quare sic verebatur in omni suo opere erat timor de severitate divini iudicii, unde subditur *sciens quod non parceres delinquenti*, nisi scilicet convertatur quia, sicut in Psalmo dicitur, «Nisi conversi fueritis gladium

572 puniantur] —untur N γ 578 ille] *post* non *cum Vulg.* F β(-F²) *post* est N F² 617 conquirat] acquirat F sN F² Sv 624 finem *coni. cum* sN V²] virtutes F pN β¹ premium γ δ¹ π beatitudinem Va 634 subdit] —tur β γ Va

580 aliam causam: cf. infra cap. 10 8. 582 primo: cf. 'consequenter' lin. 728. 589 illorum opinio: cf. supra cap. 7 12. 632 reputabatur: cf. cap. 4 112. 651 Ps. VII[13].

[29] Si autem et sic impius sum, quare frustra laboravi? [30] Si lotus fuero quasi aquis nivis et fulserint velut mundissimae manus meae, [31] tamen sordibus intinges me et abominabuntur me vestimenta mea. [32] Neque enim viro qui similis mei est respondebo, nec qui mecum in iudicio ex aequo possit audiri: [33] non est qui utrumque valeat arguere et ponere manum suam in ambobus. [34] Auferat a me virgam suam,

suum vibrabit». *Si autem*, post tantum studium innocentiae, *et sic impius sum* ut tam gravibus poenis a Deo puniri meruerim, *quare frustra laboravi* in tanta sollicitudine innocentiae conservandae? Frustra enim laborare dicitur qui suo labore tendit ad finem ad quem non pertingit.

Sed quia puritas hominis quantacumque sit ad divinum examen relata deficiens invenitur, ideo consequenter ostendit quod cum se purum et innocentem dicit, se purum et innocentem intelligit quasi hominem, non quasi in nullo penitus a rectitudine divinae iustitiae recedentem. Est autem sciendum quod duplex est puritas: una quidem innocentis altera paenitentis; utraque autem imperfecta est in homine si ad perfectam rectitudinem divinae regulae comparetur. Dicit ergo quantum ad puritatem paenitentis *Si lotus fuero*, idest si a peccatis meis me purgare studuero, *quasi aquis nivis*, quae bene abluitivae esse dicuntur; quantum vero ad puritatem innocentis subdit *et fulserint velut mundissimae manus meae*, idest et in operibus meis, quae per manus designantur, nulla inveniatur immunditia, sed fulgeat in eis iustitiae claritas – dicit autem *velut mundissimae* ad insinuandum quod in homine perfecta munditia esse non potest –; si, inquit, sic fuero mundus, *tamen sordibus intinges me*, idest sordidus demonstrabor tuae iustitiae comparatus et per tuam sapientiam convictus. Semper enim in operibus humanis aliquis defectus invenitur: quandoque quidem ex ignorantia propter debilitatem rationis, quandoque autem ex negligentia propter infirmitatem carnis; quandoque autem aliqua infectio alicuius terrenae affectionis etiam in bonis operibus admiscetur, propter volubilitatem humani cordis quod non fixum in eodem perseverat: unde semper aliquid in humanis operibus invenitur quod deficit a puritate divinae iustitiae. Cum autem aliquis immundus est qui tamen exterius aliquam iustitiae ostensionem habet, signa iustitiae quae de eo exterius apparent ei non competunt, et ideo subdit *et abominabuntur me vestimenta mea:* per vestimenta enim exteriora opera designantur quibus homo quasi contegitur, secundum illud Matth. VII[15] «Veniunt ad vos in vestimentis ovium»; tunc ergo vestimenta alicuius aliquem abominantur quando exteriora hominis quae iustitiam praetendunt interioribus non concordant.

Quare autem quantumcumque sit purus non potest se defendere quin a Deo convincatur impurus, consequenter ostendit ex duobus in quibus Deus hominem excellit, videlicet ex puritate iustitiae et ex auctoritate maiestatis. Quantum ergo ad primum dicit *Neque enim viro qui similis mei est respondebo*, quasi dicat: si aliquis homo me impurum vellet convincere, possem ei resistere, si mihi obiceret quae ipse sentiret in homine servari non posse de perfecta iustitiae puritate; sed sic respondere non possum Deo in quo nullus defectus invenitur. Quantum ad secundum dicit *nec qui mecum in iudicio ex aequo possit audiri:* cum enim duo homines ad invicem contendunt, iudicem possunt habere qui utriusque dicta examinet; sed hoc inter Deum et hominem esse non potest duplici ratione: una ratio est quia oportet quod in iudice sit altior sapientia quae sit quasi regula ad quam examinentur dicta utriusque partis; manifestum est autem quod divina sapientia est prima regula ad quam omnium veritas examinatur, et propter hoc subdit *non est qui utrumque valeat arguere*, quasi dicat: non est alius superior Deo ex cuius maiori sapientia divina sapientia corrigi possit. Alia ratio est quia oportet quod in iudice sit maior potestas qua possit utramque partem comprimere, et hoc excludit dicens *et ponere manum suam in ambobus*, idest coercere utrumque: hoc enim excluditur per immensitatem divinae potentiae, quam supra ostendit.

Et quia, ut dictum est, intendit perscrutari qua ratione innocentes puniantur in hoc mundo, consequenter ostendit quid eum impedire posset ab hac perscrutatione et qua intentione hoc perscrutari velit. Impediri autem posset ab hac perscrutatione ex duobus, primo quidem ex afflictione quam patiebatur: homines enim quorum mens occupata est tristitia non possunt subtiliter perscrutari, et quantum ad hoc dicit *Auferat a me virgam suam;* secundo ex

673 immunditia] munditia F pN β(-F²) Sv 710 possit] posset N β δ¹ (*def.* F)

655 Frustra: cf. Arist. *II Phys.* 10 (197 b 25) ut refert Thomas *De verit.* q. 2 a. 10 ad 3. 726 supra: vers. 4-7.
727 dictum est: lin. 527.

et pavor eius non me terreat. [35] Loquar et non timebo eum; neque enim possum metuens respondere.

reverentia quam ad Deum habebat: homines enim aliquando ex quadam reverentia quam ad Deum habent omittunt ea quae Dei sunt perscrutari, et quantum ad hoc dicit *et pavor eius non me terreat*, quasi dicat: concedat spiritum meum requiescere ab afflictione quam patior, et non imputetur mihi ad irreverentiam quod de divinis disputo; et sic potero perscrutari, unde sequitur *Loquar et non timebo eum*, idest ac si non timerem eum; *neque enim possum metuens respondere*, idest dum ex reverentia eius revocor a perscrutatione. Sciendum est autem quod timor Dei aliquando timentes Deum a perscrutatione divinorum non revocat, quando scilicet perscrutantur divina desiderio veritatis cognoscendae, non ut comprehendant incomprehensibilia sed semper eo moderamine ut intellectum suum divinae subiciant veritati; revocantur autem per timorem Dei ne sic perscrutentur divina quasi comprehendere volentes et intellectum suum divina veritate non regulantes. Sic igitur per haec verba Iob intendit ostendere quod eo moderamine de his quae ad divinam providentiam pertinent perscrutatur, ut intellectum suum divinae veritati subiciat, non ut divinam veritatem impugnet, quod esset contra reverentiam divini timoris.

745 ex *coni.* (*cf. supra lin.* 737)] *om.* F V^2 Va a *cet.* reverentia eius] *om.* F reverentiam eius considero Va
745 revocor] *om.* Sv revocor propter reverentiam eius *post* perscrutatione F 746 a] *om.* pN V^1 γ(-F^3) R et F^3 ab eius Va
746 perscrutatione] —tator pN V^1

CAPITULUM X

[1] Taedet animam meam vitae meae, dimittam adversum me eloquium meum, loquar in amaritudine animae meae. [2] Dicam Deo: Noli me condemnare, indica mihi cur me ita iudices.

Taedet animam meam vitæ meae etc. Postquam proposuit superius Iob quod tam innocentes quam impii in hoc saeculo tribulantur, et tetigit unam causam punitionis innocentium quae posset aestimari, scilicet quod terra quasi derelicta a Deo sit exposita voluntati quasi iniquae potestatis innocentes pro libitu punientis, hoc autem remoto quia manifestum inconveniens continet, inquisivit quis esset innocentium punitor et qua de causa, et hanc quaestionem hic prosequi intendit. Prius tamen quam ad investigationem procedat, ostendit quo animo hic loquatur: loquitur enim in persona hominis afflicti secundum conceptiones quas ei tristitia subministrat; unde primo ponit taedium quod patitur in hac vita propter tribulationes quas patitur, quae intantum graves sunt quod etiam ipsam vitam reddunt taediosam: licet enim vivere delectabile sit, tamen in angustiis vivere taediosum est, unde dicit *Taedet animam meam vitae meae.* Sicut autem homo cui delectabilis est sua vita optat se vivere, ita cui taediosa est sua vita optat se vita privari, et ideo subiungit *dimittam adversum me eloquium meum;* hoc enim est contra aliquem quod est peremptivum ipsius: tunc ergo homo adversum se loquitur quando se vita privari exoptat. Sed signanter dicit *dimittam:* multotiens enim homo aliquos motus in corde patitur propter aliquam passionem vel tristitiae vel concupiscentiae vel irae aut cuiuscumque alterius, sed tamen ita ratione omnes motus reprimit quod ad verbum exterius non procedit; quando autem ratio ostendere volens quid interius patiatur occultos motus in verba producit, tunc eloquium dimittere dicitur quasi prius retentum, et propter hoc subdit *loquar in amaritudine animae meae,* quasi dicat: verba quae exterius proferam interiorem amaritudinem ostendunt, ut det intelligere se in persona hominis amaricati loqui. Sed ne rursus intelligatur quod ista eloquii dimissio sit per hoc quod ratio a tristitia superatur, subiungit *Dicam Deo: Noli me condemnare;* cum enim ratio a passione vincitur, homo contra Deum remurmurat et quandoque usque ad blasphemiam procedit, sed dum inter tribulationes hominis ratio recta manet, Deo se subdit et ab ipso remedium praestolatur dicens Deo *Noli me condemnare.* Simul etiam in hoc ad quaestionem accedit: cum enim supra quaesivisset quis esset causa innocentium poenae in hoc mundo, hic iam confitetur Deum esse auctorem punitionis dum petit quod ab eo non condemnetur, secundum illud I Reg. II[6] «Dominus mortificat et vivificat», ex quo Manichaeorum haeresis confutatur.

His autem praemissis, supposito quod Deus sit punitionis auctor, inquirit de causa suae punitionis ad Deum loquens: *indica mihi cur me ita iudices,* idest facias me cognoscere causam propter quam a te puniar: sciebat enim quod rationis investigatio ad veritatis terminum pervenire non potest nisi divinitus doceatur. Scire autem causam suae punitionis necessarium est homini vel ad correctionem vel ut patientius flagella sustineat. Ad inquisitionem autem huius quaestionis procedit sub quadam disiunctione: necesse est enim quod ipse qui punitur vel sit innocens vel peccator. Primo autem procedit supponendo quod sit innocens; et quia ad cognitionem divinorum per res humanas pervenimus, proponit duos modos quibus in humano iudicio quandoque innocentes puniuntur.

Primus modus est propter malitiam punientis, ex qua contingit tripliciter poenas innocentibus irrogari: aliquando quidem dum per astutiam innocenti-

24 ergo] enim N V^a γ π *om.* R 29 omnes] eius N hos β Va omnis R 30 procedit] —dunt pN β F^a δ^1 π —dant As 43 et] *om.* F pN β^1 δ *ante* Deo γ(-Sv) sR

2 superius: cap. IX[22]. 4 unam causam: cap. IX[24]. 8 inquisivit: ibid. 17 delectabile...taediosum: cf. supra cap. 3 82 nota. 33 prius retentum: cf. Gregor. *IX Moral.* cap. 43 (PL 75,896 C). 46 supra: cap. IX[24]. 50 Manichaeorum: cf. infra lin. 106 nota. 63 Primo: cf. 'nunc' lin. 291. 68 Primus: cf. 'secundum' lin. 122.

[3] Numquid bonum tibi videtur si calumnieris et opprimas me opus manuum tuarum, et consilium impiorum adiuves? [4] Numquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo ita et tu vides? [5] Numquid sicut dies hominis dies tui, et anni tui sicut humana sunt tempora,

bus calumnias ingerunt, et quantum ad hoc dicit *Numquid bonum tibi videtur si calumnieris;* aliquando vero per potentiam opprimunt, et quantum ad hoc subdit *et opprimas me opus manuum tuarum;* aliquando vero ipsi quidem ex proprio motu innocentes non puniunt, sed quia inordinate aliquos impios diligunt, eos etiam in oppressione innocentium iuvant, unde subditur *et consilium impiorum adiuves?* Sed considerandum est quod aliquando diversis naturis unum et idem potest esse bonum et malum, sicut iracundum esse cani quidem est bonum, homini autem malum; nullus autem sanae mentis hoc in dubitationem ducit si Deus ex malitia aliquid operetur: non enim potest in summo bono aliquid mali esse; sed potest contingere quod aliquid malum est in homine quod ad divinam pertinet bonitatem, sicut non misereri secundum quod misericordia in passionem sonat in homine quidem vituperatur, quod tamen divina bonitas ex sui perfectione requirit. Manifestum est autem quod tria praedicta, calumniari, opprimere et consilium impiorum adiuvare, in hominibus mala sunt: unde hoc in quaestionem inducit utrum Deo possint esse bona, unde non quaerit 'numquid calumniaris et opprimis?' sed *Numquid bonum tibi videtur ut calumnieris et opprimas?*, quasi supponens pro firmo quod Deus numquam aliquid facit nisi quod bonum sibi videtur, et hoc vere est bonum. Item considerandum est quod ea quae naturaliter sunt nulli imputantur in culpam vel in malum; naturale autem est quod unumquodque perdat suum contrarium, unde et Deus qui est summe bonus odit ea quae contra se fiunt et ipsa disperdit, secundum illud Psalmi «Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes» etc.; si ergo homines non essent a Deo facti sed a principio contrario, ut Manichaei fabulantur, bonum videretur quod Deus homines opprimeret propter se ipsos: ad hoc igitur excludendum non simpliciter dicit *ut opprimas me,* sed addit *opus manuum tuarum.* Item bonum videtur quod Deus iustorum voluntates adimpleat; qui autem innocentem calumniari aut opprimere volunt non sunt iusti sed impii, et praecipue si non ignoranter vel casu sed ex consilio et deliberatione hoc velint: unde cum se innocentem supponat in prima parte quaestionis, sequitur impios esse qui eum ex deliberato consilio opprimere vel calumniari vellent, et ideo signanter dicit *et consilium impiorum adiuves.*

Hac igitur causa remota, quia Deo hoc bonum videri non potest, cum ipse sit opus manuum Dei et cum eius hostes qui ipsum oppresserant impii comprobentur, procedit consequenter ad secundum modum quo in humano iudicio quandoque innocentes affliguntur. Contingit enim quandoque quod quando aliquis innocens falso apud iudicem accusatur, iudex ad exquirendam veritatem eum tormentis subicit secundum iustitiam agens; sed huius rei causa est defectus cognitionis humanae, qui triplex est: unus quidem quia omnis cognitio hominis a sensu procedit et, quia sensus corporei et corporalium sunt, non potest iudex interiorem conscientiam accusati cognoscere; ut ergo hoc excludat a Deo dicit *Numquid oculi carnei tibi sunt,* ac si dicat: numquid tu corporalibus sensibus cognoscis ut sola corporalia videas et interiora cognoscere non possis? Ponit autem oculos quia visus inter alios sensus excedit. Secundus defectus est quod homo per sensus corporeos nec etiam omnia corporalia conspicere potest: non enim potest cognoscere quae a remotis et in abditis fiunt, quod a Deo removet dicens *aut sicut videt homo ita et tu vides,* ut scilicet non possis quae ubique fiunt etiam occulta cognoscere? Tertius defectus humanae cognitionis est ex tempore, tum quia homo de die in diem plura cognoscit tum etiam quia per temporis longitudinem obliviscitur eorum quae novit, ut sic oporteat eum iterato quasi addiscere: hoc ergo a Deo removet dicens *Numquid sicut dies hominis dies tui,* ut scilicet de die in diem tua crescat cognitio; *et anni tui sicut humana sunt tempora,* ut scilicet per cursum tempo-

79 aliquando] aliquid *add.* pN δ^1 aliquid in *add.* sN V^1 aliud aliquid *add.* Va 94 numquid] utrum F γ π 95 ut] si *cum Vulg.* F sN Sv δ π (*def.* F^3) 141 ita *cum Vulg. om.* δ^1 π (*def.* F) vides] videbis sN V^2 Sv R vi. As F^3 (*def.* F)

81 sicut iracundum...: exemplum ex Dionys. *De div. nom.* cap. 4 § 25 (PG 3,728 B; Dion. 286) sec. Thomam *I Pars* q. 63 a. 4 ad 3. 99 nulli imputantur...: sec. Arist. *III Ethic.* 12 (1114 a 23) ut refert Thomas *I-II* q. 21 a. 2 arg. 1. 101 perdat suum contrarium: cf. Arist. *I Phys.* 15 (192 a 24) et *II De caelo* 4 (286 a 32). 103 Ps. v^7. 106 Manichaei: cf. August. *De haeres.* 46 (PL 42,38). 129 a sensu: cf. Arist. *II Anal. post.* 20 (100 a 10) sec. Thomam *De verit.* q. 10 a. 6 sed c. 2. 136 visus: cf. supra cap. 7 161 nota.

[6]ut quaeras iniquitatem meam et peccatum meum scruteris? [7] Et scias quia nihil impium fecerim, cum sit nemo qui de manu tua possit eruere. [8] Manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me totum in circuitu, et sic repente praecipitas me? [9] Memento, quaeso, quod sicut lutum feceris me et in pulverem reduces me.

Nonne auris verba diiudicat etc. Quia superius posuerat Iob ea quae Sophar de excellentia divinae magnitudinis dixerat esse omnibus manifesta, intendit hic ostendere quod hoc ad notitiam hominum pervenire potest per experimentum divinae potentiae et sapientiae in rebus humanis. Unde primo manifestat quomodo homines per experimentum in rerum cognitionem deveniant, dicens *Nonne auris verba diiudicat*, scilicet dum ea audit, *et fauces comedentis saporem* nonne diiudicant? Quia experimentum a sensu est, convenienter per iudicium sensuum virtutem experimenti manifestat, et praecipue per auditum et gustum, quia auditus inter omnes sensus est disciplinabilior, unde plurimum ad scientias contemplativas valet; gustus autem est perceptivus ciborum qui homini sunt necessarii ad vitam, unde per iudicium gustus experimentum significat quod de rebus activae vitae habetur. Et propter hoc ex iudicio duorum sensuum ostendit virtutem experimenti tam in speculativis quam in operativis, cum subdit *In antiquis est sapientia*, quae ad contemplationem pertinet, quia scilicet antiqui multa audierunt; *et in multo tempore prudentia*, quae ad actionem pertinet, quia scilicet in multo tempore homines multa degustant, utilia vel nociva.

Sic igitur manifestata experimenti virtute, subiungit quid homines de Deo experiri possunt cum dicit *Apud ipsum est sapientia et fortitudo, ipse habet consilium et intelligentiam.* Ubi quatuor Deo attribuit quae se per ordinem habent: nam primum quidem est occulta cognoscere, quod ad intelligentiam pertinet; secundum autem est, ex his quae homo intelligit, invenire in activis quidem vias accommodas ad aliquem finem, quod ad consilium pertinet, sicut et in speculativis, per ea quae homo intelligit, rationes deducit ad aliquas conclusiones cognoscendas; tertium autem est ut de his quae homo adinvenit rectum iudicium habeat, quod ad sapientiam pertinet; quartum autem est ut ea quae aliquis iudicat esse facienda potenter exequatur, et ad hoc pertinet fortitudo.

Quia vero experimentum procedit a sensibilibus, quae licet sint priora secundum nos sunt tamen simpliciter et secundum naturam posteriora, ideo incipit ostendere quomodo homines experiri possunt fortitudinem divinam, et primo quidem in ipsis rebus humanis. Videmus enim quod aliqui homines totaliter destruuntur, vel per mortem quantum ad esse naturae vel per omnimodam abiectionem quantum ad esse civile cum tamen habeant multos manutentores; unde cum adiuvari per homines non possunt ne ad destructionem perveniant, manifestum est quod ab aliqua occulta causa et divina et excellente humanam virtutem hoc contingit, cum ei virtus humana resistere non possit, et hoc est quod dicit *Si destruxerit nemo est qui reaedificet.* Item videmus aliquos homines in suis processibus impediri, etsi non totaliter destruantur, licet habeant plurimos directores; unde manifestum est quod hoc etiam ab aliqua excellentiori virtute fit, unde subditur *et si incluserit hominem*, involvendo eum diversis difficultatibus, *nullus est qui aperiat*, idest qui expedire possit, unde Eccl. VII[14] dicitur «Nemo potest corrigere eum quem Deus despexerit».

Deinde ostendit quomodo possint homines experiri divinam potentiam in rebus naturalibus, praecipue quantum ad pluvias et siccitates, unde dicit

152 <illas> *coni.*] *om.* pN rerum habundantiam *s*N homo F gratiam β^1 divitias V^2 ea γ(-As) eam As π aliquid δ 159 manibus *scripsi. cum* sN F^2 (*cf. supra lin.* 128)] manus *cet.* 181 ostendit] contingit F pN F^2 tangit *s*N concludit γ π communiter tam δ^1 216 ei] eis F pN β 218 reaedificet] re. F pN $\beta^1\gamma$(-Sv) R rehedificat Sv e. Pd eum. π edificet *cum Vulg.* sV^2 Va *lac.* pV^2

156 supra: vers. 7 et 8. 163 superius: vers. 2. 175 disciplinabilior: cf. Arist. *De sensu* 2 (437 a 12) ut refert Thomas *De verit.* q. 7 a. 1. 191 quatuor: sapientia, lin. 242; fortitudo, infra immediate; consilium, lin. 258; intelligentia, lin. 366. 205 priora...posteriora: cf. Arist. *V Metaph.* 13 (1018 b 30) et *I Anal. post.* 4 (71 b 34).

[15] Si continuerit aquas omnia siccabuntur, et si emiserit eas subvertent terram. [16] Apud ipsum est fortitudo et sapientia, ipse novit decipientem et eum qui decipitur. [17] Adducit consiliarios in stultum finem et iudices in stuporem. [18] Balteum regum dissolvit et praecingit fune renes eorum; [19] ducit sacerdotes inglorios et optimates supplantat;

Si continuerit aquas, ne scilicet pluendo cadant, *omnia siccabuntur*, scilicet quae ex terra germinant, *et si emiserit eas*, in magna abundantia, *subvertent terram*, sicut in diluviis accidit. Et licet hoc ex aliquibus causis naturalibus proveniat quod aliquando pluviae cessent usque ad omnimodam siccitatem, aliquando autem abundent usque ad terrae subversionem, non tamen hoc a divina potentia subtrahitur quae etiam ipsas naturales causas ad proprios ordinavit effectus: sic igitur quasi ex praemissis concludens, subdit *Apud ipsum est fortitudo.*

Deinde incipiens progredi ad secundum membrum, adiungit *et sapientia*, quasi proponens quod manifestare intendit. Est autem proprium sapientiae ut per eam rectum iudicium habeatur de rebus; ille autem recte iudicat de rerum veritate qui potest discernere quomodo aliquis decipiatur a veritate declinans: et ideo ad ostendendum quod in Deo sit sapientia, subdit *ipse novit decipientem et eum qui decipitur*, idest discernit recto iudicio deceptiones, quibus aliquis praetermittit veritatem, a recta veritatis cognitione. Et hoc quidem supponit ab eo quod communiter ipse et amici conveniunt in hoc quod res humanae divino iudicio subduntur, de quibus iudicare non posset nisi peccata cognosceret, inter quae magnum locum obtinent deceptiones et fraudes.

Deinde ostendit per ea quae in rebus humanis apparent quod apud Deum sit consilium. Circa quod tamen considerandum est quod sicut Deus scit et principia speculativarum scientiarum et conclusiones et ordinem eorum ad invicem, non tamen per principia conclusionum cognitionem accipit sed omnia primo et simplici aspectu cognoscit, ita et in operativis et fines et ea quae sunt ad finem novit et quae viae ad fines aliquos consequendos expediant, non tamen vias ex finibus inquirit sicut nos dum consiliamur; sicut igitur in Deo dicitur esse ratio inquantum cognoscit ordinem principiorum ad sequentia, non tamen ei convenit investigare aliquid per modum rationis ut ratio facit, ita apud ipsum dicitur esse consilium non per modum inquisitionis sed per modum simplicis et absolutae cognitionis. Profunditas autem alicuius in consiliis ex duobus perpendi potest: primo quidem quando subtilitate sui consilii adversarios, etiam si exercitati in consiliis videantur, ad hoc deducit eos quod necesse sit eis, deficientibus omnibus viis eorum, ad finem inconvenientem pervenire; et quantum ad hoc dicit *Adducit consiliarios in stultum finem*, impediendo scilicet profunditate sui consilii vias quas adinveniunt ad finem huiusmodi evitandum. Secundo autem ostenditur profunditas alicuius in consiliis quando adversarios ad hoc deducere potest subtilitate sui consilii ut ignorent quid eos oporteat agere; et quantum ad hoc subdit *et iudices in stuporem:* dicit autem iudices sapientes qui de agendis rectum iudicium consueverunt habere. Sicut etiam et in disputationibus speculativis accidit quod aliquis efficax disputator habetur, qui adversarium ad inconveniens ducere potest vel propositum taliter firmare quod in contrarium nihil dici possit, sic autem et Deus contra suos adversarios facit, quia et per vias quas ipsi eligunt eos ad perditionem ducit et suam veritatem et opera sic firmat ut ab adversariis commoveri non possint.

Et quia hoc generaliter dixerat, consequenter per specialia exempla manifestat, ostendens quomodo omnia quae in rebus humanis excellere videntur profunditate divini consilii *in stultum finem* et *in stuporem* adducuntur. In rebus autem humanis excellunt reges secundum potentiam, et quantum ad hos dicit *Balteum*, idest cingulum militare, *regum dissolvit:* in cingulo enim eorum potentia designatur, secundum illud Psalmi « Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime »; *et praecingit fune renes eorum*, dum in captivitatem trahuntur, in quo maximus defectus potentiae denotatur. Sacerdotes autem excellunt quantum ad reverentiam in qua habentur, de quibus subdit *ducit sacerdotes inglorios.* Primarii autem et consiliarii civitatis aut regni excellere videntur secundum prudentiam in consiliis, et de his subdit *et optimates supplantat*, idest decipit. Philosophi autem excellunt in consideratione veri-

261 eorum] earum sN β^1 γ 263 et^2 *om.* F β δ(-R) π 276 eos *om.* V^2 δ π 287 Sicut] sic F β F^3 Va
295 possint] possit N F^2 γ(-F^2) R possunt π 301 hos] hoc β Sv δ π

252 conveniunt: cf. supra cap. 2 204. 304 Ps. XLIV^6.

[20] commutans labium veracium et doctrinam senum auferens, [21] effundit despectionem super principes. Et eos qui oppressi fuerant relevat, [22] qui revelat profunda de tenebris et producit in lucem umbram mortis; [23] qui multiplicat gentes et perdit eas, et subversas in integrum restituit. [24] Qui immutat cor principum populi terrae, et decipit eos ut frustra incedant per invium: [25] palpabunt in tenebris et non in luce, et errare eos faciet quasi ebrios.

tatis, et de his dicit *commutans labium veracium*, idest eorum qui ad veritatem loquendam student: aliquando enim Deus obnubilat eorum mentem per subtractionem suae gratiae, ut veritatem invenire non possint et per consequens nec loqui, secundum illud Rom. I[22] «Dicentes se esse sapientes stulti facti sunt». Excellunt etiam senes in directione iuvenum, et de his subdit *et doctrinam senum auferens*, vel quia senes infatuantur, vel quia totaliter de medio subtrahuntur, secundum illud Is. III[1] «Auferet Dominus a Ierusalem iudicem et prophetam et ariolum et senem». Excellunt autem principes in auctoritate quam habent aliis praecipiendi, et de his subdit *effundit despectionem super principes*, ut scilicet despiciantur ab his qui eis oboedire debebant.

Haec igitur omnia pertinere videntur ad hoc quod dixerat «Adducit consiliarios in stultum finem»; sed quod aliquando aliqui ex infimo statu provehantur ad summum, pertinere videtur ad hoc quod dixerat «et iudices in stuporem», et quantum ad hoc subdit *Et eos qui oppressi fuerant relevat*, ut hoc referatur ad impotentes potentia maiorum oppressos, qui oppressoribus deiectis interdum ad statum potentiae elevantur. Quantum vero ad eos qui nullius sunt gloriae sed in infimo statu latent, subdit *qui revelat profunda de tenebris*, idest homines in infimo statu positos, et propter hoc ignotos quasi in tenebris existentes, in gloriam adducit, eos aliis revelando. Quantum vero ad eos qui ignorantes reputantur et stulti, subdit *et producit in lucem umbram mortis:* umbra enim mortis ignorantia esse videtur vel stultitia, cum per cognitionem maxime viventia a non viventibus distinguantur; *producit* ergo *in lucem umbram mortis* quando vel ignorantibus sapientiam tribuit vel eos qui sapientes erant sapientes esse demonstrat quorum sapientia erat prius ignota. Ut sic quod dictum est *eos qui oppressi fuerant relevat*, dicatur quasi in oppositum eius quod dixerat «Balteum regum dissolvit»; quod vero subditur *qui revelat profunda de tenebris*, contra id quod dixerat «Ducit sacerdotes inglorios»; quod vero subditur *et producit in lucem umbram mortis*, contra omnia quae sequuntur. Sicut autem huiusmodi alternationem sublimitatis et deiectionis circa singulares personas a Deo fieri dixerat, hoc idem et circa totam gentem ostendit subdens *qui multiplicat gentes*, ut scilicet numerositate hominum crescant, *et perdit eas*, idest destruit aut bellis aut pestilentiis, *et subversas*, vel ex his casibus, vel ex oppressione alicuius vel aliquorum qui inique praesident, *in integrum restituit*, idest ad bonum statum reducit.

Ostenso igitur quod in Deo sit fortitudo, sapientia et consilium, ultimo ostendit quod in eo sit intelligentia, quam diximus pertinere ad cognitionem occultorum, quae maxime videntur esse ea quae in corde latent: haec autem Deum cognoscere ostendit per hoc quod in cordibus hominum operatur, et sic occulta cordium quasi suos effectus cognoscit. Dicit ergo *Qui immutat cor principum populi terrae*, quantum scilicet ad voluntatem, unde et Prov. XXI[1] dicitur «Cor regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud»; et licet omnium hominum voluntates Deus inclinet, tamen specialis mentio fit de regibus et principibus quia eorum voluntates maius pondus habent, utpote quorum voluntatem multi sequuntur. Quantum vero ad intellectum subiungit *et decipit eos*, quod quidem dicitur non quod in falsitatem eos inducat, sed quia lumen suum eis subtrahit ne veritatem cognoscant, et eorum rationem obnubilat ne ad mala quae proponunt consequenda vias idoneas invenire possint, unde sequitur *ut frustra incedant per invium*, idest ut procedant per vias non convenientes quibus ad finem suum pervenire non possint. Contingit autem aliquem errare in agendis dupliciter: uno modo per ignorantiam, et quantum ad hoc dicit *palpabunt in tenebris et non in luce*, ut per tenebras ignorantia, per lucem cognitio designetur; palpant autem aliqui per ignorantiam ad modum caecorum dum non considerant nisi quae praesentialiter quasi tangendo sentiunt; alio modo errant aliqui in agendis propter passiones, quibus eorum ratio ligatur circa particularia ut ne universalem cognitionem applicet ad agenda, et quantum ad hoc subdit *et errare eos faciet quasi ebrios:* sic enim passione ligatur ratio quasi quadam ebrietate.

389 palpabunt] quasi *cum Vulg. add.* V[2] Pd π (*def.* Sv)

330 Vers. 17. 333 Ibid. 352 Vers. 18. 354 Vers. 19. 367 diximus: lin. 193.

CAPITULUM XIII

[1] Ecce haec omnia vidit oculus meus et audivit auris mea, et intellexi singula. [2] Secundum scientiam vestram et ego novi nec inferior vestri sum. [3] Sed tamen ad Omnipotentem loquar et disputare cum Deo cupio, [4] prius vos ostendens fabricatores mendacii et cultores perversorum dogmatum. [5] Atque utinam taceretis ut putaremini esse sapientes! [6] Audite ergo correctionem meam et iudicium labiorum meorum attendite.

Ecce haec omnia vidit oculus meus. Postquam ostenderat Iob quod per experimentum cognosci poterat divinae virtutis excellentia, quasi concludens subdit *Ecce haec omnia vidit oculus meus et audivit auris mea*, quasi dicat: effectus praedictos, quibus divina fortitudo et sapientia ostenditur, partim visu partim auditu cognovi; nec in his sensibilibus effectibus mea cognitio requievit, sed ex eis ad intelligentiam veritatis ascendi, unde subdit *et intellexi singula*, quid scilicet singuli effectus demonstrarent circa Deum vel eius sapientiam vel intelligentiam vel consilium vel fortitudinem. Unde eorum iactantiam excludens, qua magnifica de Deo proponendo se Iob praeferre videbantur, subdit *Secundum scientiam vestram et ego novi*, ea scilicet quae ad Dei magnificentiam pertinent, *nec inferior vestri sum*, quasi vel minus vel imperfectius ea cognoscens vel a vobis modo addiscens.

Sed quia Sophar excellentiam divinam proposuerat ad arguendum Iob de eo quod cum Deo disputare moliretur, subiungit *Sed tamen ad Omnipotentem loquar*, quasi dicat: quamvis intelligam ex diversis eius effectibus excellentiam divinae sapientiae et virtutis non minus quam vos, tamen per hoc rationabiliter a meo proposito non mutor quin Deum alloqui velim, motus cordis mei aperiendo ei qui est cordium scrutator et iudex, et ab eo qui totius veritatis est doctor veritatem exquirendo; unde subdit *et disputare cum Deo cupio*, non quidem ut eius iudicia improbare velim sed ut vestros errores destruam, quibus suppositis sequeretur quod esset iniustitia apud Deum, unde subdit *prius vos ostendens fabricatores mendacii*, quia hoc mendacium adinvenerant quod Iob iniquam vitam duxisset. In hoc autem mendacium devenerant propter hoc quod circa fidem qua Deus colitur errabant, credentes quod in hac vita tantum fieret meritorum ac poenarum retributio, et ideo subdit *et cultores perversorum dogmatum:* quicumque enim a vera Dei cognitione declinat, non Deum sed sua falsa dogmata colit. Non autem sic intelligendum est quod dicit *prius vos ostendens*, quasi prius in ordine sequentis doctrinae destructurus sit prava eorum dogmata et postmodum cum Deo disputaturus, sed quia dum cum Deo disputare intendit, hoc primum est in intentione sua ut eorum dogmata destruat.

Contingit autem quandoque ut aliqui aliqua probabilia licet falsa proponant, sed dum ea verisimiliter defendere nesciunt aut probare, in loquendo suam insipientiam manifestant, quod amicis Iob contingebat, et ideo subdit *Atque utinam taceretis ut putaremini esse sapientes!* quia hoc ipsum quod vestra falsa dogmata inconvenienter defenditis et probatis vos insipientes esse demonstrat. Quia ergo falsa dogmata proponitis et ad eorum manifestationem inconvenientia media assumitis, ideo correctione indigetis, et hoc est quod concludit subdens *Audite ergo correctionem meam*, qua vestrum processum corrigam, *et iudicium labiorum meorum attendite*, quo vestra falsa dogmata condemnabo.

Primo autem intendit corrigere eorum inconvenientem processum. Quia enim ponebant bonorum et malorum operum praemia et poenas in hac vita retribui, ad iustitiam Dei defendendam oportebat quod quaedam mendacia assumerent: cum enim manifestum sit quosdam innocentes et iustos in hac vita adversitatibus premi, necesse erat eis iustis imponere crimina ad Dei iustitiam defendendam, et sic Iob quem afflictum videbant impietatis arguebant; non autem convenienti medio utitur qui ve-

25 rationabiliter *scripsi. cum* N] rationaliter δ^1 totaliter Va *om. cet.* 54 demonstrat] —tratis F Sv δ π —trant N V^1 (*def.* F^2) 58 correctionem] —nes N V^2 Va correct. F meam] meas N Va m. F *om.* β Pd

11 sapientiam...fortitudinem: cf. cap. 12 191. 19 proposuerat: cap. XI^2. 61 Primo: cf. 'Postquam' lin. 184.

7 Numquid Deus indiget mendacio vestro ut pro illo loquamini dolos? 8 Numquid faciem eius accipitis et pro Deo iudicare nitimini? 9 Aut placebit ei quem celare nihil potest? Aut decipietur ut homo vestris fraudulentiis? 10 Ipse vos arguet quoniam in abscondito faciem eius accipitis. 11 Statim ut se commoverit, turbabit vos et terror eius irruet super vos.

ritatem per mendacia defendit, et ideo dicit *Numquid Deus indiget mendacio vestro*, quasi dicat: numquid necessarium est quod ad defendendum divinam iustitiam mendacia assumantur? Quod enim non potest nisi per mendacia defendi impossibile est esse verum. Cum autem aliquis contra manifestam veritatem mentiri nititur, cogitur aliquas dolosas et fraudulentas vias adinvenire ut mendacium aliqua fraude coloret; sic et isti cum contra iustiam Iob quae omnibus manifesta erat mentiri conarentur, quibusdam dolis utebantur, ostendendo scilicet fragilitatem humanam quae facile labitur in peccatum et comparando eam ad divinam excellentiam, ut sic probabilius reputaretur Iob iniquum fuisse quam Deum esse iniustum, et ideo subiungit *ut pro illo loquamini dolos?*, quia quasi pro Deo dolos loquebantur, dum dolose impietatem Iob conabantur imponere ut Deum esse iustum defenderent.

Possent autem dicere se non dolose contra Iob aliquid dicere, sed hoc tantum dicere quod putabant. Ostendit ergo Iob quod si hoc verum esset, a dolositate excusati in aliud vitium labebantur, scilicet in acceptionem personarum, quae iustitiam iudicantis excludit. Est enim personarum acceptio si aliquis iustitiam alicuius quae apparet contemnit aut negat propter magnitudinem alterius, licet iustitiam eius non cognoscat; si igitur amici Iob eum esse iniquum iudicabant, videntes in eo iustitiam manifestam ac sola divinae magnitudinis consideratione, licet intelligere non possent secundum sua dogmata qualiter Iob iuste puniretur a Deo, in suo iudicio quo Iob condemnabant quasi Dei personam accipere videbantur. Et ideo subdit *Numquid faciem eius accipitis et pro Deo iudicare nitimini?*, quod signanter dicit quia ille pro aliquo iudicare nititur, qui eius iustitiam non cognoscit et tamen conatur qualescumque vias adinvenire ad hoc quod eius causam iustam esse ostendat.

Contingit autem quandoque quod aliquis alicuius causam fraudulenter defendens ei placeat, etiam si sit iustus; quod potest esse dupliciter: uno modo quia ignorat suam causam esse iniustam, unde placet ei quod ab aliquo defendatur, et hoc a Deo excludit dicens *Aut placebit ei*, scilicet Deo, quod pro eo iniuste iudicare nitimini cum hoc ei non possit esse ignotum, propter quod subdit *quem celare nihil potest?*; alio modo quando ille cuius causa per fraudem defenditur fraudibus defendentis decipitur ut eius defensionem reputet esse iustam, et hoc etiam a Deo excludit subdens *Aut decipietur ut homo vestris fraudulentiis?* Sic igitur manifestum est quod divina bonitas et iustitia mendacio non indiget ad sui defensionem quia veritas sine mendacio defendi potest: ex quo etiam patet quod, si positis eorum dogmatibus hoc inconveniens sequitur quod iustitia Dei mendacio indigeat ad sui defensionem, manifestum fit dogmata proposita esse falsa.

Sed ulterius considerandum est quod ille qui ad ostendendam Dei iustitiam vel bonitatem mendacio utitur non solum rem agit qua Deus non indiget, sed etiam hoc ipso contra Deum vadit: cum enim Deus veritas sit, omne autem mendacium veritati contrarietur, quicumque mendacio utitur ad Dei magnificentiam ostendendam hoc ipso contra Deum agit. Et hoc manifeste patet per Apostolum Cor., ubi dicit «Invenimur autem et falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit si mortui non resurgunt»; dicere ergo quod Deus mortuum suscitavit, si verum non sit, contra Deum est quamvis videatur divinae virtutis ostensivum, quia est contra Dei veritatem. Sic igitur qui ad Deum defendendum mendacium assumunt non solum praemium non accipiunt quasi ei placentes, sed etiam poenam merentur quasi contra Deum agentes, et ideo subdit *Ipse vos arguet quoniam in abscondito faciem eius accipitis;* et dicit *in abscondito* quia licet viderentur exterius causam Dei agere quasi Dei iustitiam cognoscentes, tamen in conscientiis eorum hoc erat quod nesciebant qua iustitia Iob punitus esset, et sic quantum ad cordis eorum absconditum faciem Dei accipiebant dum eius iustitiam falso defendere nitebantur.

Quomodo autem eos arguet, ostendit subdens *Statim ut se commoverit, turbabit vos*, quasi dicat: vos quia modo adversitatem non patimini tranquilla

133 contrarietur *scripsi. cum* sN Va] —riatur *cet.* 137 quod] qui F F^3 δ^1 π 138 suscitaverit] —tavit F γ(-Sv) δ^1 π 144 non *om.* pN β(-V^1) accipiunt] acquirunt N γ acceptum β(-V^1)

123 veritas...potest: cf. Gregor. *XI Moral.* cap. 13 (PL 75,970 C). 135 I Cor. xv[15].

[12] Memoria vestra comparabitur cineri, et redigentur in lutum cervices vestrae. [13] Tacete paulisper ut loquar quaecumque mihi mens suggesserit. [14] Quare lacero carnes meas dentibus meis et animam meam porto in manibus meis? [15] Etiam si occiderit me in ipso sperabo; verum tamen vias meas in conspectu eius arguam, [16] et ipse erit salvator meus: non enim veniet in conspectu eius omnis hypocrita.

mente de Dei iustitia disputatis, sed si super vos veniat tribulatio – quam commotionem Dei nominat eo modo loquendi quo punitio in Scriptura ira Dei nominatur – mens vestra conturbabitur, et praecipue cum in veritate solidata non sit. Et quia non alia bona vel mala reputabant nisi haec temporalia, dum a peccatis cavebant ne mala eis supervenirent, propter solum timorem praesentium malorum Deo servire velle videbantur, et ideo subdit *et terror eius irruet super vos*, quasi dicat: illud propter quod tantum Deum timetis vobis superveniet, scilicet adversitas praesens, secundum illud quod dicitur Prov. x[24] «Quod timet impius veniet super eum». Et quia ipsi vane Iob promiserant quod etiam post mortem in memoria hominum remaneret, ipse contrarium eis promittit quasi eos irridens, dicens *Memoria vestra comparabitur cineri:* sicut enim cinis post consumptionem lignorum ad modicum durat, ita fama hominis post mortem cito pertransit, unde expectare famam post mortem vanum videtur. Promiserant etiam ei immunitatem et reverentiam quandam habendam ad eius sepulcrum post mortem, sed hoc etiam pro nihilo ducens contrarium eis promittit dicens *et redigentur in lutum cervices vestrae*, per cervices eorum potentiam et dignitatem designans, quas dicit esse redigendas *in lutum*, idest in rem contemptibilem et infirmam.

Tacete paulisper ut loquar etc. Postquam Iob correxerat amicorum processum qui mendaciis divinam iustitiam defendere nitebantur, nunc procedit ad eorum falsa dogmata destruenda sub figura divinae disputationis, et primo petit audientiam quasi grandia dicturus, dicens *Tacete paulisper ut loquar quaecumque mihi mens suggesserit;* hoc addit ne forte dicerent 'tu inania loqueris et ideo non es audiendus', sed paulisper audire quicquid aliquis loquatur non est durum; vel hoc addit ad designandum quod non componendo mendacia vel adinveniendo dolos locuturus sit sed illud quod habet in mente.

Duo autem imposuerant Iob eius amici, scilicet impatientiam et iactantiam, quorum utrumque a se excludit ne videatur in sequenti disputatione vel ex ira vel ex superbia locuturus. Considerandum est autem quod impatientia contingit ex tristitiae superabundantia non moderatae per rationem, superabundans autem tristitia desperationem inducit; ex desperatione autem contingit quod homo salutem et corporis et animae parvipendit: ut ergo a se impatientiam excludat, dicit *Quare lacero carnes meas dentibus meis?*, quasi dicat: nulla est ratio quare de corporis salute desperem per impatientiam ad modum eorum qui, desperantes de corporali vita, fame oppressi carnes suas comedunt; *et* iterum quare *animam meam porto in manibus meis?*, idest nulla est ratio quare salutem animae meae parvipendam: illud enim quod in manibus portatur de facili amittitur, unde videtur quod eius amissio non multum timeatur: quae enim aliquis amittere timet diligenter abscondit. Et rationem quare nec per impatientiam carnem lacerare debeat nec animam in manibus portare, subdit dicens *Etiam si occiderit me in ipso sperabo*, quasi dicat: non credatis quod propter mala temporalia quae patior de Deo sperare cessaverim; si enim spes mea esset de Deo propter bona temporalia tantum, cogerer desperare – sicut supra dixit «Desperavi» –, sed quia spes mea de Deo est propter bona spiritualia quae manent post mortem, etiam si me usque ad occisionem afflixerit spes quam de ipso habeo non cessabit. Sed quia inordinata spes in praesumptionem degenerat, propter hoc subdit *verum tamen vias meas in conspectu eius arguam*, quasi dicat: non sic spero in ipso quasi ab ipso liberandus etiam si in peccatis perseveravero, sed quia me liberabit si peccata mea reprehendero, et hoc est quod subditur *et ipse erit salvator meus*, si scilicet peccata mea mihi displicuerint. Quare autem salvet eos qui in conspectu eius vias suas arguunt, ostendit subdens *non enim veniet in conspectu eius omnis hypocrita*, idest simulator qui cum sit iniquus se tamen iustum profitetur et vias suas non arguit coram Deo: unde *non veniet in conspectu eius* ut Deum videat in

189 quaecumque] quodcumque *cum Vulg.* F Sv quicumque V[1] quod γ(-Sv) 217 si *om.* F occiderit] — deret F[2] — dent V[3] succident F succiderit N iustus ceciderit Va

159 Scriptura: e.g. Sap. XVIII[20], Ez. XXXVIII[19]; cf. supra cap. 3 551 nota. 170 promiserant: cap. XI[18]. 176 Promiserant: cap. XI[19]. 196 imposuerant: cap. IV[6,7]. 222 Cap. VII[16]. 235 simulator: apud Isid. *X Etymol.* n. 119 (PL 82,379 C) ut refert Thomas *II-II* q. 111 a. 2 sed. c.; vel *Glossam ordin.* super Iob XXVII[8] quam invocat etiam Thomas l.c. a. 3 arg. 3.

17 Audite sermonem meum et aenigmata percipite auribus vestris. 18 Si fuero iudicatus, scio quod iustus inveniar. 19 Quis est qui iudicetur mecum? Veniat! Quare tacens consumor? 20 Duo tantum ne facias mihi, et tunc a facie tua non abscondar: 21 manum tuam longe fac a me, et fortitudo tua non me terreat. 22 Voca me et respondebo tibi, aut certe loquar et tu responde mihi

quo ultima salus hominis consistit, sicut infra magis exponet, veniet tamen in conspectu eius quasi ab eo iudicandus. Sic igitur non solum impatientiam a se exclusit sed etiam praesumptionem innocentiae, dum profitetur quod vias suas arguit coram Deo, ut sic omnis amicorum calumnia cesset.

Deinde ingressurus disputationem, primo reddit auditores attentos dupliciter: uno quidem modo per occultationem dicendorum – cum enim ea quae dicenda sunt difficilia profitemur, auditores attentiores redduntur –, unde dicit *Audite sermonem meum et aenigmata percipite auribus vestris:* aenigma dicitur sermo obscurus qui aliud praetendit in superficie et aliud interius significat; alio vero modo ex certitudine veritatis eorum quae dicenda sunt, unde subdit *Si fuero iudicatus, scio quod iustus inveniar,* quod quidem non dicit de iustitia vitae, cum supra dixerit «Vias meas in conspectu eius arguam», sed de veritate doctrinae de qua quasi in iudicio contendebatur; ille autem in iudicio invenitur iustus pro quo sententia fertur: unde cum aliquis disputando verum dicere demonstratur, quasi in iudicio iustus invenitur.

Postquam ergo auditores reddidit attentos, modum disputationis suae determinat: vult enim disputare quasi cum alio contendens, et hoc est quod subdit *Quis est qui iudicetur mecum,* idest cum quo de veritate disputem? *Veniat,* idest ad disputandum accedat! Causam autem quare de veritate disputare intendit, subdit dicens *Quare tacens consumor?* Homo enim per decursum praesentis vitae paulatim consumitur, et praecipue cum est infirmitati subiectus sicut erat Iob; tacens autem consumitur qui sic praesentem vitam decurrit quod tamen suae sapientiae per doctrinam nullum vestigium relinquit: ne ergo Iob hoc pateretur, disposuit non tacere de veritate ut consumptus corpore post mortem viveret in sua doctrina. Vel potest hoc ad aliam intentionem referri: cum enim aliquis dolorem quem in corde patitur exterius exprimit, quodammodo eius animus mitigatur, sed tacendo interius magis a dolore angustatur et quodammodo sua taciturnitate consumitur.

Quia ergo condisputatorem petierat dicens *Quis est qui iudicetur mecum?* et supra dixerat «Disputare cum Deo cupio», ex nunc loquitur quasi Deum habens praesentem et cum eo disputans. Videbatur autem disputatio hominis ad Deum esse indebita propter excellentiam qua Deus hominem excellit; sed considerandum est quod veritas ex diversitate personarum non variatur, unde cum aliquis veritatem loquitur vinci non potest cum quocumque disputet; certus autem erat Iob quod veritatem loquebatur sibi a Deo per donum fidei et sapientiae inspiratam, unde de veritate non diffidens petebat se divina fortitudine non premi, neque per mala praesentialiter illata neque per timorem inferendorum, et hoc est quod dicit *Duo tantum ne facias mihi, et tunc a facie tua non abscondar,* quasi non timebo tecum disputare: timentes enim se abscondere solent a facie eorum quos timent. Quae autem sint ista duo ostendit subdens *manum tuam longe fac a me,* idest non me percutias per flagella praesentia; *et fortitudo tua non me terreat,* quantum ad flagella futura: his enim duobus modis potest impediri homo ne etiam veritatem quam certissime novit disputando defendere possit, dum vel molestatur in corpore vel sollicitatur in anima timore aut aliqua alia passione.

Est autem disputatio inter duas personas, scilicet opponentem et respondentem; ingrediens ergo disputationem cum Deo, dat ei optionem utramlibet personam eligendi vel opponentis vel respondentis, unde dicit *Voca me et respondebo tibi,* quasi dicat: obicias et respondebo, *aut certe loquar,* obiciendo, *et tu responde mihi;* hoc autem dicit aenigmatice ostendendo paratum se esse ad utrumque, sive ad defendendam veritatem quam profitetur sive ad impugnandum quod contra veritatem diceretur. Primo autem Deo dat partes opponentis dicens *Quantas*

254 dixerit] –rat N V^2 δ π 267 intendit] –dat N δ(-Pd) 281 condisputatorem] cum disputatorem F N cum deo disputare V^1 condisputare F^2 cum disputatione Sv cum alio disputare Va cum disputare $δ^1$ cum aliquo disputare sR 301 fortitudo] formido V^2 γ(-Sv) δ(*def.* R) π

238 infra: cap. XIV[19] et XIX[26]. 249 aenigma: cf. Donatus *III Ars grammatica* 6 (ed. H. Keil, Gramm. lat. IV, Lipsiae 1864, p. 402) quem allegat Thomas *Super II Sent.* d. 23 q. 2 a. 1 ad 3; Cassiodorus *Super Ps.* XCVI[6] (PL 70,685 D). 255 Vers. 15. 282 Vers. 3.

[23] Quantas habeo iniquitates et peccata, scelera mea atque delicta ostende mihi. [24] Cur faciem tuam abscondis et arbitraris me inimicum tuum? [25] Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam? Et stipulam siccam persequeris? [26] Scribis enim contra me amaritudines, et consumere me vis peccatis adolescentiae meae?

habeo iniquitates et peccata, scelera mea atque delicta ostende mihi. Ubi considerandum est quod amici Iob quasi causam Dei agentes contra Iob disputare videbantur, secundum illud quod supra dixit «Numquid faciem eius accipitis et pro Deo iudicare nitimini?»; amici autem Iob hoc contra ipsum opponebant quod pro peccatis suis punitus erat: hoc igitur sibi a Deo obiciendum expetit dicens *Quantas habeo iniquitates et peccata, scelera mea atque delicta ostende mihi*, quasi dicat: si sic est quod pro peccatis meis me affligis, ut amici mei pro te loqui conantes calumniantur, peto ut mihi ostendas pro quibus peccatis tam graviter me affligis. Unde non dicit 'quas habeo iniquitates' sed *quantas*, quia si non est alia ratio adversitatum praesentium quam peccata hominum, ut amici Iob opinabantur, necesse est maxima esse peccata quae maximis afflictionibus puniuntur. Peccatorum autem quaedam sunt commissa quae contra praecepta legis negativa fiunt, quaedam omissa quibus praecepta affirmativa negliguntur; committitur autem aliquid contra praeceptum legis tripliciter: uno modo quia est in nocumentum proximi, ut furtum, homicidium et huiusmodi quae proprie *iniquitates* dicuntur, quia aequitati iustitiae quae est ad alium contrariantur; alio modo secundum quod homo peccat in se ipso per deordinationem sui actus, ut apparet in peccatis praecipue gulae et luxuriae, et haec dicuntur *peccata*, quasi deordinationes quaedam hominis; tertio modo committuntur aliqua directe contra Deum, ut blasphemiae, sacrilegium et huiusmodi, et haec propter sui gravitatem *scelera* dicuntur. Omissiones autem proprie nominantur *delicta*.

Deinde quasi tacente eo cui partes opponentis dederat, ipse partes obicientis assumit et inquirit de causis suae punitionis. Et primo quia posset aliquis dicere quod Deus eum punivit quasi inimicum, hanc causam excludit dicens *Cur faciem tuam abscondis et arbitraris me inimicum tuum?* Iniquum enim videtur quod aliquis alium sibi inimicum arbitretur absque causa; causa autem inimicitiae conveniens esse non potest nisi offensa: tunc igitur manifestum est quod Deus hominem inimicum sibi arbitratur quando eius peccata manifestantur; petiverat autem Iob sibi ostendi sua peccata, nec erant ei ostensa; non ergo apparebat ratio quare Deus sibi inimicaretur, et hoc est quod insinuat dicens *Cur faciem tuam abscondis*, quasi latenter et ex ratione occulta eum odio habens? Facies enim hominis odientis aperta est quando rationem sui odii non occultat.

Secundo quia posset aliquis dicere quod Deus eum punivit ut in ipso ostenderet suam potentiam, hanc etiam causam excludit dicens *Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam?* Non enim conveniens est quod aliquis fortissimus suam potentiam velit ostendere in re debilissima; comparatur autem humana condicio folio quod vento rapitur, quia et in se ipso homo fragilis est et infirmus sicut folium quod de facili cadit, et nihilominus decursu temporis et varietate fortunae ducitur ut folium vento: unde <non> videtur convenienter dici quod Deus ad hoc solum aliquem hominem puniat quod in eo suam potentiam ostendat.

Tertio quia posset aliquis dicere quod Deus punivit eum propter peccata quae in sua iuventute commisit, etiam et hoc excludit dicens *Et stipulam siccam persequeris? Scribis enim contra me amaritudines, et consumere me vis peccatis adolescentiae meae?* Homo enim in iuventute comparatur herbae virenti, sed in senectute comparatur quasi stipulae siccae: idem ergo videtur hominem in senectute punire pro peccatis adolescentiae ac si aliquis pro defectu herbae virentis desaeviret in stipulam. Sed considerandum est quod in hac inquisitione, ab hac sententia non recedit quod adversitates hominum ex divino iudicio inferuntur, ad quod significandum dicit *Scribis contra me amaritudines*, ac si amaritudines, idest adversitates hominum, ex scriptura divinae sententiae procedant.

Quarto quia posset aliquis dicere quod, licet Iob gravia peccata non commiserit, tamen aliqua peccata commisit sine quibus praesens vita non agitur,

318 atque] et β δ(-Pd) 326 et...mihi] etc. F F² γ atque *scrips. cum* N (*cf. supra lin.* 318)] et *cet.* (*def.* F F² γ) 378 <non> *suppl. cum* V² As Va] *om. cet.* convenienter] inconvenienter δ¹ π 383 etiam et] *inv.* β et γ δ¹ etiam Va π

321 Vers. 8. 335 commissa...omissa: cf. August. *De perf. iust. hom.* cap. 5 (PL 44,296); ipse Thomas *I-II* q. 72 a. 6. 339 tripliciter: cf. supra cap. 1 2: nota. 341 aequitati...contrariantur: cf. Alan. de Insulis *Distinctiones* s. v. Iniquitas (PL 210,819 A); ipse Thomas *Super Hebr.* VIII[12]. 349 Omissiones: cf. Thomas *Super II Sent.* d. 42 q. 2 a.2 qc.3 arg. 3, et littera Magistri ibid. allegans August.

[27] Posuisti in nervo pedem meum et observasti omnes semitas meas et vestigia pedum meorum considerasti, [28] qui quasi putredo consumendus sum et quasi vestimentum quod comeditur a tinea?

Cap. XIV [1] Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. [2] Qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra et numquam in eodem statu permanet. [3] Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos et adducere eum tecum in iudicium. [4] Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?

et pro his sic punitus est, hoc etiam excludit dicens *Posuisti in nervo pedem meum et observasti omnes semitas meas et vestigia pedum meorum considerasti, qui quasi putredo consumendus sum et quasi vestimentum quod comeditur a tinea?* Ubi considerandum est quod illi qui ponuntur in carceris nervo, sic ligantur quod a nervo divertere non possunt: sicut autem pes hominis constringitur nervo, ita processus hominis constringitur lege divinae iustitiae a qua divertere non licet, et hoc est quod dicit *Posuisti in nervo pedem meum.* Ad divinam autem iustitiam pertinet ut facta hominum discutiat, non solum quid unusquisque faciat sed etiam quo animo vel quo fine, et ideo dicit *observasti omnes semitas meas*, quantum ad facta, *et vestigia pedum meorum considerasti*, quantum ad affectum facientis vel etiam quantum ad quascumque circumstantias operis. Irrationabile autem videtur quod Deus tantam diligentiam de actibus hominum habeat, si totaliter esse desinunt per corporis mortem: quae quidem quandoque est naturalis, quandoque autem violenta, unde de utraque subiungit dicens *qui quasi putredo consumendus sum*, quantum ad mortem naturalem, *et sicut vestimentum quod comeditur a tinea*, quantum ad mortem violentam, ac si dicat: si, ut amici mei suspicantur, non est alia vita nisi praesens quam homo amittit vel per modum putredinis vel per modum succisionis, irrationabile videretur quod Deus tanta districtione de actibus hominum curam haberet ut etiam pro minimis peccatis et negligentiis hominem puniret.

Et quia hoc quod ultimo dictum est magnam viam praestat ad inquisitionem veritatis, circa hanc manifestandam magis insistit, et quod de se singulariter dixerat generaliter ad totum genus humanum reducit. Ubi primo exponit fragilitatem humanae condicionis: et quantum ad originem cum dicit *Homo natus de muliere*, quasi de re fragili, et quantum ad durationem cum dicit *brevi vivens tempore*, et quantum ad condicionem cum dicit *repletur multis miseriis*, ubi quasi exponere videtur quod supra dixerat «Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam?».

Secundo excludit ea de quibus homo gloriari posset, quorum primum est corporis pulcritudo qua pollet in iuventute: sed ista gloria nulla est quia cito transit ad modum floris, unde dicit *Qui quasi flos egreditur et conteritur*, scilicet de facili; secundum est fama quae diu non durat, unde dicit *et fugit velut umbra:* umbrae enim transeuntis nullum vestigium aut memoria manet; tertium est potestas et virtus qua aliquis se et sua conservare conatur, et contra hoc dicit *et numquam in eodem statu permanet.* Et possunt haec tria ad tria superiora referri: homo enim natus de muliere quasi flos egreditur et cito conteritur, sic autem brevi vivit tempore ut velut umbra fugiat cuius non restat vestigium, sic autem multis repletur miseriis ut si interdum prosperitate et gaudio potiatur numquam tamen in eodem statu permaneat.

Tertio admiratur diligentiam divinae providentiae circa hominem: mirabile enim videtur quod de re tam fragili et despecta Deus tantam curam habet. Quamvis autem omnia divinae providentiae subsint, specialiter tamen sollicitudo divina circa hominem apparet in tribus: primo quidem quantum ad hoc quod ei leges et praecepta vivendi dedit, et hoc tangit cum dicit *Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos*, eo modo loquendi quo aliquis dicitur super aliquem oculos suos aperire cum eum dirigit et vias eius considerat; secundo quantum ad hoc quod Deus hominem pro bonis praemiat et pro malis punit, et hoc tangit cum dicit *et adducere eum tecum in iudicium;* tertio quantum ad hoc quod Deus eum virtutibus ornat quibus contra foeditates peccati se mundum conservat, et hoc tangit cum dicit *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Semen quidem hominis immundum est

424 ut] sic N sicut δ π

420 naturalis...violenta: cf. infra cap. 14 67 nota. 436 Hic incipit cap. XIV sec. ed. Clementinam Vulg.; cf. Praef. § 145.
441 Vers. 25. 453 tria superiora: vers. praec.

non secundum naturam sed secundum concupiscentiae infectionem; de hoc tamen immundo semine homo conceptus interdum mundus invenitur per virtutes. Sicuti autem de frigido facere calidum est eius quod per se calidum est, ita de immundo facere mundum est eius qui per se mundus est, et ideo subdit *Nonne tu qui solus es*, scilicet vere et per te ipsum mundus? Puritas enim et munditia in solo Deo perfecte invenitur, in quo nec potentialitas nec defectus aliquis esse potest, unde quicquid quocumque modo mundum vel purum est, a Deo munditiam et puritatem habet.

CAPITULUM XIV

5 Breves dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est, constituisti terminos eius qui praeteriri non poterunt. 6 Recede paululum ab eo ut quiescat donec optata veniat et sicut mercennarii dies eius. 7 Lignum habet spem si praecisum fuerit: rursum virescit et rami eius pullulant.

Breves dies hominis sunt etc. Admiratus fuerat Iob de dignatione divina circa homines, cum tamen homo sit tam fragilis et miserae condicionis considerato statu vitae praesentis, sed haec admiratio cessat si consideretur quod post hanc vitam homini alia vita reservatur in qua in aeternum permaneat: et ideo ad hoc ostendendum ex nunc conatur. Praemittit ergo, quasi supponens quod ostendere intendit, et brevitatem praesentis vitae, cum dicit *Breves dies hominis sunt;* et quod ipsa mensura vitae humanae determinatur a Deo, cum dicit *numerus mensium eius apud te est*, sicut apud nos numerum illorum esse dicimus quorum numerus a nobis stabilitur; et iterum immutabilitatem divinae determinationis, cum dicit *constituisti terminos eius qui praeteriri non poterunt:* divina enim dispositio non fallitur, unde hominem vel diutius vel minus vivere quam divina dispositio habet est impossibile, licet hunc hominem nunc vel prius mori sit contingens si in se consideretur. Sunt autem et termini humanae vitae praestituti ex aliquibus corporalibus causis, puta ex complexione vel ex aliquo huiusmodi, ultra quos vita hominis protendi non potest, quamvis ante possit deficere ex aliqua accidentali causa, sed terminos praestitutos secundum divinam providentiam, sub qua omnia cadunt, nec in plus nec in minus vita hominis potest praeterire.

Praemittit etiam alterius vitae expectationem cum dicit *Recede paululum ab eo ut quiescat donec optata veniat et sicut mercennarii dies eius*. Ubi considerandum est quod sicut sol est causa diei, ita Deus est auctor vitae; recedente autem sole, dies finitur et nox venit: per recessum ergo Dei intelligit terminationem praesentis vitae quae est homini a Deo. Vita autem praesens multis turbationibus repletur, secundum hanc enim dictum est de homine quod «repletur multis miseriis»; et <quia> quies finis laboris esse videtur ideo mortem quietem vocat: dicit ergo *Recede paululum ab eo ut quiescat*, idest subtrahe virtutem tuam qua hominem vivificas, ut moriatur. Sed mors hominis non est in perpetuum, sed iterum reparabitur ad vitam immortalem; status ergo mortis humanae, quantocumque tempore resurrectio differatur, brevis est in comparatione ad statum futurae immortalitatis, unde signanter dicit *paululum:* ab aliis enim rebus quae non reditura intereunt non paululum sed in aeternum Deus recedit, sed ab hominibus qui sic intereunt ut resurgant, per modicum tempus. Dictum est autem supra quod vita hominis super terram est sicut dies mercennarii desiderantis tempus mercedis; tempus autem retributionis hominis non est in hac vita, ut amici Iob opinabantur, sed in illa vita ad quam homo resurgendo reparatur: dicit ergo *ut quiescat*, idest ut moriatur, non tamen in perpetuum sed *donec veniat optata dies eius*, sicut mercennarii dies est optata in qua mercedem recipit, ubi primo Iob suam intentionem aperuit: non enim sic negat adversitates praesentes <esse punitiones> quasi Deus hominum actus non remuneret vel puniat, sed quia tempus retributionis proprie est in alia vita.

Lignum habet spem si praecisum fuerit. Posita sententia sua, hic Iob ad eius manifestationem procedit, et primo ostendit quod homo secundum ea quae apparent in hac vita est peioris condicionis quibusdam etiam infimis creaturis quae post interitum reparantur, ut praecipue apparet in lignis. Dupliciter autem vita arboris deficit, sicut et vita hominis, scilicet per violentiam et per naturam: quantum ergo ad violentum defectum arboris dicit *Lignum si praecisum fuerit habet spem*, idest naturalem ap-

24 ante] autem N F^2 F^3 δ π 33 Dei] dei β As δ π 37 <quia> *suppl. cum* F sN Va] qui *post* laboris β^1 *om. cet.* 37 quies *post* laboris F Va 46 rĕditura] —ture V^1 δ^1 π reducuntur Sv 59 <esse punitiones> *coni.*] esse a deo V^2 *om. cet.*

22 ex complexione: cf. Avicen. *I Canon medic.* fen 1 doctr. 3 c. 1 (ed. Venetiis 1555. f. 4r); vel ex aliquo huiusmodi: cf. Thomas *Super II Sent.* d. 19 q. 1 a. 4. 36 Vers. 1. 49 supra: cap. VII[1]. 64 primo: cf. 'Postquam' lin. 137. 67 Dupliciter: cf. Arist. *De respir.* cap. 17 (478 b 24); vide supra cap. 8 176.

[8] Si senuerit in terra radix eius et in pulvere emortuus fuerit truncus illius, [9] ad odorem aquae germinabit et faciet comam, quasi cum primo plantatum est. [10] Homo vero cum mortuus fuerit et nudatus atque consumptus, ubi, quaeso, est? [11] Quomodo si recedant aquae de mari et fluvius vacuefactus arescat, [12] sic homo cum dormierit non resurget; donec atteratur caelum, non evigilabit nec consurget de somno suo. [13] Quis mihi hoc tribuat ut in inferno protegas me <et abscondas me>,

titudinem ut iterum reparetur, quia *rursum virescit* ipsum in se ipso si plantetur; *et rami eius pullulant*, in quo ostenditur perfectam vitam recuperare sicut et prius. Quantum autem ad defectum naturalem arboris subdit *Si senuerit in terra radix eius*, cum non possit attrahere alimentum propter defectum virtutis naturalis, et sic consequenter *in pulvere emortuus fuerit truncus illius*, idest per putredinem in pulvere sit redactus secundum aliquam partem, *ad odorem aquae germinabit*, idest veniente pluvia, ex putredine ligni habente vim sementinam, *et faciet comam*, scilicet frondium, *quasi cum primo plantatum est*. Hoc autem in homine non invenitur secundum decursum praesentis vitae, unde subdit *Homo vero cum mortuus fuerit et nudatus atque consumptus, ubi, quaeso, est?* Et ponit tria quae gradatim homo amittit: primo enim anima separatur a corpore, et ad hoc pertinet quod dicit *cum mortuus fuerit;* secundo vero tegumenta et ornatus corporis, quae interdum post mortem homini remanent sed postea etiam his nudatur, et ad hoc pertinet quod dicit *et nudatus;* ad ultimum vero etiam ipsa compago corporis solvitur, et ad hoc pertinet quod dicit *atque consumptus*. Quae cum peracta fuerint, nihil sensibiliter apparet de homine remanens, unde apud illos qui nihil nisi sensibilia et corporalia esse credunt videtur totaliter in nihilum redactus: horum igitur dubitationem exprimens dicit *ubi, quaeso, est?*

Considerandum est autem quod ea quae non totaliter pereunt reparari posse videntur, sicut de ligno praeciso vel senescente dictum est, sed ea quorum nihil remanet impossibile videtur iterum reparari, sicut si totaliter aqua maris aut fluminis desiccaretur; homo autem, sicut iam dictum est, videtur sic per mortem consumi ut nihil eius remaneat, unde secundum hanc rationem apparet quod impossibile sit ipsum iterum reparari ad vitam, et hoc est quod subdit *Quomodo si recedant aquae de mari et fluvius vacuefactus arescat, sic homo cum dormierit*, idest cum mortuus fuerit, *non resurget* a morte. Eiusdem autem impossibilitatis esse videtur ut incorruptibilia corrumpantur et ut totaliter corrupta iterum reparentur; caelum autem incorruptibile est, et ideo subdit *donec atteratur caelum, non evigilabit*, quasi reviviscens, *nec consurget de somno suo*, ad opera vitae peragenda, quasi dicat: sicut impossibile est caelum atteri, idest corrumpi, ita impossibile est hominem mortuum resurgere; et hoc quidem dicitur, ut dictum est, supposito quod de homine nihil remaneat post mortem, secundum hoc quod dictum est «ubi, quaeso, est?». Vel potest hoc referri ad opinionem illorum qui ponebant totum universum corporale istud corrumpendum et iterum reparandum, in qua quidem reparatione ponebant eosdem homines redituros, ut sit sensus: durante isto mundo, homo a morte non resurget; fides autem catholica non ponit substantiam mundi perituram, sed huius mundi statum qui nunc est, secundum illud I Cor. VII[31] «Praeterit figura huius mundi»; haec ergo mundi immutatio secundum figuram potest hic intelligi per caeli attritionem: resurrectio enim mortuorum communis in fine mundi expectatur, secundum illud Ioh. XI[24] «Scio quia resurget in resurrectione, in novissimo die».

Quis mihi hoc tribuat ut in inferno protegas me etc. Postquam Iob ostenderat quid ex his quae sensibiliter apparent de resurrectione hominis conici possit, hic suam sententiam circa resurrectionem ponit. Esset autem valde horrendum et miserabile si homo per mortem sic deficeret quod numquam esset reparandus ad vitam, quia unumquodque naturaliter esse desiderat: unde Iob suum desiderium ostendit de resurrectione futura, dicens *Quis mihi hoc tribuat ut* etiam post mortem *in inferno protegas me*, idest sub speciali cura qua homines protegis me contineas,

79 emortuus] mortuus β δ π 80 pulvere] —rem γ δ π 82 ex *coni.*] *om.* γ et Va idest *cet.* sementinam] —tivam Va sensitivam F N seminariam γ(-As) seminativam As δ[1] π 108 ipsum iterum] *inv.* δ(-Pd) iterum F β F[2] ipsum Pd π 116 reviviscens] reminiscens N β(-F[2]) δ vivenescens Sv 137 quid] quod N V[2] γ(-Sv) 138 conici] amici N convici β convinci γ(-Sv) δ[1] π cogniti Sv

102 dictum est: vers. 7-9. 105 dictum est: lin. 98. 114 incorruptibile: cf. Arist. *I De caelo* 6 (270 a 12) ut refert Thomas *III Pars* q. 5 a. 2. 120 dictum est: lin. 106. 122 Vers. 10. 123 illorum: cf. supra cap. 7 138 nota. 142 naturaliter esse desiderat: cf. Arist. *II De gen. et corr.* cap. 10 (336 b 27) quem invocat Thomas *Super III Sent.* d. 22 q. 1 a. 1 arg. 5; vel Boetius *III De consol.* pr. 11 (PL 63,774 B) ut refert etiam Thomas *Super IV Sent.* d. 49 q. 1 a. 2 qc. 1.

donec pertranseat furor tuus et constituas mihi tempus in quo recorderis mei? [14] Putasne mortuus homo rursum vivet? Cunctis diebus quibus nunc milito expecto donec veniat immutatio mea. [15] Vocabis me et ego respondebo tibi; operi manuum tuarum porriges dexteram. [16] Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.

donec pertranseat furor tuus, idest tempus mortis – quia, sicut supra dictum est, mors hominis accidit per subtractionem divinae operationis conservantis vitam, unde dixerat «Recede paululum ab eo» –: videtur enim Deus homini esse iratus quando beneficium vitae ei subtrahit, et praecipue cum credamus mortem ex peccato primi hominis provenisse. Quomodo autem se protegi velit etiam in inferno, exponit subdens *et constituas mihi tempus in quo recorderis mei?* Videtur enim Deus hominis esse oblitus quando ei subtrahit beneficium vitae, tunc ergo eius recordatur cum ipsum ad vitam reducit: constituere ergo tempus in quo Deus hominis mortui recordetur nihil est aliud quam constituere tempus resurrectionis. Et satis convenienter hoc nominat protectionem: cum enim artifex, dissoluto artificio, ex eadem materia non intendit iterum aedificium reparare, utpote domum vel aliquid huiusmodi, de materia dissoluti aedificii nullam curam agere videtur; sed quando ex ea intendit aedificium reparare, diligenter custodit ne pereat: hanc ergo custodiam protectionem vocat.

Postquam igitur desiderium suum de resurgendo expressit, quia desideria quandoque sunt etiam impossibilium consequenter sub quaestione ponit utrum hoc quandoque futurum sit quod ipse desideravit, unde subdit *Putasne mortuus homo rursum vivet?* Et super hoc quid ipse sentiat, ostendit dicens *Cunctis diebus quibus nunc milito expecto donec veniat immutatio mea.* Ubi considerandum est quod supra vitam hominis super terram militiae comparaverat et diebus mercennarii, quia tam milites quam mercennarii aliquid post statum praesentem expectant, et ideo sicut supra resurrectionis statum per diem optatam mercennarii expressit, ita et nunc sub similitudine militis idem ostendit. Et notandum est quod optatum finem non expectat in aliqua parte temporis huius vitae, quia cunctos dies huius vitae statui militiae deputat dicens *Cunctis diebus quibus nunc milito.* Item notandum est quod non expectat aliam vitam huic similem, quia tunc et illa esset militia, sed expectat vitam in qua non militet sed triumphet et regnet, et ideo dicit *expecto donec veniat immutatio mea*, quasi dicat: in hac tota vita milito, mutabilitati, laboribus et angustiis subiectus, sed expecto immutari in statum alterius vitae quae sit sine labore et angustia; et de hac immutatione dicit Apostolus I Cor. xv[51] «Omnes quidem resurgemus sed non omnes immutabimur».

Et ne aliquis crederet quod naturali virtute homo in statum alterius vitae immutaretur, hoc excludit subdens *Vocabis me et ego respondebo tibi*, quasi dicat: futura immutatio ex virtute tuae vocis sive ex tuo imperio procedet, secundum illud Ioh. v[28] «Omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent»; vocare enim ad imperium pertinet, sed respondere ad oboedientiam qua creatura Creatori oboedit. Sed quia mortui ad imperium Dei non solum resurgent ad vitam sed in quendam altiorem statum immutabuntur, et hoc virtute divina, propter hoc subdit *operi manuum tuarum porriges dexteram*, quasi dicat: homo resurgens non erit opus naturae sed opus tuae virtutis, cui quidem operi adiutricem dexteram tuam porriges dum per auxilium tuae gratiae in gloriam novitatis exaltabitur. Vel quod dicit *Vocabis me et ego respondebo tibi*, potest referri ad corporis reparationem, quod autem subdit *operi manuum tuarum porriges dexteram*, ad animam quae naturaliter appetit uniri suo corpori, cui Deus adiutricem dexteram porriget dum quod sua virtute non potest consequi virtute divina consequetur.

Posita ergo sententia sua de resurrectione mortuorum futura, redit ad id quod supra admiratus fuerat, quod Deus tam sollicite opera hominum considerat, cum dixit «Observasti omnes semitas meas et vestigia pedum meorum considerasti», unde subdit *Tu quidem gressus meos dinumerasti*, quasi dicat: iam non est mirum si facta hominum sic diligenter examinas ex quo eum ad aliam vitam reservas. Considerandum est autem quod circa humanos actus divina providentia secundum duo attenditur: primo quidem secundum hoc quod ea examinat et discutit, quod quidem significatur in hoc quod dicit *Tu qui-*

147 donec] et abscondas me *cum Vulg. praem.* V[2] (*def.* β[1]) et abscondas me. quasi scilicet conservando. sicut abscondimus ea que conservare volumus *praem.* Pd[1] Pd[2] sV (*cf. Praef.* § 116 *nota*) 174 vivet] vivit V[1] vivat γ δ π vi. F F[2] 218 consequetur] – quatur F V[1] Sv R – quitur N Pd 229 ea (*scil.* facta *ut supra lin.* 225)] *om.* V[1] δ[1] eos Sv Va π

148 supra: lin. 39. 150 Vers. 6. 153 ex peccato...: Rom. v[12] ut refert Thomas *I-II* q. 85 a. 5 sed c. 177 supra: cap. VII[1]. 180 supra: vers. 6. 222 Cap. XIII[27].

[17] Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam. [18] Mons cadens defluit et saxum transfertur de loco suo, [19] lapides excavant aquae et abluvione paulatim terra consumitur: et homines ergo similiter perdes? [20] Roborasti eum paululum ut in perpetuum pertransiret? Immutabis faciem eius et emittes eum?

dem gressus meos dinumerasti: dinumeramus enim ea de quibus diligentiam habemus; et ne videretur alicui esse magnae severitatis quod Deus hominis fragilis facta tanta diligentia examinaret, innuit consequenter eius pronitatem ad parcendum cum dicit *sed parce peccatis meis*, quasi dicat: licet dinumeres tamen hanc spem retineo quod parcas. Secundo vero secundum hoc quod facta hominum bona vel mala in sua memoria conservat ad retribuendum pro eis bona vel mala, unde subdit *Signasti quasi in sacculo delicta mea:* ea enim quae signantur in sacculo diligenter conservantur; et ne ista signatio divinam misericordiam excluderet, subdit *sed curasti iniquitatem meam*, quasi dicat: sic pro peccatis reservas poenam quod tamen per paenitentiam delicta curas.

Mons cadens defluit et saxum transfertur de loco suo. Postquam Iob suam sententiam de futura resurrectione posuerat, hic probabilibus rationibus eam munit, et prima ratio sumitur ex comparatione hominis ad inferiores creaturas, quae totaliter consumuntur absque spe reparationis. Omnia enim quae generantur corruptioni subiecta sunt, unde et montes, licet videantur firmissimi, tamen ex certis causis post aliqua temporum curricula dissolvuntur, et hoc est quod dicit *Mons cadens defluit;* saxa etiam, licet videantur fortissima, tamen vel per violentiam vel ex aliqua causa naturali exciduntur, et hoc est quod sequitur *et saxum transfertur de loco suo;* lapides etiam, licet videantur durissimi, tamen aquis excavantur, et hoc est quod subditur *lapides excavant aquae;* terra etiam, licet videatur stabilissima, tamen a sua dispositione paulatim immutatur, et hoc est quod subditur *et abluvione paulatim terra consumitur.* Inconveniens autem esset si esset eadem ratio corruptionis hominis et rerum praedictarum, et ideo concludit, quasi inconveniens, *et homines ergo similiter perdes?*, quasi dicat: non est conveniens quod similiter corrumpantur homines sicut aliae creaturae corporales; nam praedictae creaturae totaliter corrumpuntur, unde non reparantur eaedem numero; homo vero, licet corrumpatur secundum corpus, remanet tamen incorruptibilis secundum animam quae totum genus corporalium transcendit, ut sic remaneat spes reparationis.

Deinde inducit ad idem rationes sumptas ex proprietatibus hominis. In duobus autem excellit homo omnes inferiores creaturas, quorum unum est virtus operativa: est enim dominus sui actus per liberum arbitrium, quod nulli alii creaturae corporali competit, et secundum hoc homo est potentior qualibet creatura corporali, unde et aliis utitur propter se ipsum; aliud autem in quo excellit est cognitio intellectiva, quae cum sit in mente, aliquod tamen eius indicium apparet in corpore, et praecipue in facie quam habet homo valde diversam ab aliis animalibus; et ex his duobus apparet quod homo non sic corrumpitur sicut alia ut in perpetuum non sint. Quantum ergo ad primum horum dicit *Roborasti eum paululum ut in perpetuum pertransiret?*, quasi dicat: non est conveniens quod tantum robur homini praestiteris ad modicum tempus, sic quod postea in perpetuum non esset; stultum enim videretur si aliquis faceret fortissimum instrumentum ut ad modicam horam eo uteretur, et postea ipsum omnino proiceret; virtus autem cuiuscumque creaturae corporeae est determinata ad finitos effectus, sed virtus liberi arbitrii se habet ad infinitas actiones: unde hoc ipsum attestatur virtuti animae ad hoc quod in infinitum duret. Quantum autem ad secundum, scilicet ad intellectum, dicit *Immutabis faciem eius et emittes eum?*, quasi dicat: non est conveniens quod tu faciem eius immutaveris, idest diversificaveris ab aliis animalibus, et tamen emittas eum a statu vitae in perpetuum non rediturum sicut alia animalia. Per faciem autem intellectiva cognitio accipi solet propter hoc quod est proprium rationalis creaturae; intellectualis autem cognitio non potest convenire nisi substantiae incorruptibili, ut a philosophis probatur.

Posset autem aliquis dicere quod, licet homo post mortem ad vitam non redeat, tamen non in perpetuum pertransit, inquantum quodammodo vivit in suis filiis: quod etiam verba Baldath sonant, cum supra dixit «Haec est laetitia viae eius ut rursum

262 etiam] autem N δ π 280 corporali] *om.* γ *ante* creaturae N β π 288 sint] sit F[a] Sv Pd π fuit N sunt V[1] (*def.* R)

253 corruptioni: cf. supra cap. 9 106 nota. 307 proprium rationalis creaturae: cf. Arist. *I De hist. animal.* cap. 8 (491 b 9).
309 philosophis: cf. Arist. *III De anima* 7 (429 a 18, b 5). 315 Cap. VIII[19].

[21] Sive nobiles fuerint filii eius sive ignobiles, non intelliget. [22] Attamen caro eius dum vivet dolebit, et anima illius super semet ipso lugebit.

alii de terra germinentur». Sed hanc responsionem excludit Iob subdens *Sive nobiles fuerint filii eius sive ignobiles, non intelliget*, quasi dicat: homo per intellectum capit aeternum bonum, unde et naturaliter ipsum desiderat; bonum autem quod est in successione filiorum non potest satiare appetitum intellectualem, si homo totaliter per mortem consumatur ut in perpetuum non sit, quia appetitus intellectualis non quiescit nisi in bono intellecto; bonum autem quod est in successione filiorum non intelligit homo neque dum vivit neque post mortem si totaliter desinat esse per mortem. Non ergo ad aeternitatem huius boni tendit appetitus intellectivus hominis sed ad bonum vel malum quod in se ipso habet, unde subdit *Attamen caro eius dum vivet dolebit, et anima illius super semet ipso lugebit*, ubi duplicem dolorem distinguit: unum quidem carnis in apprehensione sensus, alium autem animae ex apprehensione intellectus vel imaginationis qui proprie dicitur tristitia et hic luctus nominatur.

331 illius] ipsius N istius β eius δ π 335 qui] et F quod δ π

335 tristitia: sec. August. *XIV De civ. Dei* cap. 7 (PL 41,411) ut refert Thomas *De verit.* q. 26 a. 4 arg. 4 et *I-II* q. 35 a. 2 arg. 1.

CAPITULUM XV

[1] Respondens autem Eliphaz Themanites dixit: [2] Numquid sapiens respondebit quasi in ventum loquens, et implebit ardore stomachum suum? [3] Arguis eum verbis qui non est aequalis tui, et loqueris quod tibi non expedit. [4] Quantum in te est evacuasti timorem et tulisti preces coram Domino. [5] Docuit enim iniquitas tua os tuum, et imitaris linguam blasphemantium. [6] Condemnabit te os tuum et non ego, et labia tua respondebunt tibi. [7] Numquid primus homo tu natus es et ante omnes colles formatus?

Respondens autem Eliphaz Themanites dixit. Auditis verbis Iob, Eliphaz non ad profunditatem sententiarum eius respondet sed nititur ad calumniose reprehendendum aliqua verba a Iob prolata, secundum superficiem ipsorum verborum ea considerans et non secundum profunditatem intellectus eorum. Et primo quidem reprehendit hoc quod Iob dixerat in principio suae locutionis «Et mihi est cor sicut et vobis, nec inferior vestri sum», in quo quidem de duobus eum notat: primo quidem de inani gloria quia se ipsum commendat, et hoc est quod dicit *Numquid sapiens respondebit quasi in ventum loquens:* in ventum enim loqui videtur qui ad gloriam captandam verba componit; secundo autem de iracundia, propter hoc quod obiurgando loqui inceperat cum dixerat «Ergo vos estis soli homines» etc., et ideo subdit *et implebit ardore stomachum suum*, idest iracundia animum suum?

Deinde reprehendit eum de hoc quod dixerat «Disputare cum Deo cupio», et iterum «Duo tantum ne facias mihi, et tunc a facie tua non abscondar» etc., in quo quidem eum notat multipliciter: primo quidem de superbia quia contra maiorem se contendit, et hoc est quod dicit *Arguis eum verbis qui non est aequalis tui;* secundo de stultitia quia Eliphaz talem disputationem nocivam reputabat, unde subdit *et loqueris quod tibi non expedit*, disputando scilicet cum Deo. Et quare non expediat cum eo disputare, ostendit per hoc quod huiusmodi disputatio duo valde necessaria excludere videtur, quorum primum est timor Dei: qui enim timet aliquem non praesumit cum eo contendere, unde etiam et Iob supra dixerat «Fortitudo tua non me terreat», et ideo Eliphaz hic subdit *Quantum in te est evacuasti timorem*, quia scilicet conatus es a te timorem Dei excludere; secundum est oratio ad Deum: non enim est eiusdem contendere cum aliquo et eum rogare, et ideo subdit *et tulisti*, idest abstulisti, *preces coram Domino*, contra id quod supra Eliphaz dixerat «Quamobrem ego deprecabor Dominum». Disputaverat autem Iob cum Deo non ex superbia sed ex fiducia veritatis, sed Eliphaz temerarie iudicavit hoc ex iniquitate procedere, unde subdit *Docuit enim iniquitas tua os tuum;* et hoc ex effectu apparet quia blasphemas, unde sequitur *et imitaris linguam blasphemantium.* Blasphemans enim est qui Dei iustitiam negat, sed linguam blasphemantis imitari videtur qui cum Deo disputat de eius iustitia: disputare enim de aliquo videtur esse dubitantis de illo, dubitans autem propinquus est neganti.

Volens ergo Eliphaz contra disputationem Iob loqui, primo dicit quod Iob tam manifeste male locutus est quod non indiget alio reprehensore sed ipsa verba eius indicant eius malitiam, et hoc est quod dicit *Condemnabit te os tuum et non ego, et labia tua respondebunt tibi*, quasi dicat: non indigent verba tua alio respondente sed ipsa se interimunt. Ostendit tamen multipliciter disputationem praedictam non fuisse convenientem: primo quidem per comparationem eius ad omnes creaturas; si enim aliqua creatura cum Deo contendere posset, hoc praecipue competeret primae et excellentissimae creaturae, quod non conveniebat Iob, unde dicit *Numquid primus homo tu natus es et ante omnes colles formatus*, ut ex hoc scilicet competat tibi pro toto humano genere vel pro tota creatura disputare cum Deo? Secundo per comparationem ad Deum: ille enim potest cum aliquo de factis eius disputare convenienter qui cognoscit rationem qua ille cum quo disputat operatur, quam quidem cognoscere po-

70 quidem *om.* N δ π

8 Cap. XII[8]. 16 Cap. XII[3]. 20 Cap. XIII[3,10]. 33 Cap. XIII[21]. 40 Cap. V[8].

[8] Numquid consilium Dei audisti, et inferior te erit eius sapientia? [9] Quid nosti quod ignoremus? Quid intelligis quod nesciamus? [10] Et senes et antiqui sunt in nobis multo vetustiores quam patres tui. [11] Numquid grande est ut consoletur te Deus? Sed verba tua prava hoc prohibent. [12] Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? [13] Quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo huiuscemodi sermones? [14] Quid est homo ut immaculatus sit et ut iustus appareat natus de muliere? [15] Ecce inter sanctos eius nemo est immutabilis, et caeli non sunt mundi in conspectu eius. [16] Quanto magis abominabilis et inutilis homo qui bibit quasi aquam iniquitatem.

test dupliciter: uno modo ut ab eo addiscens, alio modo ut per superiorem sapientiam de factis alterius iudicans; sed neutrum competit Iob in comparatione hominis ad Deum, et hoc est quod dicit *Numquid consilium Dei audisti*, quantum ad primum, *et inferior te erit eius sapientia*, quantum ad secundum, ut sic cum Deo disputare possis? Tertio per comparationem ad alios homines, quibus non magis sciens apparet ut ex fiducia maioris scientiae cum Deo disputare praesumat, unde dicit *Quid nosti*, scilicet per fidem vel revelationem, *quod ignoremus? Quid intelligis*, naturali cognitione, *quod nesciamus?* Sed quia posset se Iob iactare de scientia accepta ab aliis, subdit *Et senes*, scilicet dignitate scientiae et vitae, *et antiqui* tempore *sunt in nobis multo vetustiores quam patres tui*, idest quam magistri tui a quibus scientiam accepisti vel, ad litteram, quam tui progenitores; per maiorem autem vetustatem maiorem sapientiam vult intelligi, quia per experimentum longi temporis aliquis sapientior redditur. Quarto ex parte ipsius Iob ostendit disputationem eius cum Deo fuisse inconvenientem, et primo quidem quia fuit ei nociva, explicans quod supra dixerat «Loqueris quod tibi non expedit», unde dicit *Numquid grande est ut consoletur te Deus?*, quasi dicat: facile est Deo ut te ad statum prosperitatis reducat, «quia ipse vulnerat et medetur», ut supra dixerat, *Sed verba tua prava hoc prohibent*, quibus iram Dei magis contra te provocas. Secundo ostendit quod fuit vana et superba, quasi exponens quod supra dixerat «Numquid sapiens respondebit quasi in ventum loquens?», unde subdit *Quid te elevat cor tuum*, scilicet per superbiam, ut intantum de tua sapientia praesumas? Et signum superbiae ostendit subdens *et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos?*: cum enim aliquis aliqua magna et mirabilia considerat, in stuporem adducitur et exinde contingit quod oculos attonitos habet. Tertio ostendit quod disputatio eius fuit praesumptuosa et impia, exponens quod supra dixerat «Arguis eum verbis qui non est aequalis tui», unde subdit *Quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo huiuscemodi sermones*, quibus scilicet Deum ad disputationem provocas?

Quid est homo ut immaculatus sit etc. Postquam Eliphaz reprehenderat Iob de hoc quod Deum ad disputandum provocaverat, quod videbatur ad praesumptionem sapientiae pertinere, nunc reprehendit eum de praesumptione iustitiae quia dixerat «Si fuero iudicatus, scio quod iustus inveniar». Quod quidem Eliphaz impugnat, primo quidem ex fragilitate condicionis humanae per quam homo, et difficulter vitat peccatum, unde dicit *Quid est homo ut immaculatus sit?*, et etiam difficulter operatur bonum, unde subdit *et ut iustus appareat natus de muliere?*, quia, ut dicitur Prov., «In abundanti iustitia virtus maxima est», quae non videtur competere ei qui ex infirma re originem habet. Secundo impugnat idem ex comparatione sublimiorum creaturarum, unde subdit *Ecce inter sanctos eius*, idest angelos, *nemo est immutabilis*, scilicet per naturam propriam sed solum dono divinae gratiae, quin possit in peccatum deflecti; *et caeli*, qui tenent supremum locum puritatis inter corpora, *non sunt mundi in conspectu eius*, idest per comparationem ad ipsum, quia sunt materiales et corporei et mutabiles. Tertio impugnat idem ex propria condicione ipsius Iob, quasi a maiori concludens: *Quanto magis abominabilis*, per peccatum, *et inutilis*, per defectum iustitiae, *homo qui bibit quasi aquam iniquitatem*, idest qui pro nihilo et absque aliqua observatione iniquitatem committit; qui enim bibit vinum cum aliqua observatione bibit ne inebrietur, quod in potu aquae non obser-

84 senes] senex F N β 94 Loqueris] loquens β^1 γ(-As) δ(-Pd) π 111 tui] tibi N γ t. π tumet] cumque N timet β(-V^1) γ(-As) π contumet V^1 tumescit Va 122 et] *om.* pF N V^1 Sv δ^1 π he(!) Va 132 sed] scilicet F N 140 qui *om.* β(-F^2) γ Va

89 experimentum...: cf. Arist. *VI Ethic.* 7 (1142 a 15). 94 Vers. 3. 97 Cap. v^{18}. 101 Vers. 2. 110 Vers. 3. 119 Cap. XIII^{18}. 126 Prov. XV^6.

[17] Ostendam tibi, audi me, quod vidi narrabo tibi: [18] sapientes confitentur et non abscondunt patres suos, [19] quibus solis data est terra, et non transibit alienus per eos. [20] Cunctis diebus suis impius superbit, et numerus annorum incertus est tyrannidis eius. [21] Sonitus terroris semper in auribus illius, et cum pax sit, ille insidias suspicatur. [22] Non credit quod reverti possit de tenebris ad lucem, circumspectans undique gladium.

vatur: in hoc ergo ipsum Iob notat quod de facili ad iniquitatem declinaret, sicut aliquis de facili et in promptu habet quod aquam bibat.

Ostendam tibi, audi me etc. Postquam Eliphaz reprehenderat Iob quod Deum ad disputationem provocaverat et quod de sua iustitia praesumebat, nunc reprehendit eum de verbis quae disputando dixerat, et praecipue de illis «Arbitraris me inimicum tuum; contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam», et «Posuisti in nervo» etc. Et primo excitat attentionem dicens *Ostendam tibi*, scilicet illud quod a Deo quaerebas, *audi me* attente; unde autem ostendere possit, manifestat subdens *quod vidi*, scilicet ex proprio intellectu inveniens, *narrabo tibi;* et iterum non erubescam dicere quod ab aliis audivi, eos in auctoritatem inducens, quia *sapientes confitentur et non abscondunt patres suos*, a quibus scilicet sapientiam perceperunt: hoc enim insipientium et superborum est ut quae ab aliis acceperunt sibi ascribant. Et quare non sint abscondendi, ex eorum dignitate ostendit cum subdit *quibus solis data est terra;* et potest hoc indifferenter et sub eodem sensu referri vel ad sapientes vel ad patres sapientum, quos vult intelligi etiam sapientes: sapientibus enim solis terra data esse dicitur quia bonorum terrenorum ipsi sunt domini, utentes eis ad suum bonum, insipientes autem utuntur eis ad suum damnum, secundum illud Sap. XIV[11] «Creaturae factae sunt in muscipulam pedibus insipientium». Et iterum ad eorundem dignitatem ostendendam subdit *et non transibit alienus per eos*, quia videlicet hi qui sunt a sapientia alieni consortio sapientum annumerari non possunt; vel quia sapientes ab extraneis non suppeditantur: per illos enim alienus transire dicitur qui ab aliquo alieno vincuntur et subiciuntur.

Postquam ergo auditorem attentum reddiderat, iam contra verba Iob disputantis respondere conatur, ex quibus duo intellexit: primo quidem quod Iob in angustia et timore vivebat, quasi Deo eum persequente et insidias ei ponente, quia dixerat «Arbitraris me inimicum tuum» et «observasti omnes semitas meas»; secundo quia de sua consumptione credebat eum dubitare, quia dixerat «Scribis contra me amaritudines, et consumere me vis peccatis adolescentiae meae»: primo ergo loquitur contra primum et secundo contra secundum, ibi «Habitabit in civitatibus desolatis». Ostendit ergo primo ex qua radice praedicta suspicio in corde Iob oriatur: quia ex eius impietate et voluntate nocendi, unde dicit *Cunctis diebus suis impius superbit*, idest extollitur contra Deum et in nocumentum hominum. Dies autem suos dicit non dies vitae eius sed dies potestatis vel properitatis; sed quia voluntas nocendi est homini a se ipso, potestas autem a Deo, non potest scire quanto tempore ei detur potestas implendi suam impiam voluntatem, unde subditur *et numerus annorum incertus est tyrannidis eius*. Et ex ista incertitudine sequitur suspicio et timor, quam consequenter describit dicens *Sonitus terroris semper in auribus illius*, quia scilicet ad quemlibet rumorem timet aliquid contra se parari, quasi de nullo confidens, propter quod subdit *et cum pax sit, ille insidias suspicatur*, idest cum nullus contra eum aliquid moliatur, ipse tamen de omnibus formidat propter suam impiam voluntatem qua paratus esset omnibus nocere.

Cum autem aliquis de aliquibus suis inimicis timet, potest sperare liberationem, etiam si ad horam succumbat, per adiutorium amicorum; sed ille qui de nullo confidit sed de omnibus timet, non potest sperare quod post oppressionem relevetur, et ideo subdit *Non credit quod reverti possit de tenebris ad lucem*, idest de statu adversitatis in statum prosperitatis, *circumspectans undique gladium*, idest ex omni parte inimicos sibi imminere videns; et hoc specialiter dicit propter hoc quod Iob dixerat «Quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum quod comeditur a tinea», per quod intellexit Eliphaz Iob desperare de sua liberatione. Contingit autem quandoque quod aliquis tyrannus etsi ab omnibus extraneis timeat, habet tamen aliquos familiares et domesticos cum quibus secure conversatur; sed

173 eorundem] eorum F F^a γ δ^1 π 179 reddiderat] reddidit F redderat N reddebat δ^1 π 202 illius] istius N β(-F^a) eius F^a As 215 in] ad N β(-V^1) δ π

151 Cap. XIII[24,27]. 183 Cap. XIII[24,27]. 186 Cap. XIII[25]. 189 Vers. 28. 196 voluntas nocendi...: cf. supra cap. 1 572 nota. 218 Cap. XIII[28].

[23] Cum se moverit ad quaerendum panem, novit quod paratus sit in manu eius tenebrarum dies. [24] Terrebit eum tribulatio et angustia vallabit eum, sicut regem qui praeparatur ad proelium. [25] Tetendit enim adversus Deum manum suam et contra Omnipotentem roboratus est. [26] Cucurrit adversus eum erecto collo et pingui cervice armatus est. [27] Operuit faciem eius crassitudo et de lateribus eius arvina dependet. [28] Habitabit in civitatibus desolatis et in domibus desertis, quae in tumulos sunt redactae. [29] Non ditabitur nec perseverabit substantia eius nec mittet in terra radicem suam. [30] Non recedet de tenebris; ramos eius arefaciet flamma,

quando est superabundans malitia eius, etiam a domesticis suis timet cum quibus vivit, unde sequitur *Cum se moverit ad quaerendum panem, novit quod paratus sit in manu eius tenebrarum dies*, idest mortis, quasi dicat: non solum insidias suspicatur in actibus exterioribus in quibus necesse habet cum extraneis conversari, sed etiam in actibus domesticis comedendo et bibendo et huiusmodi, a domesticis suis mortem sibi parari credens. Et cum ipse sic timeat de omnibus, non quiescit sed contra eos quos timet semper aliquid machinatur, et sic crescit ei timoris occasio, unde subdit *Terrebit eum tribulatio*, scilicet ab aliis sibi imminens, *et angustia vallabit eum*, scilicet per cordis timorem ex omni parte, *sicut regem qui praeparatur ad proelium:* rex enim qui praeparatur ad proelium sic angustiatur timore ne perdat quod tamen molitur inimicos destruere.

Quo autem merito in tantam miseriam timoris impius et tyrannus deveniat, ostendit subdens *Tetendit enim adversus Deum manum suam*, contra Deum agendo, *et contra Omnipotentem roboratus est*, idest potentia sibi data usus est contra Deum. Et quomodo contra Deum egerit, ostendit subdens *Cucurrit adversus eum erecto collo*, idest superbiendo: per superbiam enim maxime homo Deo resistit cui per humilitatem subici debet, secundum illud Eccli. X[14] «Initium superbiae hominis apostatare a Deo»; et sicut ille qui Deum diligit in via eius currere dicitur propter promptitudinem voluntatis ad serviendum ei, ita et superbus propter praesumptionem spiritus contra Deum currere dicitur. Superbia autem ex abundantia temporalium rerum oriri solet, et ideo sequitur *et pingui cervice armatus est*, scilicet contra Deum superbiendo: pinguedo enim ex abundantia humorum causatur, unde abundantiam temporalium significat. Sicut autem humilitas principium est sapientiae, ita et superbia sapientiae est impedimentum, unde sequitur *Operuit faciem eius crassitudo:* per operimentum enim faciei impedimentum cognitionis designatur. Nec solum opulentia quae est superbiae causa in ipso invenitur, sed etiam ad collaterales eius derivatur, unde sequitur *et de lateribus eius arvina dependet.* Per quae omnia significare intendit quod Iob ex opulentia in superbiam incidit, per quam contra Deum se erexit et tyrannidem in homines exercuit, et ideo in hanc suspicionem devenit ut Deum sibi adversarium et insidiatorem suspicaretur.

Habitabit in civitatibus desolatis etc. Postquam ostendit Eliphaz angustias timoris quas impius patitur etiam in statu prosperitatis existens, nunc loquitur de amaritudinibus quibus in adversitatem deiectus consumitur, propter hoc quod Iob dixerat «Scribis contra me amaritudines, et consumere me vis peccatis adolescentiae meae». Inter alias amaritudines primam ponit quod efficitur fugitivus; est autem fugitivorum consuetudo quod loca occulta et inhabitata quaerunt, et ideo dicit *Habitabit in civitatibus desolatis et in domibus desertis, quae in tumulos sunt redactae:* huiusmodi enim loca consueverunt esse fugitivorum receptacula. Secundam, quod suis divitiis spoliatur, unde dicit *Non ditabitur*, ut scilicet de novo divitias acquirat, *nec perseverabit substantia eius*, ut divitias prius acquisitas retinere possit. Tertiam ponit impossibilitatem recuperandi, dicens *nec mittet in terra radicem suam:* arbor enim si extirpetur et iterum plantetur, convalescit si in terram mittat radicem, sed si in terram radicem mittere non possit, non potest iterum convalescere. Et quasi hoc exponens subdit *Non recedet de tenebris*, idest de statu adversitatis; et rationem non redeundi ad lucem assignat subdens *ramos eius arefaciet flamma:* arbor enim si extirpata fuerit, ramis virentibus adhuc remanet spes reparationis quia possunt inseri vel plantari, sed si rami comburantur, nulla spes ultra remanet recuperationis; rami autem hominis sunt filii et aliae personae coniunctae per

290 terra] terram V^1 γ 292 terram[1]] terra F δ π terram[2]] terra F[2] δ(-Pd)

255 Superbia: cf. *Glossa ordin.* super Iob XXI[24]; vide supra cap. 12 120. 259 abundantiam temporalium: cf. Alan. de Insulis *Distinctiones* s. v. Pinguedo (PL 210,901 A). 260 humilitas...sapientiae: cf. Prov. XI[2]. 278 Cap. XIII[28].

et auferetur spiritu oris sui. [31] Non credat frustra errore deceptus quod aliquo pretio redimendus sit. [32] Antequam dies eius impleantur peribit et manus eius arescent. [33] Laedetur quasi vinea in primo flore botrus eius, et quasi oliva proiciens florem suum. [34] Congregatio enim hypocritae sterilis, et ignis devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt. [35] Concepit dolorem et peperit iniquitatem, et uterus eius praeparat dolos.

quas homo interdum a statu adversitatis resurgit, sed filii Iob occisi erant et eius familia perierat; et ipsemet infirmitate oppressus erat, quod innuit subdens *et auferetur spiritu oris sui*, idest superbia verborum suorum, ut non posset aliquo modo recuperationem sperare, nec etiam a Deo quem superbia verborum offendit, unde subdit *Non credat frustra errore deceptus quod aliquo pretio redimendus sit*, idest quod aliquo auxilio liberandus sit de tribulatione. Quartam amaritudinem ponit abbreviationem vitae, unde subdit *Antequam dies eius impleantur peribit*, idest morietur antequam perficiatur tempus aetatis eius, *et manus eius arescent*, idest eius filii et propinqui deficient. Et subdit exemplum dicens *Laedetur quasi vinea in primo flore botrus eius*, quae quidem laesio ex frigore solet accidere, unde significat exteriorem persecutionem; *et quasi oliva proiciens florem suum*, quod solet accidere ex aliqua interiori causa, unde significat meritum adversitatis ex parte ipsius qui patitur. Unde de hoc merito subdit *Congregatio enim hypocritae sterilis*, idest illa quae congregantur ab hypocrita infructuosa redduntur, *et ignis devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt:* fit enim interdum ex divino iudicio ut ea quae male acquisita sunt de facili consumantur; et hoc dicit notans Iob de rapacitate et hypocrisi quasi propter huiusmodi peccata ei adversitas acciderit. Et addit tertium peccatum, scilicet dolositatem, unde sequitur *Concepit dolorem*, idest praeexcogitavit in corde suo qualiter alii dolorem inferret; cuius quidem conceptus partus est nocumentum iniuste illatum, unde sequitur *et peperit iniquitatem*. Adiungit consequenter modum quo hoc perficiat dicens *et uterus eius praeparat dolos:* hypocritarum enim est non manifeste sed dolose aliis nocumentum inferre; per uterum autem cor intelligitur in quo fiunt conceptus spirituales, sicut in utero conceptus corporales.

CAPITULUM XVI

[1] Respondens autem Iob dixit: [2] Audivi frequenter talia, consolatores onerosi omnes vos estis. [3] Numquid habebunt finem verba ventosa? Aut aliquid molestum tibi est si loquaris? [4] Poteram et ego similia vobis loqui, atque utinam esset anima vestra pro anima mea: [5] consolarer et ego vos sermonibus et moverem caput meum super vos, [6] roborarem vos ore meo et moverem labia, quasi parcens vobis. [7] Sed quid agam? Si locutus fuero non quiescet dolor meus, et si tacuero non recedet a me.

Respondens autem Iob dixit etc. Eliphaz in sua responsione durius contra Iob locutus fuerat: unde Iob in principio sui sermonis eum arguit de indecenti consolatione, primo quidem quia frequenter eadem repetebat, tam ipse quam amici eius, unde dicit *Audivi frequenter talia*, quasi dicat: vestra locutio semper circa idem versatur. Diversis enim verbis ad idem intendebant, scilicet ad arguendum Iob quod pro peccatis suis in adversitates inciderat, et ideo subdit *consolatores onerosi omnes vos estis:* consolatoris enim officium est ea dicere quibus dolor mitigetur; onerosus ergo consolator est qui ea loquitur quae magis animum exasperant. Possent tamen haec excusationem habere quando ad utilitatem aliquam verba exasperantia proferrentur et veritatem continerent aut etiam breviter et pertranseundo dicerentur, sed si aliquis verba exasperantia contristatum falso, inutiliter et prolixe prosequatur, onerosus consolator videtur, unde subdit *Numquid habebunt finem verba ventosa?* In hoc enim quod dicit *Numquid habebunt finem*, ostendit quod prolixe immorabantur circa verba exasperantia; in hoc vero quod dicit *verba ventosa*, ostendit quod inutilia et falsa erant, soliditatem non habentia.

Ostendit autem consequenter quod non erat paritas ex utraque parte in hac disputatione quia amici Iob absque molestia loquebantur, unde dicit *Aut aliquid molestum tibi est si loquaris?*, quasi dicat: ideo tam prolixe loqueris in meam calumniam quia ex hoc nullam molestiam sentis; Iob autem molestabatur. Et ne aliquis crederet quod haec disputatio esset facilis amicis Iob propter eminentem scientiam, Iob autem molesta propter scientiae defectum, hoc excludit ostendens quod si adversitate non deprimeretur et esset in statu amicorum suorum, similia loqui posset, unde dicit *Poteram et ego similia vobis loqui*, scilicet si adversitate non gravarer. Et huius rei experiendae sibi facultatem desiderat dicens *atque utinam esset anima vestra pro anima mea*, ut scilicet vos adversitatem pateremini quam ego patior. Quod quidem dicit non affectu odii aut livore vindictae sed ut a crudelitate qua utebantur, suis verbis Iob exasperantes, revocarentur dum sentirent sibi esse aspera verba similia si eis dicerentur: unde subdit *consolarer et ego vos sermonibus*, scilicet similibus quibus vos me consolamini, *et moverem caput meum super vos*, in signum compassionis vel in signum reprobationis, sicut vos me arguitis; et etiam *roborarem vos ore meo*, ne per impatientiam deficeretis, *et moverem labia*, scilicet ad loquendum, *quasi parcens vobis*, idest simulans me ex misericordia quam ad vos haberem loqui, sicut vos circa me facitis.

Sic igitur leve esset mihi loqui sicut et vobis si in statu vestro essem, sed nunc impedior dolore qui non tollitur neque locutione neque taciturnitate, unde subdit *Sed quid agam? Si locutus fuero non quiescet dolor meus, et si tacuero non recedet a me.* Est autem duplex dolor: unus quidem interior qui tristitia nominatur, proveniens ex apprehensione alicuius mali inhaerentis; alius autem est dolor exterior qui est dolor secundum sensum, puta ex solutione continui proveniens vel ex aliquo huiusmodi. Primus quidem igitur horum dolorum collocutione

7 semper *om.* N γ 18 contristatum] contra *praem.* sV¹ F² Sv δ¹ π contra tristatum As et contristantia Va 36 posset] possent F N 37 vobis] verba β¹ verbis V² vestri *cum Vulg.* Pd π 57 quiescet] —scit N β(-F²) —sceret F² quies. F As 58 recedet] —dit N V² re. F γ(-Sv) 62 solutione] sublatione N divisione V¹ δ π prepl'one F² divisione prepl'ce V² 64 igitur *om.* F V¹ Pd π

59 duplex dolor: cf. supra cap. 14 335 nota. 62 ex solutione continui: cf. Avicen. *I Canon medic.* fen 2 doctr. 3 c. 11 (ed. Venetiis 1555, f. 46v) et *II De anima* cap. 3 (ed. Venetiis 1506, f. 8rb); vel ex aliquo huiusmodi: scil. 'ex laesione corporis' ut usitatius habetur apud Thomam e.g. *De verit.* q. 26 a. 3.

[8] Nunc autem oppressit me dolor meus, et in nihilum redacti sunt omnes artus mei. [9] Rugae meae testimonium dicunt contra me, et suscitatur falsiloquus adversum faciem meam, contradicens mihi. [10] Collegit furorem suum in me, et comminans mihi infremuit contra me dentibus suis. Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est. [11] Aperuerunt super me ora sua, exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt poenis meis. [12]Conclusit me Deus apud iniquum et manibus impiorum me tradidit.

tolli potest, non autem secundus, et ideo consequenter ostendit quod intelligit de hoc secundo dolore qui verbis non tollitur, dicens *Nunc autem oppressit me dolor meus*, idest impedivit me ne faciliter et libere uti possim ratiocinatione sicut antea solebam: nam cum est dolor vehemens in sensu, oportet quod intentio animae avocetur vel impediatur ab intellectualium consideratione. Et quod de dolore corporali intelligat, ostendit subdens *et in nihilum redacti sunt omnes artus mei:* omnia enim membra eius ulcerata erant, sicut supra dictum est quod « Satan percussit Iob ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem ».

Et non solum dissipationes membrorum dolorem sensibilem mihi ingerunt, sed etiam sunt in argumentum contra me. Amici enim Iob videntes eum sic ulceratum ex hoc argumentabantur quod graviter peccasset, putantes hoc ei in poena peccati accidisse, et hoc est quod sequitur *Rugae meae testimonium dicunt contra me:* ex infirmitatibus enim corrugatur corpus propter humidi consumptionem sicut et ex senectute. Quomodo autem rugae contra ipsum testimonium perhibeant, ostendit subdens *et suscitatur falsiloquus adversum faciem meam, contradicens mihi:* falsum enim dixerat Eliphaz quod propter peccatum in hanc infirmitatem incidisset. Vel potest dici quod Iob intellexit per Spiritum sanctum suam adversitatem a diabolo procuratam, Deo permittente; unde quicquid passus est vel in damnis rerum et filiorum vel in proprii corporis ulcere vel etiam in molestatione uxoris et amicorum, totum hoc diabolo attribuit quasi instiganti: ipsum ergo vocat falsiloquum contra suam faciem suscitatum quia intelligebat instigante diabolo amicos suos contradicentes ei. Et secundum hunc sensum planius est quod sequitur *Collegit furorem suum in me:* videtur enim diabolus totum furorem suum contra Iob collegisse dum omni modo nocendi ipsum impugnavit; et non solum in praeterito me afflixit sed etiam in futurum mihi comminatur, et hoc est quod sequitur *et comminans mihi infremuit contra me dentibus suis*. Et loquitur per similitudinem bestiae quae homini comminando dentes contra ipsum parat; hoc autem dicit propter hoc quod Eliphaz usque ad mortem ei sub persona impii mala imminere praenuntiaverat: intelligebat autem Iob huiusmodi comminationes per os Eliphaz a diabolo esse procuratas, et ideo dicebat quod dentibus contra eum infremuerat.

Non solum autem Eliphaz verbis comminationis contra eum usus fuerat mala praenuntiando sed etiam de factis eius male iudicaverat, eum impium et hypocritam nominans, et ideo subdit *Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est:* placidis enim oculis aliquem aliquis intuetur quando facta eius benigne interpretatur, sed quando bona interpretatur in malum tunc terribilibus oculis intuetur, et ideo subdit *Aperuerunt super me ora sua*, scilicet amici mei ab hoste meo instigati; et hoc exponit subdens *exprobrantes percusserunt maxillam meam:* ille enim dicitur in faciem aliquem percutere qui ei improperium in facie dicit; amici autem Iob multa improperia contra eum dixerant, peccata multa ei exprobrantes. Et quia iusti homines videntes peccata puniri de iustitia laetantur, secundum illud Psalmi « Laetabitur iustus cum viderit vindictam », amici Iob se iustos reputantes, Iob autem peccatorem, de poenis eius gaudebant quodammodo quasi divinae iustitiae congratulantes, et ideo sequitur *satiati sunt poenis meis.*

Et ne aliquis crederet quod Iob opinaretur huiusmodi poenas sibi a Deo inflictas non esse quia dixerat ab hoste se esse afflictum, ad hoc excludendum subdit *Conclusit me Deus apud iniquum*, idest diabolum, concedendo me scilicet potestati ipsius, *et manibus impiorum me tradidit*, quantum ad eos qui instinctu diaboli eum vel factis vel verbis afflixerant: intellexit enim Iob afflictiones suas sibi per diabolum quidem sed Deo permittente irrogatas. Et huius signum evidens ostendit quadruplex: primo quidem

71 avocetur] evocetur N V^1 γ π revocetur Va annotetur Pd 82 poena] penam V^1 γ δ π 126 facie] faciem β γ δ^1 143 sed] se F V^2 se sed N *om.* F^2 δ π

71 impediatur...: similiter in *I-II* q. 37 a. 1 allato August. *I Solil.* cap. 12 (PL 32,880). 76 Cap. II^7. 85 propter humidi consumptionem: cf. supra cap. 7 118 nota. 89 dixerat: cap. IV^7. 110 praenuntiaverat: cap. XV^{32}. 116 impium: cap. XV^{20}; et hypocritam: cap. XV^{34}. 129 Ps. LVII^{11}.

[13] Ego ille opulentus quondam repente contritus sum. Tenuit cervicem meam, confregit me. Posuit me sibi quasi in signum: [14] circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit et effudit in terram viscera mea. [15] Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas. [16] Saccum consui super cutem meam et operui cinere carnem meam. [17] Facies mea intumuit a fletu et palpebrae meae caligaverunt.

quia a maxima prosperitate non paulatim decidit, sicut consuetum est in rebus humanis, sed subito totaliter corruit, quod non videtur potuisse subito casu accidere sed ex sola divina ordinatione, et hoc est quod dicit *Ego ille opulentus quondam repente contritus sum;* et in hoc quod dicit *opulentus* designatur divitiarum abundantia, in hoc autem quod dicit *ille* designatur claritas famae eius qua ab omnibus demonstrabatur. Secundum autem signum est quod totaliter corruit, ad quod significandum subdit *Tenuit cervicem meam, confregit me;* et loquitur ad similitudinem alicuius fortissimi viri qui, alicuius debilis cervice apprehensa, eam confringeret et sic totaliter eum de vita auferret: sic enim Iob videbatur totaliter prosperitatis statum amisisse. Tertium signum est quod non una adversitate sed multis simul concurrentibus oppressus fuit, ut supra narratum est, et quantum ad hoc subdit *Posuit me sibi quasi in signum,* quod scilicet ponitur diversis sagittis feriendum, et ideo subdit *circumdedit me lanceis suis,* ubi tripliciter multitudinem suarum adversitatum describit: primo namque ostendit se exterius vulneratum in rebus possessis, et ad hoc pertinet quod dicit *circumdedit me lanceis suis;* res enim exteriores circa nos sunt quasi extrinsecae: tunc ergo homo lanceis adversitatis circumdatur quando in rebus exterioribus damnificatur. Secundo autem dicit se percussum interius quantum ad personarum afflictionem, et hoc est quod subdit *convulneravit lumbos meos,* quasi dicat: non solum in circuitu lanceatus sum, sed vulnera pervenerunt usque ad interiora in quibus delectabatur, quae per lumbos significantur in quibus est delectatio vel etiam generationis origo, unde etiam per lumbos filii oppressi possunt designari; et insuper ostendit multitudinem percussionis ex his quae in propria persona est passus, unde subdit *Concidit me,* in propria scilicet persona, *vulnere* ulceris pessimi, *super vulnus* mortis filiorum. Quartum signum est, quod eius tribulatio ex divina providentia processerit, quod resisti non potuit nec remedium adhiberi, secundum illud quod supra IX[13] dictum est «Deus cuius irae resistere nemo potest», et hoc est quod subdit *irruit in me quasi gigas,* cui propter magnitudinem potestatis homo debilis resistere non potest. Et possunt haec omnia intelligi vel de Deo qui conclusit, vel melius de iniquo, scilicet diabolo, apud quem conclusit.

Haec igitur omnia commemoravit Iob de magnitudine suae adversitatis ad ostendendum quod non de pari poterat cum eis contendere, quia ab huiusmodi adversitatibus immunes erant. Verum Eliphaz eum de superbia notaverat dicens «Quid te elevat cor tuum» etc., quae tanto fuisset detestabilior quanto per graves adversitates emendari potuisset, secundum quod contra quosdam in Psalmo dicitur «Dissipati sunt nec compuncti»; et ideo consequenter descripta sua adversitate, ostendit se humiliatum, primo quidem quantum ad exteriorem habitum, cum dicit *Saccum consui super cutem meam:* talis enim habitus est humilitatis signum, ut legitur de Ninivitis Ion. III[5]; similiter etiam cinis adhibetur ad recognoscendum propriam fragilitatem – unde Abraham dixit Gen. XVIII[27] «Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis» –, unde subdit *et operui cinere carnem meam:* legitur enim supra quod «in sterquilinio» sedebat in signum humilitatis. Secundo ostendit suam humilitatem per multitudinem fletus, cuius duo signa ponit: primo quidem tumorem faciei, cum dicit *Facies mea intumuit a fletu:* ascendens enim multa lacrimarum materia ad caput, facies plorantium intumescit; secundum vero impedimentum visus, et hoc est quod subdit *et palpebrae meae caligaverunt,* scilicet a fletu: ad litteram enim propter discursum humorum visus oculorum impeditur.

152 omnibus] hominibus N V^1 $\gamma(-F^2)$ 166 exterius] et *praem.* F N V^1 δ^1 π 190 quod] cui β^1 γ δ π quia V^2
221 multa] multitudo V^2 materia] rota N V^1 vero F^2 *om.* V^2 *ante* lacrimarum δ π 222 secundum] —do As π

161 supra: cap. I et II. 177 delectatio: cf. Isid. *XI Etymol.* cap. I (PL 82,409); generationis origo: cf. infra cap 40 328 nota.
203 Cap. XV[12]. 206 Ps. XXXIV[15]. 213 fragilitatem: cf. *Glossa interlin.* super Esther IV[1]. 216 supra: cap. II[8].

[18] Haec passus sum absque iniquitate manus meae, cum haberem mundas ad Deum preces. [19] Terra, ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus. [20] Ecce enim in caelo testis meus, et conscius meus in excelsis. [21] Verbosi amici mei, ad Deum stillat oculus meus. [22] Atque utinam sic iudicaretur vir cum Deo quomodo iudicatur filius hominis cum collega suo! [23] Ecce enim breves anni transeunt, et semitam per quam non revertar ambulo.

Ex his autem quae de gravitate suae adversitatis praemisit et de magnitudine suae humiliationis, posset aliquis suspicari quod ipse, quasi recognoscens gravitatem suorum peccatorum, se paenitendo humiliaverit reputans se pro suis peccatis afflictum, quod Eliphaz innuere volebat dicens «Ecce inter sanctos nemo immutabilis» etc., et ideo ad hoc removendum dicit *Haec passus sum absque iniquitate manus meae*, per quod excludit a se peccata operum; subdit autem *cum haberem mundas ad Deum preces*, ut excludat a se peccatum indevotionis et omissionis, per quod videtur respondere ei quod supra XI[14] dixerat Sophar «Si iniquitatem quae est in manu tua abstuleris, levare poteris manum tuam absque macula». Sed ad excludendum innocentiam Iob Eliphaz iam bis usus fuerat argumento supposito ex fragilitate terrenae naturae: nam supra IV[18] dixerat «Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, quanto magis hi qui habitant domos luteas», et postea supra XV[15] idem repetierat dicens «Caeli non sunt mundi in conspectu eius, quanto magis abominabilis et inutilis homo»; et ideo ad hoc excludendum subdit *Terra, ne operias sanguinem meum*, et intelligit per sanguinem sui corporis afflictionem: hic autem sanguis operiretur si pro culpa fuisset effusus, sic enim non haberet gloriam; operiretur autem a terra si occasione terrenae fragilitatis praesumptio de praecedenti culpa praesumeretur. Si autem sanguis eius absque culpa fuit effusus, iustam querelam habuit contra effundentem, sicut Gen. IV[10] dicitur «Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra»; hic autem clamor lateret si iniusta conquestio sua videretur, quasi eius qui pro culpa fuerit punitus, et ideo subdit *neque inveniat in te locum latendi clamor meus*, ut scilicet ex terrenae conversationis fragilitate videar iniuste conqueri, quasi sim pro culpa punitus. Verum est autem quod difficile est hominem terrena conversatione absque iniquitate peccati mortalis uti, non est tamen impossibile, Deo adiuvante per gratiam, qui etiam interioris puritatis est testis, et ideo subdit *Ecce enim in caelo testis meus*, quasi dicat: ideo terra non potest operire sanguinem meum quia maius est testimonium caeli quam praesumptio de fragilitate terrae. Est autem hic testis caeli idoneus quia etiam conscientiae secreta rimatur, unde subdit *et conscius meus in excelsis*, quasi dicat: ideo in infimo terrae non potest locum latendi clamor meus invenire quia conscientia mea nota est in excelso.

Verbosi amici mei etc. Postquam Iob descripsit magnitudinem suae adversitatis et suam humilitatem et innocentiam, procedit ulterius ad improbandum vanam consolationem quam amici eius ei frequenter iterabant, scilicet de spe temporalis prosperitatis recuperandae, unde et Eliphaz supra dixerat «Numquid grande est ut consoletur te Deus» etc. Unde huius consolationis vanitatem ostendere intendens, praemittit *Verbosi amici mei*, quasi dicat: verba inania mihi promittunt; non enim in temporalibus recuperandis est consolatio mea sed in Dei fruitione adipiscenda, et hoc est quod subdit *ad Deum stillat oculus meus*, idest lacrimatur prae Dei desiderio, secundum illud Psalmi «Fuerunt mihi lacrimae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus?».

Et ad expositionem eius quod dixerat subdit *Atque utinam sic iudicaretur vir cum Deo quomodo iudicatur filius hominis cum collega suo!* Iudicatur enim vir cum collega suo dum unus alteri praesentialiter adest et invicem sibi suas rationes promunt: desiderabat ergo Deo praesens existere et rationes divinorum operum et iudiciorum cognoscere, in quo felicitas humana consistit, in cuius spe erat eius consolatio, non in vanis amicorum verbis quibus recuperationem temporalis prosperitatis promittebant; et ideo ad ostendendam vanitatem huius promissionis subiungit *Ecce enim breves anni transeunt*, quia scilicet «homo brevi vivit tempore», ut supra

231 afflictum] et ideo *add.* γ et hoc est *add.* sAs secundum *add.* δ π 232 volebat] voluerat F γ 240 manum *codd.* (*def.* R)] faciem *Vulg. et ipse Thomas supra cap.* II 222 242 supposito] sumpto γ δ π 245 et *om.* β(-V[1]) γ(-Sv) δ π 258 conquestio] questio N γ 259 fuerit] *om.* β[1] esset *post* punitus V[2] fuit As fuerat δ π 260 inveniat] —niias F N 295 promunt *scripsi. cum* sF] promittunt *ut vid.* pF premittit N deponunt β R depromunt γ Pd depremunt Va π

232 Cap. XV[15]. 265 Deo adiuvante: cf. Thomas *I-II* q. 109 a. 8. 276 adversitatis: vers. 14; humilitatem: vers. 16; innocentiam: vers. 18. 281 Cap. XV[11]. 288 Ps. XLI[4].

XIII dictum est; temporis autem vitae Iob iam transierat magna pars, unde breves anni ei restabant in quibus si esset prosperitas non magnam consolationem afferret propter temporis brevitatem. Fuerunt autem aliqui qui credebant hominem post mortem iterato ad praesentis vitae cursum redire, et sic videri posset quod in spe terrenae prosperitatis recuperandae saltem in illa futura vita, posset Iob consolationem habere; et ideo ad hoc excludendum subdit *et semitam per quam non revertar ambulo:* homo enim in hac mortali vita per aetatis processum tendit in mortem, nec in hoc processu iteratio potest esse, ut scilicet iterato homo sit puer et aetates huius vitae perambulet.

304 XIII *scripsi cum* V² *et ipso Thoma supra cap.* 13 438] 9 Va iiii δ¹ xiiii *cet.* 315 processu *scripsi cum* sN F² Pd] processus *cet.*

304 XIII: XIV¹ sec. ed. Clementinam Vulg. 308 aliqui: cf. supra cap. 7 138 nota.

CAPITULUM XVII

[1] Spiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur et solum mihi superest sepulcrum. [2] Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus. [3] Libera me et pone me iuxta te, et cuiusvis manus pugnet contra me.

Spiritus meus attenuabitur etc. Ostenderat superius Iob multiplicitatem suae afflictionis et mentis humilitatem <et> innocentiam et vitae irrevertibilis brevitatem ex qua verbositas amicorum eius convincebatur, et ideo in hoc capitulo intendit manifestare praemissa et finaliter eorum ignorantiam concludere. Primo autem incipit manifestare quod dixerat de processu vitae humanae, et praemittit causam brevitatis vitae, cum dicit *Spiritus meus attenuabitur:* vita enim corporis est per vitales spiritus qui a corde ad omnia membra diffunduntur, qui quandiu in corpore durant corpus vivit; sed quando virtus caloris naturalis incipit debilitari in corde, huiusmodi spiritus minuuntur, quam quidem diminutionem et debilitationem per spiritus attenuationem designat. Et huius causae subiungit effectum dicens *dies mei breviabuntur:* debilitas enim vitalis spiritus abbreviat dies vitae. Et ne aliquis crederet quod attenuatus spiritus iterum roborandus esset secundum speciem huius vitae mortalis, ad hoc excludendum subdit *et solum mihi superest sepulcrum*, quasi dicat: finitis huius brevibus vitae diebus, nihil de praesenti vita mihi relinquitur nisi sepulcrum et ea quae sepulcro conveniunt.

Deinde alio modo consolationis eorum vanum ostendit: consolabantur enim eum dicentes huiusmodi adversitates propter peccata ei provenisse, de quibus si paeniteret ad prosperitatem rediret; sed ipse hoc excludens dicit *Non peccavi*, quia scilicet non habebat conscientiam remordentem de aliquo gravi peccato propter quod tantas adversitates incurrisset, unde et infra XXVII[6] dicit «Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea» – et ideo non est contra id quod dicitur I Ioh. I[8] «Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus» –, et per hoc exprimit quod supra dixerat de sua innocentia «Haec passus sum absque iniquitate manus meae». Subdit autem *et in amaritudinibus moratur oculus meus;* pluraliter autem dicit *amaritudinibus*, propter multiplices adversitates quas supra enumeravit; dicit autem *moratur*, quia quamvis inter amaritudines se humiliaverit saccum consuens super cutem suam, adhuc tamen amaritudines perseverant; attribuit autem amaritudines oculo propter fletum, de quo supra dixerat «Facies mea intumuit a fletu», et iterum «Ad Deum stillat oculus meus», quia sic oculus eius flebat inter amaritudines quod ad solum divinum auxilium intendebat, et ideo hic subditur *Libera me:* intelligebat enim se ab eo solo liberari posse qui eum apud iniquum concluserat. Non autem sic se liberari ab adversitate petebat sicut qui post adversitatem prosperitatem terrenam assequuntur, sed petit ut ad celsitudinem spiritualem perducatur, unde subdit *et pone me iuxta te:* quia enim Deus est ipsa essentia bonitatis, necesse est ut qui iuxta Deum ponitur a malo liberetur. Ponitur autem homo iuxta Deum inquantum ei mente appropinquat per cognitionem et amorem, sed hoc quidem imperfecte contingit in statu viae in quo homo impugnationes patitur, et quia est iuxta Deum positus ab eis non superatur; perfecte autem homo mente iuxta Deum ponitur in statu ultimae felicitatis in quo impugnationes iam pati non potest, et hoc est quod desiderare se ostendit dicens *et cuiusvis manus pugnet contra me*, quia scilicet quantumcumque aliqui me velint impugnare, si iuxta te perfecte positus fuero nullius impugnatio me molestabit: hoc est ergo in quo Iob inter

3 <et> *suppl. cum* F^2 F^3 δ π] in sV[1] *om. cet.* 19 attenuatus] –atur F N V^1 –atio V^2 22 brevibus] *post* diebus V^2 *ante* huius F^2 *post* vitae γ Pd π 22 vitae *post* diebus Va 25 consolationis] –onem F V^1 δ π vanum] vanitatem F^3 γ vanam V^1 vanam esse δ π 39 amaritudinibus] in *praem.* F^2 γ(-Sv) et in *praem.* Va amaritudines Pd π 47 meus] eius F N V^2 *om.* V^1 Va (*def.* pPd)

2 multiplicitatem suae afflictionis: cap. XVI[11]; humilitatem: cap. XVI[16]; innocentiam: cap. XVI[18]; vitae...brevitatem: cap. XVI[22]. 6 eorum ignorantiam: vers. 10. 10 per vitales spiritus: cf. Albertus *I De spiritu et respir.* tr. 2 c. 3; vide infra cap. 18 167 nota. 37 Cap. XVI[18]. 42 saccum...suam: cap. XVI[16]. 45 Cap. XVI[17.21]. 50 apud iniquum concluserat: cap. XVI[12]. 55 essentia bonitatis: sec. Dionys. *De div. nom.* cap. 1 § 5 (PG 3.593 D; Dion. 41) ut refert Thomas *De subst. separ.* cap. 17 (al. 19) circa finem.

[4] Cor eorum longe fecisti a disciplina, propterea non exaltabuntur. [5] Praedam pollicetur sociis, et oculi filiorum eius deficient. [6] Posuit me quasi in proverbium vulgi et exemplum suum coram eis. [7] Caligavit ad indignationem oculus meus, et membra mea quasi in nihilum sunt redacta. [8] Stupebunt iusti super hoc, et innocens contra hypocritam suscitabitur. [9] Et tenebit iustus viam suam, et mundis manibus addet fortitudinem. [10] Igitur vos omnes convertimini et venite, et non inveniam in vobis ullum sapientem.

amaritudines consolationem habebat, sperans se iuxta Deum ponendum ubi impugnationes timere non posset.

Hanc autem spiritualem consolationem ipsius Iob amici eius verbosi non intelligebant, et ideo subdit *Cor eorum longe fecisti a disciplina*, scilicet tua spirituali, per quam doces spiritualia bona contemptis temporalibus sperare; et quia in solis temporalibus et infimis rebus <spem ponunt>, ad spiritualem altitudinem pervenire non possunt ut iuxta Deum ponantur, et hoc est quod subdit *propterea non exaltabuntur*. Et ex hoc quod longe facti sunt a disciplina spirituali, procedit quod sola temporalia Eliphaz Iob in consolationem promittebat, et hoc est quod subdit *Praedam pollicetur sociis*, idest temporalium adeptionem quae uni advenire non possunt nisi alio amittente, unde temporalium acquisitio depraedationi assimulatur. Non est autem hoc universaliter verum ut post paenitentiam homines temporalem prosperitatem recuperent, quia nec boni semper temporali prosperitate florent, unde subdit *et oculi filiorum eius deficient;* filios eius dicit illos qui eius promissioni credentes ex bonis quae agunt temporalia sperant, sed dum ea non assequuntur oculi eorum deficiunt, quasi a spe sua decidentes. Sicut autem bene agentibus temporalia Eliphaz promittebat, ita etiam omnes adversitates temporales propter peccata eius qui patitur asserebat provenire; et quia Iob multas adversitates passus erat, eum in exemplum apud vulgus ponebat, et hoc est quod subdit *Posuit me quasi in proverbium vulgi et exemplum suum coram eis*, quia scilicet ad suam sententiam asserendam de causa adversitatum Iob in exemplum ponebat, ac si esset pro peccato punitus.

Pertinet autem ad iustorum zelum ut videntes per falsam doctrinam rectitudinem divinorum iudiciorum perverti indignentur, et ideo Iob consequenter magnitudinem sui zeli ostendit dupliciter: primo quidem per quandam mentis turbationem – « Ira enim per vitium oculum caecat, sed ira per zelum oculum turbat », ut Gregorius dicit –, et ideo subdit *Caligavit ad indignationem oculus meus*, scilicet rationis, cuius acies est per iram zeli turbata; secundo per hoc quod ira per zelum etiam in corpore ex dolore quandam commotionem facit – unde dicitur I Mach. II[24] quod Mathathias videns Iudaeum idolis sacrificantem « doluit et contremuerunt renes eius » –, et ideo hic subditur *et membra mea quasi in nihilum sunt redacta*, inquantum scilicet per dolorem corpus hominis tabescere videtur. Posset autem aliquis credere quod ista oculi caligatio contra iustitiam esset et indignatio contra innocentiam, et ideo ad hoc excludendum subdit *Stupebunt iusti super hoc*, quasi diceret: etiam ad iustos pertinet ut videntes malorum doctrinam obstupescant, et hunc stuporem supra caligationem dixit. Sequitur autem *et innocens contra hypocritam suscitabitur*, quasi dicat: non est contra innocentiam si aliquis contra hypocritam perversorem verae doctrinae per zelum iustitiae indignatus concitetur. Et quia, ut dictum est, ira per zelum animum turbat sed non caecat, sic vir iustus stupet vel caligat ex zelo quod tamen a iustitia non recedit, et hoc est quod subdit *Et tenebit iustus viam suam*, quia scilicet non deseret eam propter iram zeli: talis enim ira non praecedit rationem sed sequitur, et ideo non potest hominem a iustitia separare; utilis enim est ira per zelum quia facit hominem cum maiore animi fortitudine insurgere contra mala, et hoc est quod subdit *et mundis manibus addet fortitudinem*, concitatus scilicet per zelum, unde et Philosophus dicit in III Ethicorum quod ira fortitudinem iuvat.

Igitur vos omnes convertimini etc. Postquam Iob proposuerat ea ex quibus sententia Eliphaz confutatur, hic colligit praemissa et ordinat ea ad propositum ostendendum. Et primo excitat attentionem dicens *Igitur*, ex quo scilicet praedicta sunt vera, *vos omnes*, qui scilicet contra me convenistis et patres vestri, *convertimini* a vestris erroribus, *et venite*

77 <spem ponunt> *coni.*] positi sunt V^2 *om. cet.*(*def.* R) 78 pervenire] —rent F (*def.* R) ut] *om.* F N F^2 nisi γ π 78 ponantur] poni F non ponuntur F^2 ponatur δ^1 84 adeptionem] adoptionem F N Pd 87 temporalem] —ralitatem F N V^1 120 contra *om.* F N 133 iram] viam F N F^2 135 enim] tamen N γ δ(-R) π cum *add.* R

82 promittebat: cap. v^{18}. 109 *V Moral.* cap. 45 (PL 75,726 C). 128 dictum est: lin. 108. 134 sed sequitur: cf. Thomas *II-II* q. 158 a. 1 ad 2. 139 *III Ethic.* 17 (1116 b 31).

[11] Dies mei transierunt, cogitationes meae dissipatae sunt, torquentes cor meum. [12] Noctem verterunt in diem, et rursum post tenebras spero lucem. [13] Si sustinuero, infernus domus mea est; in tenebris stravi lectulum meum. [14] Putredini dixi: Pater meus es; mater mea et soror mea, vermibus. [15] Ubi est ergo nunc praestolatio mea? Et patientiam meam quis considerat? [16] In profundissimum infernum descendent omnia mea; putasne saltem ibi erit requies mihi?

ad veritatem considerandam, qua perspecta patebit quantum a vera sapientia longe sitis, et hoc est quod subdit *et non inveniam in vobis ullum sapientem*, et hoc dicit ad reprimendam iactantiam Eliphaz, qui supra xv[9] dixerat «Quid nosti quod ignoremus» etc., et iterum «Sapientes confitentur» etc.

In hoc autem praecipue eorum insipientiam ostendere intendit quod ei consolationem temporalis prosperitatis promittebant, contra quod primo proponit tempus vitae suae iam in magna parte esse elapsum, et hoc est quod dicit *Dies mei transierunt*. Deinde proponit mala quae patitur cum subdit *cogitationes meae dissipatae sunt*, idest impeditae a quieta contemplatione sapientiae propter acerbitatem corporalis doloris, et hoc est quod subdit *torquentes cor meum*, quia videlicet eius cogitationes a suavi consideratione veritatis erant deductae in amaritudinem qua cor torquebatur. Hoc autem tormentum cordis nec nox interrumpebat quae est tempus deputatum humanae quieti, unde subdit *Noctem verterunt in diem*, quia videlicet propter praedictas cogitationes noctem ducebat insomnem sicut diem. Est autem gravius pati somni defectum in nocte quam in die, quia in die relevatur animus hominis ex hominum societate et lucis aspectu: et ideo dum nox ei esset insomnis desiderabat eam cito finiri, et hoc est quod subdit *et rursum post tenebras spero lucem*, idest spero quod lux diei post tenebras noctis rursus adveniat.

Sed quia Eliphaz eum inducebat ut omnia adversa patienter toleraret sub expectatione futuri, ideo consequenter ostendit quid sibi in futurum de temporalibus rebus residuum videatur, unde dicit *Si sustinuero*, idest patienter portavero huiusmodi dolores, nihil mihi restat nisi habitatio sepulcri, et hoc est quod dicit *infernus domus mea est;* vocat autem infernum sepulcrum secundum opinionem eorum contra quos disputabat, qui non credebant animam hominis remanere post mortem sed solum corpus in sepulcro, quod vocabant infernum quia infra terram situatur. Homo autem in sepulcro iacens tenebras patitur tum propter defectum sensus tum etiam propter defectum exterioris lucis, <et ideo subdit *in tenebris stravi lectulum meum*>. Sicut autem homo nascens a parentibus originem sumit ex qua cum eis affinitatem contrahit, ita post mortem in sepulcro iacens in putredinem et vermes resolvitur quae ex eius corpore generantur, et ideo subdit *Putredini dixi: Pater meus es; mater mea et soror mea, vermibus*, quasi dicat: cum nulla alia re temporali remanebit mihi affinitas in sepulcro nisi cum putredine et vermibus.

Ex his ergo quasi ad inconveniens deducens concludit dicens *Ubi est ergo nunc praestolatio mea?*, quasi diceret: si propter expectationem temporalis prosperitatis consolarer, vana esset expectatio mea. Et iterum ad maius inconveniens deducit subdens *Et patientiam meam quis considerat?*, quasi dicat: si sustinuero per patientiam, nihilominus non restat nisi sepulcrum et eius tenebrae, putredines et vermes; si ergo propter temporalia bona promerenda a Deo patientiam haberem, sequeretur quod Deus patientiam non consideraret, quod est abnegare providentiam. Et ne forte aliquis diceret quod etiam in sepulcro temporalis prosperitas sibi daretur a Deo, ideo hoc quasi irridens subdit *In profundissimum infernum descendent omnia mea*, idest quicquid meum est ad sepulcrum deducetur quod mihi solum superest; *putasne saltem ibi erit requies mihi*, idest numquid ibi etiam debeo expectare prosperitatem terrenam? Manifestum est hoc ridiculum esse.

170 somni] sompnum F N 190 <et...meum> *suppl. cum* V[2] Pd π] *om. cet.* 197 re *om.* F N pV[1] F[2] 204 maius] magis N δ π

153 Cap. xv[16]. 156 promittebant: cap. v[19], viii[6], xi[17]. 177 inducebat: cap. v[17]. 185 credebant: cf. cap. 10 429. 187 infra terram: cf. supra cap. 1 401 nota.

CAPITULUM XVIII

[1] Respondens autem Baldath Suites dixit: [2] Usque ad quem finem verba iactabis? Intellige prius et sic loquamur. [3] Quare reputati sumus ut iumenta et sorduimus coram te? [4] Quid perdis animam tuam in furore tuo? Numquid propter te derelinquetur terra et transferentur rupes de loco suo? [5] Nonne lux impii extinguetur, nec splendebit flamma ignis eius?

Respondens autem Baldath Suites etc. Quia praemissa verba beati Iob Baldath Suites comprehendere intellectu non potuit, putavit ut quae ipse non intelligebat etiam a dicente inaniter proferrentur, unde in principio suae responsionis dicit *Usque ad quem finem verba iactabis?* Ubi de tribus eum videtur arguere: primo quidem de inefficacia locutionis, ac si praemissa verba Iob ad nihil confirmandum efficaciam haberent, quod significatur in hoc quod dicit *Usque ad quem finem;* secundo arguit eum de vana multiplicatione verborum, ac si praemissis verbis Iob pondus sententiarum deesset, quod significatur in hoc quod dicit *verba;* tertio notat eum de inordinata connexione verborum, quod significatur in hoc quod dicit *iactabis:* ille enim dicitur verba iactare qui ea inordinate spargit, quamvis etiam possit hoc tertium ad iactantiam elationis referri. Haec autem tria proveniunt in locutione alicuius ex defectu intellectus; cum eo autem qui deficit intellectu inutilis est collatio, et ideo subdit *Intellige prius et sic loquamur*, quasi dicat: ex hoc quod inefficaciter, leviter et inordinate loqueris patet quod deficis intellectu, unde prius insiste ut intelligas et postea poterimus conferre ad invicem. Deinde arguit eum de praesumptione quia eos non reputaverat sapientes cum dixit «Non inveniam in vobis ullum sapientem», et ideo ad hoc respondens subdit *Quare reputati sumus ut iumenta et sorduimus coram te?* Homo enim qui sapientia caret similis iumentis videtur et sordidus, quia in sapientia honor hominis et ornatus consistit. Consequenter reprehendit eum de iracundia quia dixerat «Caligavit ad indignationem oculus meus», quod prave intellexerat credens quod esset talis indignatio quae ei lumen sapientiae abstulisset, non attendens id quod postea dixerat «Et tenebit iustus viam suam», et ideo subdit *Quid perdis animam tuam in furore tuo?* Ille enim in furore animam perdit qui propter furorem a sapientia et iustitia excidit quae sunt praecipue animae bona.

His igitur praemissis quibus personam Iob notavit de defectu intellectus, de praesumptione et de furore, accedit consequenter ad principale propositum de quo controversia vertebatur, scilicet quod adversitates praesentis vitae erant poenae peccatorum, contra quod Iob dixit «Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus». Sed quia Baldath ad assertionem suae sententiae rationibus uti non poterat, voluit suam sententiam astruere quasi ex communi opinione firmissimam, et ideo comparavit eam rebus quae amoveri non possunt, scilicet terrae et rupibus, unde dicit *Numquid propter te derelinquetur terra et transferentur rupes de loco suo?*, quasi dicat: haec sententia, quod adversitates accidunt pro peccatis, firma est sicut terra et rupes: numquid ergo poterit removeri propter tuas disputationes ut innocens comproberis?

Deinde prosequitur diffusius suam sententiam, enarrans per singula mala quae peccatoribus proveniunt, inter quae primo ponit cessationem prosperorum successuum, quos comparat luci quia «qui ambulat in luce non offendit», ut dicitur Ioh. XI[9], unde videntur in luce ambulare quibus omnia prospere succedunt ad votum; de huius ergo lucis, idest prosperitatis, amissione dicit *Nonne lux impii extinguetur*, idest prosperitas cessabit? Sicut autem lux corporalis ex flamma ignis procedit, ita etiam claritas prosperitatis ex hominis affectu procedit dum sibi provenit quod optat, et ideo subdit *nec splendebit flamma ignis eius?:* per ignem enim ardor amoris significari solet, secundum illud Cant. VIII[6] «Lampades eius, lampades ignis atque flammarum». Est autem considerandum quod prosperitas successus

20 est] *om.* F N F[2] *post* collatio β(-F[2]) 38 qui] quia F N 41 de[1]] *om.* F N Sv ex Pd π

17 elationis: cf. Gregor. *XIV Moral.* cap. 2 (PL 75,1042 D). 26 Cap. XVII[10]. 32 Cap. XVII[7]. 36 Cap. XVII[9].
45 Cap. XVII[8]. 62 quibus...votum: cf. infra cap. 21 241 nota. 65 prosperitas: cf. Gregor. *XIV Moral.* cap. 7 (PL 75,1044 C).

[6] Lux obtenebrescet in tabernaculo illius, et lucerna quae super eum est extinguetur. [7] Artabuntur gressus virtutis eius, et praecipitabit eum consilium suum. [8] Immisit enim in rete pedes suos, et in maculis eius ambulat. [9] Tenebitur planta illius laqueo, et exardescet contra eum sitis. [10] Abscondita est in terra pedica eius, et decipula eius super semitam. [11] Undique terrebunt eum formidines, et involvent pedes eius.

humani ex duplici causa procedit: quandoque quidem ex humana providentia, puta cum homo prudenter et caute singula quaeque disponit, et quantum ad hoc de cessatione prosperitatis dicit *Lux obtenebrescet in tabernaculo illius*, quia scilicet tam ipse quam sui familiares prudentia in consiliis carebunt; quandoque vero prosperitas humani successus ex causa superiori procedit, scilicet ex divina providentia, et quantum ad hoc cessationem prosperitatis describens dicit *et lucerna quae super eum est extinguetur*, non quidem ut in se non luceat sed ut impium non illustret. Et bene providentiam hominis 'lucem' dixit quasi ab alio mutuatam, providentiam Dei 'lucernam' quasi per se lucentem. Praemisit autem de luce humanae providentiae, quia per hoc quod homo lucem rationis dimittit videtur mereri ut luce divinae providentiae non protegatur.

Consequenter post cessationem prosperitatis subiungit de adversitate, circa quam primo ponit impedimenta operationis et conatus; ex duobus autem homo nititur ad effectum suae operationis pervenire: uno modo per propriam fortitudinem, et contra hoc dicit *Artabuntur gressus virtutis eius*, quia videlicet conatus fortitudinis eius amplos processus habere non potuit; alio modo conatur homo ad aliquid obtinendum per sapientiam, et quantum ad hoc dicit *et praecipitabit eum consilium suum*, dum scilicet id quod excogitavit tamquam utile fiat ei damnosum. Horum autem impedimentorum causam ex ipso eius peccato dicit procedere cum subdit *Immisit enim in rete pedes suos:* sicut enim ille qui sponte ponit pedem in reti se praeparat captioni, ita ille qui se sponte ingerit ad peccandum ad hoc se disponit ut processus eius impediantur, secundum illud Prov. v[22] « Iniquitates suae capiunt impium »; et sicut in reti sunt diversae maculae, ita etiam in peccato sunt multae diversitates quibus homines diversimode illaqueantur, et ideo subdit *et in maculis eius ambulat*, dum scilicet procedit de uno genere peccati in aliud vel de uno modo peccandi in alium. Et quia ipse sponte ingerit se periculis et non desistit sed semper procedit ulterius, ideo quandoque impedimentum sentiet, unde subdit *Tenebitur planta illius laqueo*, idest processus voluntatis et operationis eius aliquo contrario impedietur.

Huiusmodi autem nocumenta ex triplici causa proveniunt in peccato procedentibus: primo quidem ex parte ipsius peccantis qui quanto plus peccat tanto plus auget sibi desiderium peccandi, et quantum ad hoc subdit *et exardescet contra eum sitis*, quia videlicet quandoque homo peccator ex ratione considerat aliquid sibi esse nocivum, sed fervens desiderium peccandi compellit eum contra suam sententiam agere. Secundo, causa nocumenti est quandoque ex ipsis rebus in quibus peccat, sicut dicit Eccl. v[12] « Divitiae conservantur in malum domini sui »; huiusmodi autem nocumenta proveniunt <quandoque> ex rebus iam adeptis, et quantum ad hoc dicit *Abscondita est in terra pedica eius*, quia videlicet in ipsis terrenis rebus latet aliquod periculum unde pedes peccatoris capiantur; quandoque autem huiusmodi nocumenta proveniunt dum homo est in via acquirendi, et quantum ad hoc dicit *et decipula eius super semitam*, quia videlicet antequam adipiscatur peccator quod quaerit, in ipsa via latent eius pericula. Tertio causantur huiusmodi nocumenta ex parte aliorum hominum quorum insidiae et impugnationes formidantur, unde subdit *Undique terrebunt eum formidines*, quia, ut dicitur Sap. XVII[10], « Cum sit timida nequitia, data est in omnium condemnationem »; cum autem homo ab omnibus sibi cavet, necesse est quod in multis actus eius impediantur, unde subdit *et involvent pedes eius*, ut scilicet non possit quoquam libere procedere.

Attenuetur fame robur eius etc. Praemiserat Baldath poenas peccatorum ad exteriores adversitates pertinentes, hic autem incipit prosequi poenas pertinentes ad personas eorum. Est autem considerandum quod ipsa peccata exterioribus adversitatibus implicant, et ideo adversitates exteriores prosecutus est praenuntiando quasi cum quadam certitudine; poenae autem corporales non videntur directe causari ex ipsis peccatis nisi forte ex aliquibus, sicut

77 obtenebrescet] —scit N β R obten. F 100 utile] vale F N valde V^1 valens F^2 fiat] fit V^2 Pd fiet γ δ(-Pd) π 102 subdit] dicit γ δ π 104 reti] rete sV^1 F^2 Sv δ(-R) π recti *ut vid.* pV^1 107 impium] ipsum F N V^2 (*def.* pV^1) 107 reti] rete F sV^1 Sv Pd recti pV^1 126 Secundo] —da V^1 γ δ π 128 conservantur] consequantur N conservate F^2 γ δ^1 π 129 <quandoque> *suppl. cum* γ δ π] *om. cet.* 139 hominum] nomen F nominum N V^1 *om.* V^2

[12] Attenuetur fame robur eius, et inedia invadat costas eius. [13] Devoret pulcritudinem cutis eius, et consumat brachia illius primogenita mors. [14] Avellatur de tabernaculo suo fiducia eius, et calcet super eum quasi rex interitus. [15] Habitent in tabernaculo eius socii illius qui non est, aspergatur in tabernaculo illius sulphur. [16] Deorsum radices eius siccentur, sursum autem atteratur messis eius. [17] Memoria illius pereat de terra, et non celebretur nomen eius in plateis. [18] Expellet eum de luce in tenebras, et de orbe transferet eum. [19] Non erit semen eius, neque progenies in populo suo, nec ullae reliquiae in regionibus eius.

praecipue ex gula et luxuria quibus aliquis in proprium corpus peccat, et ideo corporales poenas non prosequitur denuntiando sed magis imprecando. Praemittit autem poenas corporales praecedentes mortem, et quia per nutrimentum conservatur vita, primo imprecatur ei nutrimenti subtractionem ex qua primitus homo incipit debilitari, et quantum ad hoc dicit *Attenuetur fame robur eius*. Deinde autem deficiente nutrimento, etiam subtrahitur vita, et quantum ad hoc subdit *et inedia invadat costas eius*, per quod significatur debilitatio vitalium operationum, quarum principium est cor quod sub costis continetur. Corporis autem bona quae per famem attenuari incipiunt per mortem totaliter consumuntur; bona autem praecipua corporis videntur esse pulcritudo et fortitudo, et ideo subdit *Devoret pulcritudinem cutis eius*, quia scilicet pulcritudo in exteriori apparentia consideratur, *et consumat brachia illius*, in quibus praecipue attenditur fortitudo, *primogenita mors*, idest tempestiva, naturalis aetatis finem praeveniens. Mortuus autem homo a domo sua exportatur, et quantum ad hoc subdit *Avellatur de tabernaculo suo fiducia eius*, quia scilicet spem suam non in Deo posuit sed in opulentia et gloria domus suae, de qua post mortem eicitur. Eiectus autem de domo sua, sepulcro includitur ubi totaliter exterminatur a morte, et quantum ad hoc subdit *et calcet super eum quasi rex interitus*, quia scilicet mors quasi regis plena potestate eum in pulverem conterit. Eo autem egresso de domo eius, remanent mortui domestici cum quibus in vita societatem habuit, et quantum ad hoc subdit *Habitent in tabernaculo eius socii illius qui non est*, idest mortui qui iam esse desiit in rebus humanis. Domestici autem, patrono mortuo, luctum agunt et aliqua signa tristitiae demonstrant vel quantum ad nigras et sordidas vestes vel etiam quantum ad aliquos fetidos odores, et quantum ad hoc dicit *aspergatur in tabernaculo illius sulphur*, per quod intelliguntur omnia quae possunt esse signa tristitiae, sicut et boni odores assumuntur in signum laetitiae.

Homine autem mortuo, frequenter omnia quae fuerunt eius depereunt, quod consequenter ostendens primo incipit a terraenascentibus, quorum quaedam eo mortuo remanent adhuc seminata, et quantum ad haec dicit *Deorsum radices eius siccentur*, ut scilicet si quid seminavit vel plantavit destruatur ut fructum non ferat; quaedam vero iam sunt perducta ad fructum, et quantum ad haec subdit *sursum autem atteratur messis eius;* et potest hoc referri ad quaecumque negotia inchoata vel iam pene perfecta. Deinde procedit ad famam quae de homine remanet post mortem, ex qua quidam desiderant se in memoriis hominum victuros et gloriam habere etiam post mortem, unde quantum ad deletionem peccatoris de memoriis hominum subdit *Memoria illius pereat de terra;* quantum autem ad cessationem celebris famae ipsius subdit *et non celebretur nomen eius in plateis*, quod signanter dicit quia non est celebritas nominis nisi apud multitudinem, quae in plateis solet inveniri. Et sic cessante memoria et nominis celebritate, claritas gloriae eius commutabitur in tenebras perpetuae oblivionis, et hoc est quod subdit *Expellet eum de luce in tenebras*, idest de gloria mundana in oblivionem. Cessante autem fama eius et corpore consumpto per mortem, iam nihil ipsius remanebit in mundo, quia Baldath et socii eius opinabantur quod anima non remaneret post mortem: *et de orbe transferet eum*, ut scilicet nihil eius in mundo remaneat. Sed quia parentes etiam in filiis vivunt, ideo ad hoc excludendum subdit *Non erit semen eius*, quia filii ipsius morientur, *neque progenies in populo suo*, quia nec nepotes aut pronepotes remanebunt, nec etiam aliqui ad ipsum pertinentes, unde subdit *nec ullae reli-*

177 subdit] —tur N β^1 γ Va 200 terraenascentibus *scripsi. cum* γ(*def.* Sv)] terrenasreticibus F terrenibus testibus N terrenis testibus V^1 terrestribus F^2 terrenis V^2 terrenis redditibus δ terre vastantibus π 209 quidam *coni.*] quidem *codd.* 228 ipsius] eius N δ(-Pd)

167 quarum principium est cor: cf. Avicen. *I Canon medic.* fen 1 doctr. 6 c. 1 (ed. Venetiis 1555, f. 26r); ipse Thomas *De motu cordis*; vide supra cap. 17 10 nota. 223 opinabantur: cf. supra cap. 17 185.

[20] In die eius stupebunt novissimi, et primos invadet horror. [21] Haec ergo sunt tabernacula iniqui, et iste locus eius qui ignorat Deum.

quiae in regionibus eius, idest nec consanguinei nec domestici per quos de ipso memoria habeatur.

Quis autem effectus ex hoc sequatur in cordibus aliorum, ostendit cum subdit *In die eius*, quae scilicet est dies perditionis ipsius, *stupebunt novissimi*, idest minores de populo, prae nimia admiratione, non valentes considerare quomodo tanta gloria peccatoris subito in nihilum sit redacta; et quantum ad maiores subdit *et primos invadet horror*, timentes scilicet ne eis eveniat simile. Et videtur hoc induxisse ad respondendum ei quod Iob supra XIV[21] dixerat « Sive nobiles fuerint filii eius sive ignobiles, non intelliget, attamen caro eius dum vivit dolebit », ex quo videbatur Iob comminationes amicorum vel promissiones de eventibus futuris contingentibus post mortem confutasse; sed hic Baldath respondet quod huiusmodi infortunia quae post mortem accidunt, etsi mortuus non cognoscat, infliguntur tamen a Deo – huiusmodi poenae – propter correptionem aliorum.

Et quia praemiserat quasdam poenas peccatoris ad viam praesentis vitae pertinentes, quasdam vero ad finem viae, scilicet ad mortem vel ad ea quae post mortem eveniunt, ideo quasi epilogando subdit *Haec ergo sunt tabernacula iniqui*, idest processus eius in via praesentis vitae: tabernaculis enim viatores utuntur; quantum autem ad ultimum finem qui est quasi terminus motus, subdit *et iste locus eius qui ignorat Deum*, vel per infidelitatem vel per inoboedientiam.

240 timentes] curentes F orrentes β(-V[1]) 243 intelliget] —gent F β 245 quo] qua F β

CAPITULUM XIX

[1] Respondens autem Iob dixit: [2] Usquequo affligitis animam meam et atteritis me sermonibus? [3] En decies confudistis me et non erubescitis opprimentes me. [4] Nempe si ignoravi, mecum erit ignorantia mea, [5] at vos contra me erigimini et arguitis me opprobriis meis. [6] Saltem nunc intelligite quia Deus non aequo iudicio afflixerit me et flagellis suis me cinxerit. [7] Ecce clamabo vim patiens, et nemo exaudiet; vociferabor, et non est qui iudicet.

Respondens autem Iob dixit: Usquequo affligitis animam meam etc. Baldath in praemissis verbis ad duo intendisse videtur: primo quidem ad confutandum Iob de insipientia et superbia et furore, per quod eum affligere intendebat similiter aliis amicis suis, et ideo dicit *Usquequo affligitis animam meam?* Secundo ad confirmandum suam sententiam quod adversitates praesentis vitae pro peccatis proveniunt, quod quidem prolixe prosecutus fuerat enumerando diversas adversitates absque alia probatione inducta, et quantum ad hoc subdit *et atteritis me sermonibus*, idest verbis fatigatis, non probationibus convincitis? Est autem tolerabile si semel aliquis contra amicum suum loquatur, sed si homo multiplicet huiusmodi verba videtur esse malitiae confirmatae, unde subdit *En decies confudistis me*, et ipsi loquendo et me cum quadam indignatione audiendo: ante hanc autem responsionem quinquies Iob invenitur locutus si incipiamus ab hoc quod dixit «Pereat dies in qua natus sum», et quinquies ei respondisse amici sui inveniuntur; saltem autem prae confusione etsi non propter amicitiam debuissent ab afflicti afflictione cessare, unde subdit *et non erubescitis opprimentes me*, scilicet tam opprobriis quam prolixitate verborum me gravantes. Inter cetera autem opprobria videtur eum Baldath de ignorantia notasse, cum dixit «Intellige prius et sic loquamur», quae quidem ignorantia toleranda ab amicis esset, et propter eam excusandus, non autem erat ei improperanda maxime tempore adversitatis, et ideo subdit *Nempe si ignoravi, mecum erit ignorantia mea*, quasi dicat: nihil vos sed me solum gravat, unde ad vos non pertinebat inter adversa mihi ignorantiam improperare, et ideo subdit *at vos contra me erigimini*, scilicet excellentiam vestram ostentantes, *et arguitis me opprobriis meis*, idest quae ad me solum pertinent et alios non gravant.

Quibus praemissis ad confutationem amicorum pertinentibus, accedit ad principale propositum prosequendum, intendens ostendere falsum esse quod dicebant quod praesentes adversitates semper propter peccata praeterita proveniunt. Ex qua suppositione statim a principio ad inconveniens ducit dicens *Saltem nunc intelligite quia Deus non aequo iudicio afflixerit me*, quasi dicat: si adversitates non adveniunt nisi pro peccatis, non est aequum Dei iudicium quo me non graviter peccantem graviter afflixit; dicit autem *saltem nunc*, quia hactenus non ita particulariter enumeravit suas adversitates sicut nunc. Non solum autem se dicit adversitatibus afflictum, sed etiam eis conclusum ut viam evadendi invenire non possit, unde sequitur *et flagellis suis me cinxerit*, quia scilicet ipsa flagella remediorum viam subtraxerunt; et hoc secundum primo incipit prosequi. Potest autem in adversitatibus remedium inveniri primo quidem per auxilium humanum, et hoc dupliciter: uno modo in ipso facto, puta cum aliquis ab aliquo violenter opprimitur et ab alio succursum habet, et ad hoc excludendum dicit *Ecce clamabo vim patiens, et nemo exaudiet*, quasi dicat: si clamarem contra eos qui me violenter opprimunt nullus exaudiret ut auxilium ferret; alio modo post factum, puta cum aliquis iniuriam passus conqueritur iudici qui eum sententialiter restituit et vindicat, et hoc excludens subdit *vociferabor, et non est qui iudicet*, idest si vociferarer conque-

6 aliis amicis suis] alii amici sui V^2 γ δ(*def.* R) π 9 proveniunt] –niant N γ π adveniunt R 45 dicat *om.* β γ π 48 non *om.* F N $β^1$ (*def.* Sv) 66 idest] *om.* N β(-F^2) quasi dicat F^2 et $δ^1$

3 primo: cap. XVIII[3]. 7 Secundo: cap. XVIII[4]. 19 quinquies: cap. III, VI-VII, IX-X, XII-XIV, XVI-XVII. 20 Cap. III[3]. 21 quinquies cap. IV-V, VIII, XI, XV, XVIII. 27 Cap. XVIII[2].

[8] Semitam meam circumsepsit, et transire non possum, et in calle meo tenebras posuit. [9] Spoliavit me gloria mea et abstulit coronam de capite meo. [10] Destruxit me undique, et pereo, et quasi avulsae arbori abstulit spem meam. [11] Iratus est contra me furor eius, et sic me habuit quasi hostem suum. [12] Simul venerunt latrones eius et fecerunt sibi viam per me et obsederunt in gyro tabernaculum meum. [13] Fratres meos longe fecit a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me. [14] Dereliquerunt me propinqui mei, et qui me noverant obliti sunt mei.

rendo non adesset iudex qui me suo iudicio liberaret. Secundo invenitur in adversitatibus remedium ab ipso homine qui adversitates evadit, et hoc dupliciter: uno modo per potentiam, et hoc excludit dicens *Semitam meam circumsepsit, et transire non possum*, quasi dicat: tot impedimenta processibus meis apposuit ut ea amovere non possim; alio modo per prudentiam, et ad hoc excludendum subdit *et in calle meo tenebras posuit*, ut scilicet non videam qualiter sit procedendum.

Deinde exclusis remediis, subiungit adversitates incipiens ab exterioribus bonis quae perdidit, inter quae primo ponit iacturam honoris et gloriae cum dicit *Spoliavit me gloria mea*, quia cum prius in honore et reverentia haberetur, tunc etiam eum iuniores tempore irridebant, ut dicitur infra XXX[1]. Secundo ponit dispendium dignitatis cum subdit *et abstulit coronam de capite meo*, quia qui ante sedebat «quasi rex circumstante exercitu», ut dicitur infra XXIX[25], nunc «sedens in sterquilinio testa saniem radebat», ut dictum est supra II[8]. Tertio ponit damnum exteriorum rerum cum dicit *Destruxit me undique*, scilicet devastatis omnibus exterioribus bonis, *et pereo*, adversitate durante, quia non est spes recuperandi, unde subdit *et quasi avulsae arbori abstulit spem meam:* arbor enim quandiu radicibus terrae inhaeret habet spem si praecisi fuerint rami eius ut rursum virescat, sed si evellantur eius radices de terra necesse est ut siccetur et pereat; ita etiam ipse, quasi avulsis radicibus, nullam habebat spem prosperitatem temporalem recuperandi.

Radix autem spei est duplex: una quidem ex parte divini auxilii, alia vero ex parte auxilii humani; radix autem spei quae est ex divino auxilio videbatur esse avulsa per hoc quod Deus ei graviter videbatur iratus, secundum illorum opinionem qui divinam punitionem in solis adversitatibus huius vitae ponebant, unde dicit *Iratus est contra me furor eius*, quod dicit ad designandum vehementiam irae: nam furor est ira accensa. Solet autem furor quo vehementior est eo citius transire, et sic potest in futurum remanere spes de irato, sed si ira in odium transeat iam non videtur spes ulla restare, et ad hoc significandum subdit *et sic me habuit quasi hostem suum:* ab inimico autem non speratur remedium. Divinae autem irae et odii signum ponit cum subdit *Simul venerunt latrones eius:* latrones nominat Sabaeos et Chaldaeos et daemones qui eius bona vastaverant simul quasi ex condicto; quos nominat Dei latrones quasi hoc ex ordinatione divina contigerit, sicut etiam amici Iob dicebant. Praedicti autem latrones depraedati sunt Iob publice absque aliqua reverentia vel metu, unde subdit *et fecerunt sibi viam per me*, quasi: ita me sunt depraedati sicut hostis qui invenitur in via. Infestaverunt etiam eum universaliter et perseveranter, et quantum ad hoc subdit *et obsederunt*, scilicet perseveranter, *in gyro*, idest universaliter quantum ad omnia, *tabernaculum meum*, idest bona domus meae.

Deinde ostendit avulsam esse radicem spei quae est ex humano auxilio, ostendens quod nihil auxilii poterat expectare de quibus magis videbatur, et enumerat primo illos qui sunt habitatione domus separati, incipiens a fratribus, dicens *Fratres meos longe fecit a me*, ut scilicet mihi auxilium ferre vel non velint vel non possint; deinde ponit familiares amicos cum subdit *et noti mei quasi alieni recesserunt a me*, mihi scilicet auxilium non ferentes; quantum autem ad consanguineos vel quacumque alia necessitudine coniunctos subdit *Dereliquerunt me propinqui mei*, auxilium non ferentes; quantum vero ad illos cum quibus aliquando fuerat conversatus subdit *et qui me noverant*, scilicet olim quasi familiarem amicum, nunc in tribulatione *obliti sunt*

71 circumsepsit *scrips. cum Vulg.* γ R] non sen. F circumscripsit N hac non se sit pV[1] cumsepsit sV[1] ac. sper. F[2] non circum. V[2] circumsepit Va π circumcepit Pd 81 tunc] nunc V[2] postea γ π 88 dicit] dixit F N β(-F[2]) δ[1] 94 virescat *scrips. cum* V[2] γ π] —scant *cet.* 113 subdit] —tur N γ Va π 115 vastaverant] —verunt β γ(-Sv) π devastaverant Pd 126 Deinde] et *praem.* β δ(-Pd) 129 sunt] non *praem.* V[2] γ(-Sv) π 132 possint] possunt pF β(-V[1]) δ[1] possit V[1]

93 habet spem: cf. supra cap. XIV[7]. 106 ira accensa: diffinitio sat frequens apud Thomam e.g. infra cap. 21 300 necnon *Super Is.* XIII[9] et XXX[27], et *Super Ps.* XXXVI[8]; Albertus *Super Dion. De cael. hier.* cap. 2 § 9 eam Gregorio tribuit: cf. *V Moral.* cap. 45 (PL 75,725 C). 114 Sabaeos: cf. cap. I[15]; Chaldaeos: cap. I[17]; daemones: cap. 1 705.

15 Inquilini domus meae et ancillae sicut alienum habuerunt me, et quasi peregrinus fui in oculis eorum. 16 Servum meum vocavi et non respondit mihi, ore proprio deprecabar illum. 17 Halitum meum exhorruit uxor mea, et orabam filios uteri mei. 18 Stulti quoque despexerunt me, et cum ab eis recessissem detrahebant mihi. 19 Abominati sunt me quondam consiliarii mei, et quem maxime diligebam adversatus est me. 20 Pelli meae, consumptis carnibus, adhaesit os meum, et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. 21 Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, amici mei, quia manus Domini tetigit me. 22 Quare persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini?

mei, scilicet de me non curantes. Post hos accedit ad enumerandum domesticos dicens *Inquilini domus meae*, qui scilicet mihi servire consueverant, *et ancillae sicut alienum habuerunt me*, de meis scilicet afflictionibus non curantes, *et quasi peregrinus fui in oculis eorum*, me scilicet penitus contemnentes. Deinde de inoboedientia servorum subdit *Servum meum vocavi et non respondit mihi;* addit autem et superbum contemptum: *ore proprio deprecabar illum*, idest oportebat me ad eum agere non imperio sed precibus propter hoc quod me contemnebat. Deinde enumerat personas maxime coniunctas, scilicet uxorem et filios; solet autem uxori maxime delectabilis fieri praesentia viri, nisi forte ex aliqua gravi corruptione horribilis reddatur, et ad hoc significandum subdit *Halitum meum exhorruit uxor mea*, scilicet propter fetorem ulcerum ex quibus ei horribilis reddebatur. Filiorum autem est solo nutu parentis voluntatem implere; ex magno autem contemptu parentis provenit quod patrem, cui oportet a filio reverentiam exhiberi, oporteat suppliciter filium deprecari, et ad hoc ostendendum subdit *et orabam filios uteri mei*. Sed hoc videtur contra id quod dictum est supra 1[19], quod filii eius et filiae oppressi sunt per domus ruinam; sed potest dici quod aliqui parvuli remanserant qui non interfuerant illi convivio, vel forte aliqui filii filiorum, qui mortem propriorum parentum <pro> peccatis propriis imputantes peccatis Iob ipsum contemnebant.

Postquam igitur se despectum dixit a domesticis et a forinsecis, ostendit consequenter se despectum esse et a stultis et a sapientibus. Est autem stultorum proprium quod eos despiciant quos in miseriis vident, quia sola bona terrena honoranda putant, et ideo dicit *Stulti quoque despexerunt me*, scilicet corde, praesentem, *et cum ab eis recessissem detrahebant mihi*, scilicet ore pronuntiantes quae in praesentia dicere verebantur. Deinde etiam se a sapientibus despectum dicit quos aliquando familiares habuerat, unde dicit *Abominati sunt me quondam consiliarii mei*, quos scilicet propter eorum sapientiam ad meum consilium admittebam, *et quem maxime diligebam adversatus est me:* et forte hoc dicit propter aliquem eorum qui praesentes aderant, qui ei gravius adversabatur.

Sic igitur praemissis adversitatibus quae pertinent ad exteriora, subiungit de proprii corporis consumptione dicens *Pelli meae, consumptis carnibus, adhaesit os meum*, quia scilicet propter gravitatem aegritudinis carnes eius consumptae erant ita quod cutis eius ossibus adhaereret. Sed quia labia sunt carnea quae dentibus sicut ossibus adhaerent, ideo ad haec excipienda subdit *et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos*, per quod videtur occulte innuere quod omnibus aliis officiis membrorum cessantibus, solum ei remanserat locutionis officium.

Enumeratis ergo adversitatibus suis, eos ad compassionem invitat geminans misericordiae petitionem propter multitudinem miseriarum, dicens *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, amici mei*, ex quo ab aliis sum derelictus; causa autem miserendi est miseria, quae tanto gravior est quanto a fortiori inducitur, et ideo subdit *quia manus Domini tetigit me:* intelligebat enim se a Deo percussum. Non videtur autem decens ut homo afflicto afflictionem addat, et ideo subdit *Quare persequimini me sicut Deus?*, quasi dicat: sufficit mihi persecutio quae est a Deo, vestrum autem esset magis consolationem adhibere. Qualiter autem eum persequerentur ostendit subdens *et carnibus meis saturamini?*, quod proprie ad detractores pertinet, qui carnibus humanis vesci dicuntur inquantum in infirmitatibus aliorum delectantur: caro enim est infirmior pars animalis.

153 uxori] —ribus N γ δ π 158 solo] ex *praem.* N δ solum Sv (*def.* F[2]) 166 aliqui] vel *praem.* β γ(-Sv) δ(-Pd) π
168 <pro> *suppl. cum* δ] non sV[1] *om. cet.* peccatis propriis *om.* V[2] 185 adversabatur] —bantur N δ(-R) π
205 homo] homini γ π homini *add.* δ

201 causa...miseria: sec. August. *IX De civ. Dei* cap. 5 (PL 41,261) quem refert Thomas *II-II* q. 30 a. 1; vel et Bernardum *Epist.* 12 (PL 182,116 A) ut habetur apud Thomam. *Super II Sent.* d. 29 a. 3 arg. 3; vide etiam Arist. *II Rhet.* cap. 8 (1385 b 13). 211 detractores...delectantur: cf. Gregor. *XIV Moral.* cap. 52 (PL 75,1070 D). 213 caro: cf. Gregor. *XIV Moral.* cap. 49 (PL 75,1068 B).

[23] Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? Quis mihi det ut exarentur in libro [24] stilo ferreo, aut lamina plumbi, vel certe sculpantur in silice? [25] Scio enim quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum.

30 quia in diem perditionis servatur malus et ad diem furoris ducitur. 31 Quis arguet coram eo viam eius? Et quae fecit quis reddet illi? 32 Ipse ad sepulcrum ducetur et in congerie mortuorum vigilabit. 33 Dulcis fuit glareis Cocyti, et post se omnem hominem trahit et ante se innumerabiles. 34 Quomodo igitur consolamini me frustra, cum responsio vestra repugnare ostensa sit veritati?

ideo est quia reservatur eius punitio in aliud tempus quando gravius punietur, unde subdit *et ad diem furoris ducitur:* quia enim furor est ira accensa, nomine furoris acrior vindicta significatur. Quare autem in diem perditionis <et> furoris servetur, ostendit subdens *Quis arguet coram eo viam eius? Et quae fecit quis reddet illi?* Ubi duas rationes assignare videtur, quarum prima est quia intantum est sapientiae imperceptibilis ut nec per poenas erudiretur ut suam recognosceret culpam, sed inter flagella murmuraret quasi punitus iniuste, et hoc est quod dicit *Quis arguet coram eo*, idest ut ipse recognoscat *viam eius*, scilicet iniquam? Alia ratio est quia poenae huius vitae non sunt sufficientes ad tantarum culparum punitionem, quia si acerbae sunt cito interimunt, et hoc est quod dicit *Et quae fecit quis reddet illi*, scilicet in hac vita? Et ideo quasi concludit quod dies praedictus perditionis et furoris non est in hac vita sed post mortem, subdit enim *Ipse ad sepulcrum ducetur*, scilicet mortuus, et tamen secundum animam vivet, et hoc est quod subdit *et in congerie mortuorum vigilabit*, quia scilicet licet videatur dormire per corporis mortem, vigilabit tamen per animae vitam. Et ne videatur post mortem transire ad gaudium, subdit *Dulcis fuit glareis Cocyti:* quia enim testimonium etiam viatorum invocavit, veritatem de poenis malorum post mortem proponit sub fabula quae vulgariter ferebatur, quod scilicet in inferno inter alios esset quidam fluvius nomine Cocytus, qui interpretatur luctus, quo animae malorum perducuntur; et sicut alii fluvii trahunt glareas, ita ille fluvius quodammodo involvebat animas impiorum: dicitur ergo impius *dulcis fuisse glareis Cocyti* quia eius conversatio acceptabilis fuit malis, et ideo inter malos qui sunt in luctu locum habebit. Effectum autem huius fluvii quantum ad homines subdit: *et post se omnem hominem trahit*, quia scilicet omnes homines cum quodam luctu moriuntur: quod enim est post mortem est quasi postremum huius fluvii, cuius anterius est quod in hac vita agitur, et ideo subdit *et ante se innumerabiles*, quia scilicet plurimos etiam in hac vita praeoccupat luctus.

Sic igitur Iob per ordinem suam sententiam explicavit, primo quidem supra XIX[25] ostendens spem iustorum tendere in remunerationem futurae vitae, hic autem exprimit poenam reservari malis post mortem, et ideo ex utraque parte confutata adversariorum sententia subdit *Quomodo igitur consolamini me frustra*, scilicet promittendo temporalem prosperitatem, *cum responsio vestra repugnare ostensa sit veritati?*, in hoc quod dicitis hominibus deputari praemia et poenas in hac vita, quod supra multipliciter est improbatum.

298 reservatur] servatur F β^1 302 diem] die V^2 Sv δ(-R) π <et> *suppl. cum* γ δ π] *om. cet.* 315 praedictus] — cte γ *om.* N β^1 317 sepulcrum] —cra V^2 γ se. F et] *om.* N β^1 δ π nec V^2 325 in *om.* F N V^2

300 ira accensa: cf. supra cap. 19 106 nota. 326 Cocytus: cf. Gregor. *XV Moral.* cap. 60 (PL 75,1118 D).

CAPITULUM XXII

[1] Respondens autem Eliphaz Themanites dixit: [2] Numquid Deo comparari potest homo, etiam cum perfectae fuerit scientiae? [3] Quid prodest Deo si iustus fueris? Aut quid ei conferes si immaculata fuerit vita tua? [4] Numquid timens arguet te et veniet tecum ad iudicium? [5] Et non propter malitiam tuam plurimam et infinitas iniquitates tuas? [6] Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa, et nudos spoliasti vestibus. [7] Aquam lasso non dedisti, et esurienti subtraxisti panem. [8] In fortitudine brachii tui possidebas terram et potentissimus obtinebas eam.

Respondens autem Eliphaz Themanites dixit: Numquid Deo comparari potest homo etc. Finitis sermonibus beati Iob, Eliphaz eius verba non ea intentione qua dicebantur accepit: primo namque quod Iob dixerat ad ostendendum altitudinem materiae «Numquid contra hominem disputatio mea?», Eliphaz sic accepit dictum ac si contentiose cum Deo disputare intenderet, unde eum praesumptionis arguit ex triplici consideratione. Primo namque aliquis provocatur ad disputandum vel contendendum cum aliquo quando videt eum comparabilem sibi in scientia veritatis, ut ex mutua collatione aliquid occultum indagetur; est autem valde praesumptuosum quod homo suam scientiam divinae audeat comparare, unde dicit *Numquid Deo comparari potest homo, etiam cum perfectae fuerit scientiae?*, quasi dicat 'non', eo quod Dei scientia sit infinita. Secundo provocatur aliquis ad disputandum vel ratiocinandum cum aliquo propter aliqua quae ab eo accepit, ut fiat collatio datorum et acceptorum; est autem praesumptuosum quod homo putet bona quae facit esse Deo utilia, unde et Psalmista dicit «Dixi Domino: Deus meus es tu quoniam bonorum meorum non eges», unde subdit *Quid prodest Deo si iustus fueris*, scilicet recta opera faciendo? *Aut quid ei conferes si immaculata fuerit vita tua*, scilicet a peccatis abstinendo? Tertio provocatur aliquis ad hoc quod iudicio contendat cum aliquo propter timorem superioris potestatis eum in iudicium vocantis, quod nefas est cogitare de Deo, unde subdit *Numquid timens*, scilicet aliquem iudicem, *arguet te*, scilicet accusando, *et veniet tecum ad iudicium*, quasi de pari citatus?

Deinde quia Iob dixerat iniquas esse eorum sententias quibus dicebant domum eius perisse sicut «tabernacula impiorum», intendit suam sententiam rectam esse cum subdit *Et non propter malitiam tuam plurimam et infinitas iniquitates tuas?*, quasi dicat: Deus te arguit poenas infligendo non propter timorem sed propter amorem iustitiae, ut puniat tua peccata; unde malitia potest referri ad peccata quibus alios laesit, iniquitas autem ad peccata quibus iustitiae opera praetermisit; unde malitiam dicit *plurimam* sed iniquitates *infinitas*, quia in pluribus peccat homo omittendo quam committendo. Unde subiungit primo de nocumentis proximis illatis, quae quandoque per modum calumniae inferuntur sub praetextu iustitiae, unde subdit *Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa*, scilicet necessaria, quia de fratribus tuis sine pignore confidere poteras; quandoque autem inferuntur nocumenta sine aliquo colore iustitiae, et quantum ad hoc subdit *et nudos spoliasti vestibus*, quod potest intelligi dupliciter: uno modo quia spoliando, nudos reliquisti nihil eis reservans; alio modo quia cum essent nudi, idest non sufficienter vestiti, illud modicum quod habebant eis subtraxisti. Subiungit autem de omissione bonorum operum dicens *Aquam lasso non dedisti*, qui scilicet ea indigebat propter sitim ex labore viae ortam, quasi dicat: laborantibus et afflictis opem et solatium non tulisti; *et esurienti subtraxisti panem*, quasi dicat: indigenti non subvenisti. Et haec quidem dicta sunt quantum ad peccata quae commisit sicut privata persona.

Subiungit autem de peccatis pertinentibus ad principatum ipsius, inter quae primo ponit quod principatum non per iustitiam sed per violentiam obtinuit, unde dicit *In fortitudine brachii tui possi-*

37 non] primo β^1 V^a si Pd π 46 proximis] —mo N β^1 V^a Va

6 Cap. XXI[4]. 23 Ps. XV[2]. 36 Cap. XXI[28].

9 Viduas dimisisti vacuas et lacertos pupillorum comminuisti. 10 Propterea circumdatus
es laqueis, et conturbat te formido subita. 11 Et putabas te tenebras non visurum et impetu
aquarum inundantium non oppressurum. 12 An cogitas quod Deus excelsior caelo sit, et
super stellarum verticem sublimetur? 13 Et dicis: Quid enim novit Dominus? Et quasi per
caliginem iudicat. 14 Nubes latibulum eius nec nostra considerat, et circa cardines caeli
perambulat.

debas terram, idest per potentiam tuam dominium terrae acquisivisti. Secundo ponit quod subditos suos non gubernabat per iustitiam sed per potentiam, secundum illud Sap. II[11] «Sit fortitudo nostra lex iniustitiae», unde subdit *et potentissimus obtinebas eam*, quasi dicat: per excellentiam potestatis subditis utebaris ad nutum. Tertio ponit iniqua iudicia, quia scilicet infirmis personis iustitiam non reddebat, unde subdit *Viduas dimisisti vacuas*, scilicet dum non fecisti eis iustitiam de adversariis, secundum illud Is. I[23] «Causa viduae non ingreditur ad eos»; et iterum, quod amplius est, infimas personas opprimebat, unde subdit *et lacertos pupillorum comminuisti*, quasi dicat: si quid virium in eis erat adnullasti, contra illud quod dicitur in Psalmo «Iudicare pupillo et humili».

Et pro his culpis subdit sibi poenas provenisse, unde subdit *Propterea circumdatus es laqueis*, idest adversitatibus undique te opprimentibus ut evasionis locus non pateat postquam in eis incidisti; nec etiam ante potueras quia subito tibi supervenerunt, unde subdit *et conturbat te formido subita*, quia scilicet mala ei subito supervenerunt ex quibus poterat etiam alia timere. Causam autem quare subito ei supervenerint ostendit subdens *Et putabas te tenebras non visurum*, idest non perventurum ad has dubitationes in quibus nescis quid facias, quod refertur ad laqueos; deinde quantum ad formidinem conturbantem subdit *et impetu aquarum inundantium non oppressurum*, quasi dicat: putabas quod numquam ad hoc pervenires quod opprimereris violentia et multitudine adversitatum desuper venientium, secundum illud I ad Thess. V[3] «Cum dixerint: Pax et securitas, repentinus eis superveniet interitus».

Quod autem pro peccatis non putet aliquis se poenas passurum, ad hoc pertinet quod non credit Deum de rebus humanis providentiam habere; ad quod forte voluit retorquere quod Iob dixerat «Numquid Deum docebit quispiam scientiam?», quod ad defectum scientiae divinae prave interpretatus est, et ideo videtur ei consequenter imponere quod Iob Dei providentiam neget. Est autem considerandum quod aliqui negant Deum habere cognitionem et providentiam rerum humanarum propter altitudinem suae substantiae, cui proportionari dicunt suam scientiam ut nihil sciat nisi se ipsum, putantes quod scientia eius vilesceret si se ad inferiora extenderet, unde subdit *An cogitas quod Deus excelsior caelo sit*, idest tota universitate creaturarum, *et super stellarum verticem sublimetur*, idest supra altissimam creaturarum? Et huius cogitationis conclusionem subdit *Et dicis: Quid enim novit Dominus*, scilicet de istis inferioribus rebus? Non tamen huiusmodi homines rerum cognitionem Deo totaliter subtrahunt, sed dicunt quod eas cognoscit in universali, puta cognoscendo naturam entis vel universales causas, unde subdit *Et quasi per caliginem iudicat:* cognoscere enim aliquid solum in universali est cognoscere imperfecte, et ideo huiusmodi cognitionem vocat caliginosam, sicut contingit de eo quod a remotis videtur quasi caliginose, quia percipitur esse homo sed non quis homo sit. Et adhibet similitudinem ex his quae apud homines contingunt, apud quos qui in aliquo loco latet, sicut non videtur ab his qui extra locum sunt, ita nec eos videt: *Nubes latibulum eius nec nostra considerat*, quasi dicat: sicut ipse latet nos quasi nubibus occultatus inquantum ea quae supra nubes sunt plene cognoscere non valemus, ita e converso ea quae ad nos pertinent quasi sub nubibus existentia ipse non videt, sicut Ez. IX[9] ex persona quorundam dicitur «Dereliquit Dominus terram, Domi-

74 dicat] scilicet N V^2 δ(-R) super pR *om.* sR 76 infirmis] infimis γ(-F^2) π *om.* δ^1 80 infimas] infirma F infamas V^2 infirmas δ π 93 supervenerint] —nerunt F β^1 γ(-F^2) —niunt F^2 —nerit δ(-Pd) pervenerint Pd 97 impetu] —tum β^1 γ R 98 oppressurum *scripsi. cum* V^1 Pd] oppressum N oppressum iri F^2 V^2 perpessum iri Sv opprimendum Va oppressit R oppressuri π oppre. F γ(-Sv) 121 tamen] cum F ei V^2 enim γ quod δ π 123 subtrahunt] —hant δ π obtrahunt F attrahunt V^2 abstrahunt γ(-Sv) 129 quod] qui *solus* Va 132 in] tamen F V^2 134 Nubes] unde dicit *praem.* γ δ π 137 converso] ipse *add.* Sv nec ipse *add. cet.*(-V^1) *et delevimus* 138 ea...non] nos F^2 existentia] essentia F V^1 V^2 R etiam *in ras.* sVa essemus Pd essent π (*def.* F^2) 139 ipse non *om.* Sv

83 Ps. IX[39] (X[18]). 107 Cap. XXI[22]. 111 aliqui: Averroes *XI* (= *XII*) *Metaph.* comm. 51 (8,335 I). 124 cognoscendo naturam entis: cf. Averroes l. c. (8,337 A) sec. Thomam *Super I Sent.* d. 35 a. 3; vel universales causas: cf. Avicen. *VIII Metaph.* cap. 6 C (f. 100rb) et Algazel *I Metaph.* tr. 3 et 5 sent. 5 (ed. J. T. Muckle, Toronto 1933, p. 66 et 71) sec. Thomam *Super I Sent.* d. 36 q. 1 a. 1.

15 Numquid semitam saeculorum custodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui? 16 Qui sublati sunt ante tempus suum, et fluvius subvertit fundamentum eorum. 17 Qui dicebant Deo: Recede a nobis. Et quasi nihil possit facere Omnipotens, aestimabant eum, 18 cum ille implesset domos eorum bonis; quorum sententia procul sit a me. 19 Videbunt iusti et laetabuntur, et innocens subsannabit eos. 20 Nonne succisa est erectio eorum?

nus non videt». Ponebant enim quod quia ea quae in terris sunt multis defectibus et inordinationibus subiacent, divina providentia non reguntur, sed solum caelestia, quorum ordo indeficiens perseverat, unde sequitur *et circa cardines caeli perambulat;* dicitur autem cardo in quo volvitur ostium, unde per hoc designat per Dei providentiam caelum moveri, ex cuius motu sicut ex quodam ostio providentia divina usque ad haec inferiora descendat: sicut enim dicunt quod Deus cognoscit humana sed in universali, ita dicunt quod gubernat humana sed per universales causas quas per se gubernat; et forte ad hoc referre voluit quod supra dixerat Iob «Qui excelsos iudicat».

Numquid semitam saeculorum etc. Quia Eliphaz in verbis praemissis imposuisse videtur Iob quod non crederet Deum habere providentiam de rebus humanis, nunc consequenter videtur ei imponere huius infidelitatis effectum: solent enim illi qui Deum res humanas curare non credunt, contempto Dei timore, in omnibus sequi propriam voluntatem, unde dicit *Numquid semitam saeculorum custodire cupis?*, idest processum eorum qui nihil credunt nisi ista temporalia quae vident, et ex hoc procedunt ad iniustitiae opera, unde subdit *quam calcaverunt viri iniqui;* illi autem calcare aliquam viam dicuntur qui frequenter et sine aliqua dubitatione et ex proposito viam terunt: sic autem illi qui non credunt divinam providentiam, frequenter et secure et ex proposito iniustitiae opera agunt; quod non contingit illis qui divinam providentiam credunt, quamvis quandoque ex infirmitate ad iniustitiam declinent. Et ne hoc impune fecisse videantur, subdit *Qui sublati sunt ante tempus suum*, idest qui mortui sunt nondum completo naturali spatio vitae, et causam assignat subdens *et fluvius subvertit fundamentum eorum;* est autem uniuscuiusque hominis fundamentum id cui principaliter spes eius innititur: tales autem non in Deo spem suam ponunt sed in solis temporalibus rebus, quae corrumpuntur ipso cursu mutabilitatis rerum quem fluvium nominat.

Quae autem sit praedicta semita exponit subdens *Qui dicebant Deo: Recede a nobis*, scilicet contemnentes ipsum et spiritualia bona eius quantum ad affectum; sed quantum ad intellectum incredulitatem eorum describit subdens *Et quasi nihil possit facere Omnipotens, aestimabant eum*, quia scilicet si ad eum non pertinet cura rerum humanarum nihil bene vel male homini facere potest, quod contrariatur omnipotentis rationi; et ad exaggerandum culpam subicit de eorum ingratitudine dicens *cum ille implesset domos eorum bonis*, scilicet temporalibus quae a Deo dantur hominibus; et ad eorum assertionem improbandam subdit *quorum sententia procul sit a me.*

Et ne videretur quod simul cum impiis etiam iusti subverterentur, hoc excludit subdens *Videbunt iusti et laetabuntur*, per quod datur intelligi quod ipsi non subvertentur sed in laetitia erunt; et ne videretur quod ex hoc ipso a iustitia deficerent quod de subversione aliorum gauderent, subdit *et innocens subsannabit eos*, quasi dicat: salva innocentia, eos poterunt subsannare de hoc quod contra suam opinionem subvertuntur: in hoc enim iusti congaudent divinae iustitiae; et videtur hoc proprie respondere ad id quod Iob dixerat «Post mea, si videbitur, verba ridete», quasi conquerens se derideri ab eis.

Et ne aliquis dubitaret fundamentum impiorum a fluvio esse subversum, hoc quasi manifestum sub interrogatione proponit dicens *Nonne succisa est erectio eorum?* Videbantur enim per prosperitatem terrenam vel etiam per propriam elationem ad modum arboris erigi in sublime; sed sicut arboris erectio per succisionem subito impeditur, ita etiam et eorum elevatio per eorum subtractionem subito cessat. Contingit autem quandoque quod arbor succisa

147 designat] —atur F γ 154 excelsos] —so N V^2 in excelso γ ex ecelso F ex *praem.* pV^1 188 cura] curam F V^2 191 subicit] subdit F^2 γ δ π subiciuntur V^2 198 datur] dat F N sR (*def.* pR pPd) 206 videbitur] videte F V^1 V^2 As videre N videbatur F^2 214 sed] licet V^2 et γ δ^1 π *om.* Va 215 et *om.* β^1 γ δ π

141 Ponebant: Arist. sec. Averroem, ut refert Thomas *Super I Sent.* d. 39 q. 2 a. 2: 'ista opinio imponitur Aristotili quamvis ex verbis suis expresse haberi non possit, sed Commentator suus expresse ponit eam in XI Metaph.'; cf. Averroes *XI* (=*XII*) *Metaph.* comm. 37 et 52 (8,320 K et 338 E), Moyses Maim. *III Dux neutr.* cap. 17 (ed. Paris. 1520, cap. 18) opinio 2^a. 146 cardo: cf. Prov. xxvi[16] ut refert Thomas *De virt. card.* a. 1. 154 Cap. xxi[22]. 181 cursu mutabilitatis: *Glossa ordin.* super h. l. ex Gregor. *XVI Moral.* cap. 10 (PL 75,1128 C). 206 Cap. xxi[3].

Et reliquias eorum devoravit ignis. [21] Acquiesce ergo ei et habeto pacem, et per hoc habebis fructus optimos. [22] Suscipe ex ore illius legem, et pone sermones eius in corde tuo. [23] Si reversus fueris ad Omnipotentem, aedificaberis; et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo, [24] dabit pro terra silicem et pro silice torrentes aureos. [25] Eritque Omnipotens contra hostes tuos, et argentum coacervabitur tibi. [26] Tunc super Omnipotentem deliciis affluES, et elevabis ad Deum faciem tuam. [27] Rogabis eum et exaudiet te, et vota tua reddes. [28] Decernes rem et veniet tibi, et in viis tuis splendebit lumen.

in altius quidem crescere non potest, sed tamen adhuc eius remanet longitudo; si tamen ignis apponatur, nullum vestigium praeteritae altitudinis restat: ita etiam si mortuo vel deiecto homine peccatore, per ignem adversitatis etiam filii eius pereant et divitiae diripiantur, nihil residuum videbitur de altitudine praeterita remanere, unde sequitur *Et reliquias eorum devoravit ignis*, idest ardor tribulationis, secundum illud Iac. I[11] «Exortus est sol cum ardore et arefecit fenum»; dicuntur autem reliquiae hominis vel filii vel quaecumque aliae res eius post eum remanentes.

Quia igitur huiusmodi subversionem impiis accidere dixerat ex hoc quod contra Deum nitebantur, ut similia Iob evitare posset, subdit *Acquiesce ergo ei et habeto pacem*, quasi dicat: propter hoc perturbatus es quia contra eum contendere voluisti; *et per hoc*, scilicet per pacem qua ei reconciliaberis, *habebis fructus optimos*, quasi dicat: quicquid optimum esse potest, quasi fructum huius pacis consequeris. Qualiter autem ei acquiescere debeat, ostendit subdens *Suscipe ex ore illius legem*, quasi dicat: non aestimes quod res humanae divina providentia non regantur, quin immo secundum legem regiminis eius tuam vitam disponas. Et quia quidam legem divini regiminis profitentur sed tamen eam opere non sequuntur, ideo subdit *et pone sermones eius in corde tuo*, ut scilicet mandata eius mediteris et ea servare disponas. Qualiter autem per hoc «fructus optimos» habiturus sit, ostendit subdens *Si reversus fueris ad Omnipotentem*, ut scilicet eius omnipotentiam credas et ei te subicias, *aedificaberis*, quasi dicat: domus tuae prosperitas quae destructa est reparabitur. Quomodo autem ad Deum perfecte reverti debeat, ostendit subdens *et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo*, et est subintelligendum 'si', ut littera sic legatur: si longe facias iniquitatem a tabernaculo tuo, *dabit*, scilicet Deus, *pro terra silicem et pro silice torrentes aureos*, ut hoc quod dicit *longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo* sit expositivum eius quod dixerat «Si reversus fueris ad Omnipotentem». Et non dicit: si longe feceris iniquitatem a te, sed *a tabernaculo tuo*, volens innuere quod adversitas ei acciderat non solum pro peccato personae suae sed etiam pro peccato suae familiae. Quod vero dicit *dabit pro terra silicem* refertur ad hoc quod dixit «aedificaberis», ut scilicet detur intelligi quod restauratio sit futura, sed ad aliquid maius, ut scilicet pro amissis maiora reddat: silex enim pretiosior est quam gleba terrae et aurum quam silex.

Quae sint autem ista bona quae ei restituenda promittit enumerat consequenter, primo ponens securitatem ex Dei protectione cum subdit *Eritque Omnipotens contra hostes tuos*, ne scilicet iterato possint subripere quae tibi restituentur a Deo; secundo ponit divitiarum abundantiam cum dicit *et argentum coacervabitur tibi:* nomine enim argenti omnes divitiae significantur quia ex argento pecunia fieri solet. Et ne videatur solum corporalia bona promittere subiungit de spiritualibus bonis, inter quae primum ponit ut homo Deum diligat et delectetur in eo, unde sequitur *Tunc super Omnipotentem deliciis affluES*, idest quando pacem cum eo habebis in eo delectaberis; et quia unusquisque libenter respicit id in quo delectatur subdit *et elevabis ad Deum faciem tuam*, idest mentem tuam ut ipsum frequenter contempleris; et ex hoc fiduciam accipies recurrendi ad ipsum, unde subdit *Rogabis eum;* et hoc non sine fructu, sequitur enim *et exaudiet te;* solent autem exauditi a Deo vota implere quae postulando promiserunt, unde subdit *et vota tua reddes*, quasi in signum exauditionis. Deinde promittit prosperum propositi successum cum subdit *Decernes rem*, idest ordinabis per tuam providentiam qualiter aliquid sit futurum, *et veniet tibi*, idest dispositio tua non frustrabitur; et ne dubites quid sit decernendum, hoc etiam tibi manifestabitur, unde subdit *et in viis tuis*

233 perturbatus] —batur F conturbatus F^2 δ π quod turbatus V^2 Sv 243 sequuntur] sequitur N V^2 $δ^1$ 249 dicat *om.* F N V^2 252 facies] —as $β^1$ —et Sv fa. F γ(-Sv) 254 facias] —es V^2 δ(-R) 257 facies] —as F $β^1$ —at F^2 —et Sv *om.* Va fa. As 263 refertur] referatur F^2 V^2 γ(-Sv) 288 exauditi] —diri F V^2 γ(-As) Va (*def.* F^2)

231 dixerat: vers. 17. 275 nomine...solet: cf. Alan. de Insulis *Distinctiones* s. v. Argentum (PL 210,710 A); August. *III De lib. arb.* cap. 17 (PL 32,1294).

[29] Qui enim humiliatus fuerit erit in gloria, et qui inclinaverit oculos suos ipse salvabitur. [30] Salvabitur innocens, salvabitur autem munditia manuum suarum.

splendebit lumen, idest clare apparebit tibi per quas vias procedere debeas.

Rationem autem harum promissionum ostendit subdens *Qui enim humiliatus fuerit*, scilicet Deo se subiciendo per affectum, *erit in gloria*, quam scilicet consequetur a Deo; *et qui inclinaverit oculos suos*, ne scilicet per intellectum aliquid superbum et stultum contra Deum sentiat, *ipse salvabitur*, a malis scilicet liberatus et in bonis stabilitus. Non solum autem requiritur ad salutem interior humilitas affectus et intellectus sed etiam exterior puritas operum, unde subdit *Salvabitur innocens;* et quo merito salvetur ostendit subdens *salvabitur autem munditia manuum suarum*, idest innocentia operum suorum. Et est considerandum quod hic Eliphaz non solum promittit Iob, si convertatur, bona temporalia quae possunt esse bonis et malis communia, sicut supra fecerat, sed etiam bona spiritualia quae sunt propria bonorum; sed tamen solum in hac vita.

313 supra: cap. v[17-26].

CAPITULUM XXIII

[1] Respondens autem Iob dixit: [2] Nunc quoque in amaritudine est sermo meus, et manus plagae meae aggravata est super gemitum meum. [3] Quis mihi tribuat ut cognoscam et inveniam illum et veniam usque ad solium eius? [4] Ponam coram eo iudicium et os meum replebo increpationibus, [5] ut sciam verba quae mihi respondeat et intelligam quid loquatur mihi. [6] Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suae mole me premat.

Respondens autem Iob dixit: Nunc quoque in amaritudine est etc. Eliphaz in verbis praemissis duo contra Iob proposuisse videtur: primo quidem quod propter malitiam suam plurimam fuerit punitus, secundo quod de Dei providentia dubitaverit vel eam negaverit; solent autem homines cum eis falso aliqua crimina imponuntur ex hoc contristari, unde quia Iob haec in se non recognoscebat dicit *Nunc quoque in amaritudine est sermo meus*, quasi dicat: sicut supra me contristastis opprobriis vestris ita etiam et nunc, ut cogar cum amaritudine loqui. Cum autem alicui afflicto de novo afflictio additur, priores afflictiones ad memoriam revocantur ex quibus praesens gemitus aggravatur, unde subdit *et manus*, idest potestas, *plagae meae*, idest adversitatis quam olim sum passus, *aggravata est super gemitum meum*, idest facit praesentem gemitum graviorem.

Incipit autem primo respondere ad hoc quod dixerat propter malitiam suam eum punitum. Recognoscebat autem se Iob punitum divino iudicio – unde supra XVI[12] dixerat «Conclusit me Deus apud iniquum» –, unde inquirere causam quare punitus sit est inquirere rationem divini iudicii, quam quidem nullus cognoscere potest nisi ipse Deus, ex quo patet praesumptuose Eliphaz asseruisse eum propter malitiam fuisse punitum; unde super hoc non vult cum Eliphaz contendere, sed disputationem suam vertit ad Deum qui solus sui iudicii rationem novit. Reputaret autem se divino iudicio praegravatum si propter malitiam plurimam esset punitus; solent autem qui ab aliquo iudice sunt gravati primo quidem ad iudicem accedere, quod facere non possunt nisi locum eus inveniant, quod etiam non possunt nisi prius eum cognoscant: nullus enim potest quaerens invenire id quod omnino ignorat, unde dicit *Quis mihi tribuat ut cognoscam et inveniam illum et veniam usque ad solium eius?* Sciebat enim quod Deus eius cognitionem excederet, et ideo non poterat perfecte de se invenire viam per quam usque ad solium eius perveniret, idest usque ad plenam cognitionem iudiciorum ipsius. Solet autem gravatus a iudice cum ad eum pervenerit causae suae iustitiam demonstrare, unde subdit *Ponam coram eo iudicium*, quasi dicat: proponam ei quale debeat esse iustum iudicium causae meae; *et os meum replebo increpationibus*, idest conquestionibus, non quidem ut credam divinum iudicium esse iniustum sed per modum quaerentis, sicut solent disputantes contra dicta aliorum obicere ut plenius veritatem intelligant, unde subdit *ut sciam verba quae mihi respondeat*, quod pertinet ad veritatem responsionis cognoscendam, *et intelligam quid loquatur mihi*, quod pertinet ad percipiendam verborum intelligentiam: non enim potest homo scire an verum sit quod ei dicitur nisi intelligat quid ei dicatur.

Frequenter autem supra quasi ad divinum iudicium sustinendum proposuerant divinam fortitudinem et magnitudinem, sicut Sophar supra XI[8]: «Excelsior caelo est, et quid facies?» et cetera quae ibi sequuntur, et ideo hanc responsionem excludens subdit *Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suae mole me premat*, quasi dicat: non sufficit mihi ista responsio ut solum contra me allegetur Dei potentia et magnitudo, quia sicut ipse est fortissimus et maximus ita etiam est iustissimus et aequitatis amator; unde subdit *Proponat aequita-*

59 proposuerant] —erat β^1 V^2 γ(-As) π 68 Proponat] —net N β^1 V^2 propo. F

3 duo: cap. XXII[5,12]. 19 primo: cf. 'nunc autem' cap. 24 4. 36 nullus...ignorat: cf. Arist. *I Anal. post.* 1 (71 a 1) sec. Thomam *De verit.* q. 11 a. 1 ad 3.

[7] Proponat aequitatem contra me, et perveniet ad victoriam iudicium meum. [8] Si ad orientem iero non apparet, si ad occidentem non intelligam illum; [9] si ad sinistram, quid agam? Non apprehendam eum; si me vertam ad dextram non videbo illum.

tem contra me, idest assignetur ratio ad aequitatem pertinens, et ita apparebit quod non propter malitiam sum punitus, unde subdit *et perveniet ad victoriam iudicium meum*, quo scilicet contra vos contendo asserens me non pro peccatis punitum.

Et ne quis credat ex eo quod dixit «Quis mihi tribuat ut cognoscam et inveniam illum et veniam usque ad solium eius?» quod crederet Deum corporali loco concludi aut per creaturas sufficienter posse cognosci, subiungit *Si ad orientem iero non apparet*. Ubi considerandum est quod secundum Aristotilem in caelo distinguuntur sex positionis differentiae, scilicet sursum et deorsum, dextrorsum et sinistrorsum, ante et retro. Principium enim motus totius firmamenti manifeste apparet in oriente; est autem in quolibet animali principium motus a dextro: si ergo imaginemur motum firmamenti sicut motum unius animalis, oportebit ponere dextrum caeli in oriente, sinistrum vero in occidente, sursum in meridie, deorsum vero in septentrione, anterius vero in superiori hemisphaerio, posterius vero in inferiori hemisphaerio; velut si imaginaremur unum hominem qui sua dextra moveret caelum ab oriente versus superius hemisphaerium, consequens esset quod caput teneret versus meridiem et pedes versus septentrionem, et pars anterior hominis esset versus superius hemisphaerium, posterius vero hominis, idest dorsum, versus inferius. Quidam tamen non respicientes ad dispositionem humani corporis sed magis ad ordinem motus caeli posuerunt superius caeli esse partem orientalem eo quod ibi incipit motus, dextrum autem caeli in parte meridionali, versus quam partem quoad nos procedunt motus planetarum; unde per oppositum inferius caeli intelligitur occidens, sinistrum vero caeli intelligitur pars septentrionalis. Et hoc modo videntur hic procedere verba Iob: nam dextrum et sinistrum dividit contra orientem et occidentem. Potest ergo simpliciter intelligi quod in nulla parte caeli Deus localiter concluditur, ut sit sensus: *Si ad orientem iero non apparet*, quasi ibi vicinior existens, ac si ibi localiter existeret; *si ad occidentem non intelligam illum*, quasi propinquiorem et ibi conclusum; *si ad sinistram*, idest versus septentrionalem partem, *quid agam? Non apprehendam eum*, quia scilicet non est ibi corporaliter situatus; *si me vertam ad dextram*, idest versus partem meridionalem, *non videbo illum*, quasi ibi existentem.

Vel possunt haec verba induci non ad excludendum a Deo localem situm sed ad ostendendum quod non potest sufficienter per inferiores effectus inveniri; inter omnes autem effectus in rebus corporalibus apparentes universalior est et maior motus firmamenti, et quamvis manifeste appareat huius motus principium in oriente, tamen huius motus principium non sufficienter demonstrat infinitatem divinae virtutis, unde dicit *Si ad orientem iero*, scilicet progressu meae considerationis, quasi considerans principium motus firmamenti, *non apparet*, scilicet sufficienter per hanc considerationem. Secundus autem effectus divinae virtutis in rebus corporalibus est motus planetarum, qui est ex adverso motus firmamenti: unde principium est in occidente, ex quo etiam non sufficienter potest considerari virtus divina, unde subdit *si ad occidentem*, scilicet iero, considerans principium motus planetarum, *non intelligam illum;* et valde signanter loquitur: hic enim motus magis intelligitur ex diversitate situs planetarum quam appareat oculis. Ex parte vero septentrionali non videtur esse principium nobis nisi tenebrarum, quia versus illam partem sol numquam accedit; tenebrae autem impediunt actionem, secundum illud Ioh. IX[4] «Venit nox quando nemo potest operari», unde subdit *Si ad sinistram*, scilicet per considerationem perrexero, *quid agam?*, idest non invenio ibi nisi defectum actionis, unde nullum vestigium dabitur ad eum cognoscendum, unde subdit *Non apprehendam eum*, etiam qualitercumque. Ex parte vero meridionali est nobis principium luminis propter corpora luminarium ex illa parte nobis apparentium, unde subdit *si me vertam*, scilicet per considerationem, *ad dextram*, idest ad partem meridionalem caeli, *non videbo illum*, quasi dicat: inveniam ibi lumen corporale, per quod tamen ipse videri non

89 inferiori *scripsi. cum* sAs] superiori F[2] posteriori *cet.* 90 imaginaremur] —nemur N β^1 Sv Pd π 96 dorsum *scripsi. cum* V^1 V^2] deorsum *cet.* 120 corporalibus] —rales F N V^1 V^2 131 ex quo] eo quod F β^1 et quo V^2 et *praem.* Va

74 Vers. 3. 80 *II De caelo* 2 (284 b 21) sec. Thomam *Super II Sent.* d. 14 a. 3 ad 4. 84 a dextro: cf. Arist. *De progr. animal.* cap. 4 (705 b 20) et *II De caelo* 3 (285 b 16). 90 velut si imaginaremur...: cf. Averroes *II De caelo* comm. 13 (5,102 H). 96 Quidam: cf. Arist. *II De caelo* 3 (285 b 23) loquens 'more Pythagoricorum' vel 'magis aspiciens ad motus planetarum', ut dicit Thomas super h. l. 130 ex adverso: cf. Arist. *II De caelo* 3 (285 b 31).

[10] Ipse vero scit viam meam et probabit me quasi aurum quod per ignem transit. [11] Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodivi et non declinavi ex ea. [12] A mandatis labiorum eius non recessi, et in sinu meo abscondi verba oris eius. [13] Ipse enim solus est, et nemo advertere potest cogitationes eius, et anima eius quodcumque voluit hoc fecit. [14] Cum expleverit in me voluntatem suam, et alia multa similia praesto sunt ei, [15] et idcirco turbatus sum,

potest. Et quamvis ipse sic me lateat, eum tamen non latent quae circa me aguntur, unde subdit *Ipse vero scit viam meam*, idest totum processum vitae meae; quod videtur Iob dicere contra id quod Eliphaz supra induxerat ex persona impiorum quasi imponendo illud Iob: «Nubes latibulum eius nec nostra considerat».

Et quia posset aliquis dicere 'si scit viam tuam ergo propter peccata tua te punivit', ipse respondet *et probabit me quasi aurum quod per ignem transit*, ubi primo manifeste exponit causam suae adversitatis, quae fuit ei inducta ut ex ea approbatus hominibus appareret, sicut aurum approbatur quod potest ignem sustinere; et sicut aurum non fit verum aurum ex igne sed eius veritas hominibus manifestatur, ita Iob per adversitatem probatus est non ut eius virtus appareret coram Deo, sed ut hominibus manifestaretur; dicit autem *probabit* de futuro, quasi exhibens se per patientiam etiam ad futuram examinationem. Quod autem non sit punitus pro peccato praecedenti probat per rectitudinem vitae suae. Ubi considerandum est quod unumquodque ostenditur rectum per hoc quod suae regulae conformatur. Est autem duplex regula humanae vitae; prima quidem est lex naturalis a Deo mentibus hominum impressa, per quam naturaliter homo intelligit quid est bonum ex similitudine divinae bonitatis. In quo primo attendendum est quod homo secundum suum posse imitetur in suis affectibus et operibus divinae bonitatis operationem, secundum illud Matth. v[48] «Estote perfecti sicut et Pater vester caelestis perfectus est», et Eph. v[1] «Estote imitatores Dei sicut filii carissimi»; unde dicit *Vestigia eius*, idest aliquam licet ex parva parte similitudinem bonitatis divinae operantis, *secutus est*, scilicet per imitationem, *pes meus*, idest affectus meus, quo ad operandum procedimus. Secundo requiritur quod aliquis tota mente sollicitudinem adhibeat ad Deum imitandum, unde subdit *viam eius custodivi*, quasi sollicitus ne ab ea recederem. Tertio requiritur quod homo in ea perseveret et totaliter in ea maneat, non ex parte, unde subdit *et non declinavi ex ea*, idest ex nulla parte recessi. Secunda autem regula humanae vitae est lex exterior divinitus tradita, contra quam homo peccat dupliciter: uno quidem modo per contemptum, et contra hoc dicit *A mandatis labiorum eius non recessi:* fuerant enim Noe aliqua praecepta divinitus data et forte aliquibus aliis sanctis viris in quorum labiis Deus loquebatur; secundo aliquis peccat contra legem Dei per ignorantiam vel oblivionem, et contra hoc subdit *et in sinu meo*, idest in occulto cordis, *abscondi verba oris eius*, secundum illud Psalmi «In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi».

Et ne aliquis diceret hanc probationem quam induxit ex rectitudine suae vitae non esse conveniente, ostendit consequenter quod de divinis iudiciis certissima et demonstrativa probatio induci non potest propter incomprehensibilitatem divinae voluntatis, unde subdit *Ipse enim solus est*, quasi: non habet aliquam creaturam similem vel aequalem quae eum comprehendere possit, et per consequens nec eius voluntatem, unde subdit *et nemo advertere potest*, idest per certitudinem cognoscere, *cogitationes eius*, idest dispositiones iudiciorum ipsius. Et sicut non potest comprehendi eius dispositio, ita nec ei potest ab ulla creatura resisti, unde sequitur *et anima eius*, idest voluntas eius, *quodcumque voluit hoc fecit*, quasi nullo resistere valente. Contingit autem quandoque, maxime in aliquo sapiente qui voluntatem suam moderatur secundum suam virtutem, <quod> ultra facere non potest, sed hoc a Deo excludit cum subdit *Cum expleverit in me voluntatem suam, et alia multa similia praesto sunt ei*, quasi dicat: quod in me ultra adversitatem non inducat, non est quia ultra non possit sed quia ultra non vult; *et idcirco*, quia scilicet considero quod ultra facere potest et non possum advertere utrum ultra

153 quamvis] *om.* F[2] tamen *add.* F N V[1] V[2] As R *et delevimus* 154 latent *scripsi. cum* Sv Pd π] latet *cet.* 165 appareret] apparet F N V[1] 192 recederem *scripsi. cum* γ sPd π] recedam *cet.* 215 advertere] avertere *Vulg.* 222 qui] quod γ(-Sv) sPd π 224 <quod> *suppl. cum* sN] quam *post* ultra δ(-R) π *om. cet.* 227 in me *scripsi. cum* V[1]] inde F pN V[2] *om.* F[2] mihi sN γ δ π 229 idcirco] a facie eius *cum Vulg. add.* Pd π 230 advertere *scripsi. cum* sN β[1] Sv π] adultere R avertere *cet.*

158 Cap. XXII[14]. 188 idest affectus: cf. August. *Enarr. in Ps.* XCIV[1] (PL 37,1217). 200 Noe: cf. Gen.VI[16] et IX[1]. 205 Ps. CXVIII[11].

et considerans eum timore sollicitor. [16] Deus mollivit cor meum et Omnipotens conturbavit me. [17] Non enim perii propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.

facere velit, *turbatus sum*, scilicet turbatione timoris; unde subdit *et considerans eum*, idest potentiam eius, *timore sollicitor*, ne scilicet adhuc me probaturus sit adversitate graviori.

Causam autem huius sollicitudinis formidolosae assignat per hoc quod est expertus in se divinam percussionem, unde subdit *Deus mollivit cor meum*, quasi liquefaciens ipsum, firmitate securitatis sublata, *et Omnipotens conturbavit me*, idest per omnipotentiam suam turbationem tristitiae de praesentibus malis et timoris de futuris induxit. Quare autem timeat in futurum cum non sit sibi conscius de culpa, ostendit subdens *Non enim perii*, idest adversitatem passus sum, *propter imminentes tenebras*, idest errores vel peccata, quae quidem imminere dicuntur quando in mente hominis confirmantur, puta cum quis ex malitia peccat. Contingit autem quandoque quod malitia in homine non firmatur, sed ex aliqua subita passione, puta concupiscentiae vel irae, ad peccandum impellitur; et hoc a se excludit subdens *nec faciem meam operuit caligo:* quasi enim caligat oculus rationis quando propter passionem iudicium eius in opere particulari decipitur.

247 peccat] peocata F pN pV²

CAPITULUM XXIV

[1] Ab Omnipotente non sunt abscondita tempora; qui autem noverunt eum ignorant dies illius. [2] Alii terminos transtulerunt, diripuerunt greges et paverunt eos. [3] Asinum pupillorum abegerunt et abstulerunt pro pignore bovem viduae. [4] Subverterunt pauperum viam et oppresserunt pariter mansuetos terrae. [5] Alii quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum, vigilantesque ad praedam praeparant panem liberis. [6] Agrum non suum demetunt, et vineam eius quem vi oppresserunt vindemiant.

Ab Omnipotente non sunt abscondita tempora etc. In praecedenti capitulo Iob ostendit se non esse propter malitiam punitum, ut Eliphaz asseruerat, nunc autem vult manifestare quod non existimat Deum non habere curam rerum humanarum, sicut Eliphaz ei imponebat. Est autem considerandum quod aliqui ponebant Deum humanarum rerum notitiam et curam non habere propter distantiam eius a nobis: credebant enim quod sicut propter huiusmodi distantiam nos eum cognoscere non valemus, ita nec ipse nos; sed hoc ipse primo excludit dicens *Ab Omnipotente non sunt abscondita tempora*, quasi dicat: quamvis Omnipotens sit extra temporum mutabilitatem ipse tamen temporum cursum cognoscit; illi vero qui sunt in tempore ita eum cognoscunt quod tamen modum aeternitatis eius comprehendere non valent, unde subdit *qui autem noverunt eum*, idest homines temporales eius notitiam qualemcumque habentes vel naturali cognitione vel per fidem vel aliqua maiori sapientiae illustratione, *ignorant dies illius*, idest comprehendere non valent modum aeternitatis eius.

Et quia dixerat temporalium cursum Deo ignotum non esse, consequenter ostendit qualiter temporalia iudicat, praemittens diversas hominum culpas, quorum quidam fraudulenter aliis inferunt nocumenta, unde dicit *Alii*, scilicet inter homines, *terminos transtulerunt*, furtive scilicet mutantes possessionum confinia, et similia fecerunt in animalibus quae gregatim pascuntur, unde subdit *diripuerunt*, scilicet furtive, *greges*, scilicet alienos, *et paverunt eos*, ut sic videantur esse eorum. Et eorum culpam exaggerat ex condicione personarum quibus inferunt nocumenta: consueverunt enim homines misereri pupillorum propter defectum aetatis et carentiam sustentationis parentum, et contra hoc dicit *Asinum pupillorum abegerunt*, idest aberrare fecerunt ut eum raperent non miserantes pupillum. Similiter etiam viduarum consueverunt homines misereri propter fragilitatem sexus et quia destitutae sunt virorum solatio, sed contra hoc subdit *et abstulerunt pro pignore bovem viduae*, quasi sub quodam colore iustitiae eam gravantes. Consueverunt etiam homines misereri pauperum qui divitiarum sustentatione carent, et contra hoc subdit *Subverterunt pauperum viam*, idest abstulerunt eis facultatem sibi necessaria procurandi, eos multipliciter molestando. Solent etiam homines desistere a nocumento eorum qui aliis nocere non consueverunt sed inter alios suaviter conversantur, et contra hoc subdit *et oppresserunt pariter mansuetos terrae*, qui scilicet nec provocari nec provocare alios noverant.

Sunt autem quidam qui non fraudulenter ut praedicti sed per manifestam violentiam aliis nocent, qui ad mala facienda prorumpunt quasi nulla disciplina legis contineantur, de quibus subdit *Alii quasi onagri in deserto*, idest asini silvestres qui hominum servituti non subsunt, *egrediuntur ad opus suum*, scilicet ad latrocinium cui quasi proprio operi sollicite intendunt, unde subdit *vigilantesque ad praedam*, scilicet diripiendam, *praeparant panem liberis*, scilicet suis ex praeda direpta. Deinde genus praedae determinat subdens *Agrum non suum demetunt*, per violentiam scilicet messes alienas colligentes, *et vineam eius quem vi oppresserunt vindemiant*, quia scilicet prius aliquem opprimunt ad hoc

8 distantiam *scripsi. cum* sF sAs] duritiam Sv differentiam *cet.* F N β^1 V^2 R *om.* Sv 46 sibi necessaria] *om.* N γ *inv.* Va 62 direpta] directa

3 asseruerat: cap. XXII[5]. 6 imponebat: cap. XXII[13]. 7 aliqui: haeretici apud Gregor. *XVI Moral.* cap. 8 (PL 75,1126 B); cf. supra cap. 22 130-141. 57 asini silvestres: cf. supra cap. 11 196 nota.

[7] Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore, [8] quos imbres montium rigant, et non habentes velamen amplexantur lapides. [9] Vim fecerunt depraedantes pupillos, et vulgum pauperem spoliaverunt. [10] Nudis et incedentibus absque vestitu et esurientibus tulerunt spicas. [11] Inter acervos eorum meridiati sunt qui calcatis torcularibus sitiunt. [12] De civitatibus fecerunt viros gemere, et animae verberatorum clamabunt, et Deus inultum abire non patitur. [13] Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias eius nec reversi sunt per semitas illius.

quod eius bona liberius rapiant. Nec solum exteriora bona per violentiam subtrahunt sed etiam ea quae iam sunt ad usum corporis fovendi assumpta, unde subdit *Nudos dimittunt homines*, idest nihil eis relinquunt, *indumenta tollentes*. Et ut magis exaggeret huius rapinae culpam, subiungit afflictiones quas ex nuditate patiuntur, unde dicit *quibus non est operimentum in frigore:* esset enim aliqualiter tolerabile si aliunde possent nuditati subvenire. Nec solum indumenta sunt necessaria ad calefaciendum contra frigus sed etiam ad tegumentum contra pluviam, unde oportet a latronibus denudatos non solum frigore perfligi sed etiam pluvia perfundi; et hoc est quod subdit *quos imbres montium rigant:* solent enim homines ad loca montana quasi munitiora confugere pro timore latronum vel hostium, ubi propter aeris frigiditatem et frequentiores et graviores sunt pluviae, maxime nudis hominibus. Est autem qualecumque nuditatis remedium si ille qui vestimentorum operimentum non habet saltem operimento domus non careat, sed contra hoc subdit *et non habentes velamen*, scilicet vestimenti nec domus, *amplexantur lapides*, idest abscondunt se in cavernis lapidum quae inveniuntur in locis montanis.

Ulterius autem exaggerat eorum culpam ex condicione miserabilium personarum quae gravant, unde subdit *Vim fecerunt depraedantes pupillos*, qui scilicet magis erant sustentandi, *et vulgum pauperem spoliaverunt*, cui scilicet magis erat subveniendum. Esset autem utcumque tolerabile si saltem habentibus sufficientiam subtrahere vellent; et ideo ad maiorem exaggerationem iniquitatum eorum subdit *Nudis*, idest non habentibus vestimenta, *et incedentibus absque vestitu*, idest prae nimia necessitate etiam ad publicum sine vestibus nudis prodeuntibus, quod pertinet ad magnam inopiam vestitus; et ut ostendat etiam in victu eos penuriam pati, subdit *et esurientibus;* his autem nihil magni auferre possunt, sed id modicum quod habent eis subripere non verentur, unde subdit *tulerunt spicas*, quasi dicat: non tulerunt eis messem quam non habent sed aliquas paucas spicas quas sibi collegerant. Et si forte in aliquo abundare videantur, illud subtrahunt non pensantes quantam penuriam in aliis patiuntur, unde subdit *Inter acervos*, frugum scilicet, *eorum meridiati sunt*, idest in meridie quieverunt quasi lascivientes de bonis eorum *qui calcatis torcularibus sitiunt*, idest qui statim post vindemiam modicum habent de vino. Nec solum homines spoliant in rebus exterioribus sed etiam laedunt in personis, unde subdit *De civitatibus fecerunt viros gemere*, quia scilicet quibusdam laesis multi ex civibus conturbantur; et ipsi qui laesi sunt conqueruntur, unde subdit *et animae verberatorum clamabunt, et Deus*, a quo scilicet non sunt abscondita quae in tempore aguntur, *inultum abire non patitur*, quod scilicet non esset si de rebus humanis providentiam non haberet.

Causam autem quare Deus hoc inultum non patitur ostendit ex hoc quod non per ignorantiam sed per malitiam peccant, ex qua sapientiam odiunt ipsorum peccata arguentem; unde subdit *Ipsi fuerunt rebelles lumini*, scilicet ex proposito agentes contra id quod eis lumen rationis dictat. Sicut autem sapientia praeoccupat eos qui se concupiscunt, ita fugit ab eis qui ei renituntur, unde subdit *nescierunt vias eius*, idest habentes sensum per malitiam depravatum non potuerunt sapientiae processus cognoscere; vel *nescierunt*, idest non approbaverunt nec experiri voluerunt sapientiae mandata. Et impaenitentiam eorum demonstrat subdens *nec reversi sunt per semitas illius:* illi quidem per semitam sapientiae revertuntur qui etsi sapientiae peccando rebelles fuerunt, tamen paenitendo ad sapientiam revertuntur.

In signum autem quod spirituali lumini sapientiae repugnent, inducit quod etiam lumen exterius detestantur tenebras amantes, secundum quod Ioh. III[20] dicitur «Omnis qui male agit odit lucem»; unde et hic subditur *Mane primo*, adhuc scilicet exis-

67 solum] saltem β^1 V^2 79 perfligi] affligi F F^2 γ δ π 81 munitiora] viciniora N V^1 Va tutiora F^2 R mitiniciora V^2 ad tutiora Pd ad tentiora π 89 abscondunt] —dant N V^2 —derunt δ^1 97 sufficientiam] —tia N β^1 V^2 120 verberatorum] vulneratorum *cum Vulg.* V^2 γ δ π 140 rebelles] —lent N V^1 fuerunt *scripsi. cum* γ(-As) Va] *om.* N β^1 V^2 fuerant As sint (*ante* rebelles F) F R sunt Pd π

[14] Mane primo consurgit homicida et interficit egenum et pauperem; per noctem vero erit quasi fur. [15] Oculus adulteri observat caliginem dicens: Non videbit me oculus, et operiet vultum suum. [16] Perfodiunt in tenebris domos sicut in die condixerunt sibi, et ignoraverunt lucem; [17] si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis. Et sic in tenebris quasi in luce ambulant; [18] levis est super faciem aquae. Maledicta sit pars eius in terra, nec ambulet per viam vinearum: [19] ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.

tentibus tenebris, *consurgit homicida et interficit egenum et pauperem*, quia scilicet illa hora nondum communiter homines vadunt per viam, sed aliqui pauperes necessitate ducti praeoccupant tempus operis, quibus latrones insidiantur in via. Ad hoc autem quod de domibus aliquid furtive subripiant profundioribus indigent tenebris, unde subdit *per noctem vero erit quasi fur*, scilicet spolians domos, quod ei primo mane facere tutum non esset quia tunc homines evigilare incipiunt. Idem autem in adultero ostendit subdens *Oculus adulteri*, qui scilicet insidiatur alieno toro, *observat caliginem*, ut scilicet deprehendi non possit, unde subdit *dicens: Non videbit me oculus*, idest hoc proposito observat caliginem ne a cuiusquam oculo videatur; et quasi non sufficiat ei occultatio noctis adhuc alias occultandi artes assumit, unde subdit *et operiet vultum suum*, qualicumque scilicet mutatione habitus. Et sicut ad incipiendum opus observat caliginem, ita etiam et opus exequitur in tenebris, unde subdit *Perfodiunt in tenebris domos*, scilicet qualicumque fraude vel violentia obstacula auferentes, *sicut in die condixerunt sibi*, scilicet adulter et adultera, *et ignoraverunt lucem*, idest abiecerunt in tota executione nefarii operis; *si subito*, quasi ex impraemeditato, quia tempus eis breve videtur dum carnali delectationi vacant, *apparuerit aurora*, quae est diurnae lucis principium, *arbitrantur umbram mortis*, idest eam existimant odiosam sicut umbram mortis dum se vident suas lascivias ulterius non posse protrahere. Solent autem homines dupliciter a suis operibus impediri; uno modo quando non prospiciunt rei eventum, alio modo quando habent in suo proposito debile fulcimentum; sed adulteri, qui ex concupiscentia ducuntur, e contrario primo quidem inconsiderate se periculis ingerunt quamvis ignorent quid sequatur, et ad hoc significandum dicit *Et sic in tenebris*, idest in dubiis et obscuris, *quasi in luce*, idest in manifestis, *ambulant*, idest procedunt; secundo ex re modica et fragili magnam fiduciam capiunt, unde subdit *levis est*, scilicet adulter, *super faciem aquae*, quasi dicat: adeo leviter movetur ut videatur ei quod per aliqua mollia, sicut est aqua, possit pertransire ad suum propositum prosequendum. Vel ad litteram, quod dicit *sic in tenebris quasi in luce ambulant* potest ad hoc referri quod uterque, scilicet adulter et adultera, sua opera in tenebris agere amant; quod vero subdit *levis est super faciem aquae* refertur specialiter ad adulterum, cui propter impetum concupiscentiae videtur quod etiam super aquam, idest super quamcumque difficultatem vel adversitatem, leviter pertransire possit ad hoc quod perveniat ad fruitionem rei concupitae.

Enarratis igitur diversis generibus peccatorum subiungit de poena, et primo quidem quantum ad poenam praesentis vitae cum subdit *Maledicta sit pars eius in terra:* illud unicuique pars esse videtur quod quasi potissimum bonum desiderat; peccator autem in rebus terrenis quasi in sua parte ultimum finem constituit, secundum illud Sap. «Haec est pars nostra et haec est sors», quae quidem maledicta est quia bona huius mundi quibus male utitur ei vertuntur in malum. Et hoc manifestat subdens *nec ambulet per viam vinearum:* solent enim viae vinearum umbrosae esse et per consequens temperatae; vineae etiam temperatum locum requirunt, nam in locis nimis frigidis destruuntur per glaciem et in locis nimis calidis aduruntur per calorem; impius ergo per viam vinearum non ambulat quia rebus huius mundi moderate non utitur, sed quandoque declinat ad unum extremum quandoque ad aliud, et quantum ad hoc subdit *ad nimium calorem transeat ab aquis nivium*, quasi a contrario vitio in contrarium transeat quia in medio virtutis non manet; et ista poena consequitur omnes malos quia «inordinatus animus sibi ipsi est poena», ut Augustinus dicit in I Confessionum.

Deinde ponit poenam quae erit post mortem cum

147 interficit] —fecit F V^2 δ^1 154 scilicet *om.* N β^1 168 condixerunt] —rant *cum Vulg.* Pd π conduxerunt Sv contradixerant Va 173 apparuerit] apparuit β^1 γ(-Sv) 203 illud] enim *add.* As δ π 220 quia] quod β^1 V^2 γ(-Sv) δ^1 π et Sv eo quod Va

206 Sap. II^3. 212 vineae...calorem: cf. Albertus *VII De veget. et plantis* tr. 2 c. 4. 220 in medio virtutis: cf. Arist. *II Ethic.* 7 (1107 a 2). 223 Cap. 12 (PL 32,670).

Et usque ad inferos peccatum illius: [20] obliviscatur eius misericordia, dulcedo illius vermis; non sit in recordatione sed conteratur quasi lignum infructuosum. [21] Pavit enim sterilem et quae non parit, et viduae bene non fecit. [22] Detraxit fortes in fortitudine sua, et cum steterit non credet vitae suae. [23] Dedit ei Deus locum paenitentiae, et ille abutitur eo in superbiam. Oculi enim sunt in viis illius; [24] elevati sunt ad modicum et non subsistent. Et humiliabuntur sicut omnia et auferentur, et sicut summitates spicarum conterentur.

subdit *Et usque ad inferos peccatum illius*, quasi dicat: non solum in terra pars eius maledicitur dum inordinate utitur rebus mundi, sed etiam pro hoc in inferno poenas patietur, ad quas etiam poenas referri potest quod dixerat «ab aquis nivium» etc., quia in inferno nulla erit temperies. Et ne crederet aliquis poenas illas per Dei misericordiam finiendas, subdit *obliviscatur eius*, scilicet peccatoris in inferno damnati, *misericordia*, scilicet Dei, ut numquam exinde liberetur. Qualis autem sit illa poena ostendit subdens *dulcedo illius vermis*, idest delectatio peccati convertetur ei in vermem, idest in conscientiae remorsum, de quo dicitur Is. ult. «Vermis eorum non morietur», unde et de huius poenae interminabilitate subdit *non sit in recordatione*, idest ita totaliter relinquatur a Deo sine remedio liberationis ac si eius esset oblitus. Et ponit similitudinem cum subdit *sed conteratur quasi lignum infructuosum:* «arbor enim quae non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur», ut dicitur Matth. III[10], lignum autem fructuosum praeciditur ut purgetur, secundum illud Ioh. XVI «Omnem palmitem qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat»; impii ergo puniuntur ad exterminium, iusti autem ad profectum.

Quare autem infructuoso ligno comparatur manifestat ex duobus: primo quidem quia bona sua in res inutiles consumpsit, unde dicit *Pavit enim sterilem et quae non parit*, et loquitur de eo qui bona sua in res inutiles consumpsit ad similitudinem eius qui uxorem sterilem inutiliter nutrit; secundo quia indigentibus non subvenit, quod ei esse poterat fructuosum, unde subdit *et viduae bene non fecit*, per viduam omnes indigentes significans. Nec solum fuit infructuosus sed etiam fuit nocivus sicut lignum proferens fructus venenosos, unde subdit *Detraxit fortes in fortitudine sua*, idest potestate sua usus est non ad subveniendum oppressis sed magis ad opprimendum fortes. Et hoc quod aliis nocet etiam in suum nocumentum redundat, quia scilicet in se securam vitam agere non potest, timens laedi ab eis quos laeserat, unde subdit *et cum steterit*, idest cum nihil adversum passus fuerit, *non credet vitae suae*, idest non erit de vita sua securus secundum illud quod Eliphaz supra XV[21] dixerat «Sonitus terroris semper in auribus eius, et cum pax sit ille semper insidias suspicatur».

Causam autem quare absque misericordia sit puniendus assignat ex hoc quod Dei misericordia noluit uti dum potuit, unde subdit *Dedit ei Deus locum paenitentiae*, scilicet differens poenam, et haec est ratio quare permissus est in prosperitate aliquandiu vivere; sed hoc quod Deus exhibuit ei in bonum ipse pervertit in malum, unde subdit *et ille abutitur eo in superbiam*, non attribuens divinae misericordiae quod post peccatum non statim punitur, sed ex hoc sumit peccandi audaciam usque ad Dei contemptum. Et quamvis peccator tenebras quaerat ad peccandum, non tamen potest facere quin videatur, unde subdit *Oculi enim*, scilicet Dei, *sunt in viis illius*, idest considerant processus eius quamvis in tenebris ambulet. Et inde est quod *elevati sunt ad modicum*, idest ad aliquam terrenam sublimitatem et caducam, Deo dante eis locum paenitentiae, *et non subsistent*, scilicet finaliter, quia abutuntur Dei misericordia in superbiam. Et adhibet huius rei similitudinem: omnia enim quae in tempore generantur, determinato tempore crescunt et postea incipiunt deici et tandem totaliter destruuntur, et ita contingit de impiis, unde subdit *Et humiliabuntur sicut omnia*, quae scilicet in tempore crescunt, *et auferentur*, scilicet totaliter, quando ad summum pervenerint; et adhibet similitudinem subdens *et sicut summitates spicarum conterentur:* non enim conteruntur fruges quandiu sunt in herba et crescunt sed quando iam ad perfectam maturitatem pervenerint, et similiter impii non statim puniuntur a Deo sed quando ad summum pervenerint secundum

227 pro] per N β^1 Sv δ(-Pd) post Pd π 245 praeciditur] prescindetur F prescinditur F^2 R precidatur V^1 V^2 Va 250 comparatur] —retur F γ Va π 253 viduam] —as β^1 γ 261 potestate] in *praem.* γ(-Sv) δ(-Pd) 264 in se *om.* sF β^1 V^2 γ δ π 284 enim] eius F^2 *add. cum Vulg.* Sv π autem illius Va autem Pd *om.* R 286 ambulet *scripsi. cum* F^2 Sv Va] —lerit R —lent *cet.*

229 Hic supra. 236 conscientiae remorsum: cf. August. *XX De civ. Dei* cap. 22 (PL 41,694) quem refert Thomas *Super IV Sent.* d. 50 q. 2 a. 3 qc. 2 sed c. 237 Is. LXVI[24]. 246 Rectius Ioh. XV[2].

[25] Quod si non est ita, quis me potest arguere esse mentitum et ponere ante Deum verba mea?

mensuram a Deo praevisam. Hoc autem induxit ad ostendendum quod hoc, quod impii temporaliter non puniuntur sed prosperam vitam agunt, non contingit ex <defectu> divinae providentiae, sed ex hoc quod differt Deus poenam in congruum tempus; et sic patet falsum esse quod Eliphaz ei calumniose imposuerat de negatione providentiae divinae, unde subdit *Quod si non est ita*, sicut praedixi de punitione malorum, sicut vos opinamini credentes semper hominem in hac vita puniri pro peccatis, *quis me potest arguere esse mentitum*, quasi scilicet divinam providentiam negem, *et ponere ante Deum verba mea*, idest verba mea in accusationem vertere coram Deo ac si sint contra eius providentiam dicta?

303 autem] ad hoc *add. codd.* (-F² As π), *quod coniecimus primam redactionem casu non cancellatam et delevimus* 306 <defectu> *suppl. cum* γ δ(-Pd)] *om.* F N F² pV² *post* providentiae V¹ *post* divinae Pd π dispositione *post* providentiae sV² 314 Deum] dicuntur pN β¹

CAPITULUM XXV

[1] Respondens autem Baldath Suites dixit: [2] Potestas et terror apud eum est qui facit concordiam in sublimibus suis. [3] Numquid est numerus militum eius? Et super quem non surgit lumen eius? [4] Numquid iustificari potest homo comparatus Deo? Aut apparet mundus natus de muliere?

Respondens autem Baldath Suites dixit: Potestas et terror etc. Iob in sua responsione duas calumnias quas ei Eliphaz iniecerat in praecedenti sua responsione iam repulit, ostendens se neque pro peccatis punitum neque divinae providentiae negatorem. Ostenderat autem valde expresse quod divinae providentiae non repugnabat si impii in hoc mundo prosperantur, quia reservatur eorum poena in aliud tempus, et ideo contra hoc ulterius insistere non potuerunt; sed alterum, scilicet quod non fuerit pro peccatis punitus, non tam evidenter ostenderat quin potius debilitatem suae ostensionis significavit cum dixit «Nemo advertere potest cogitationes eius», et ideo contra hoc ulterius Baldath resistere nititur, redarguens Iob quod se asserebat non pro peccatis suis punitum.

Et quasi immemor verborum Iob quibus dixerat non sibi sufficere si contra eum ex Dei fortitudine contendatur, a divina potestate disputationis suae sumit exordium, et proponit magnitudinem divinae potestatis dupliciter: primo quidem quantum ad hoc quod potentiam exercet in superiores creaturas in summa pace eas conservans, unde dicit *Potestas et terror*, idest ex qua timeri debet, *apud eum est*, scilicet Deum, *qui facit concordiam in sublimibus suis*. In inferioribus enim creaturis discordia multiplex invenitur tam in creaturis rationalibus, ut patet per contrarios motus humanarum voluntatum, quam in creaturis corporalibus, ut ex earum contrarietate apparet per quam generationi et corruptioni subduntur; sed in superioribus corporibus nulla contrarietas reperitur, unde et incorruptibilia sunt: similiter etiam et superiores intellectuales substantiae in summa concordia vivunt, unde absque miseria sunt. Haec autem summa concordia superiorum creaturarum ex potestate divina procedit, quae superiores creaturas in perfectiori suae unitatis participatione constituit quasi sibi propinquiores, et ideo signanter dicit *in sublimioribus suis*, idest sibi magis conformibus.

Secundo commendat divinam potestatem ex his quae operatur in inferioribus creaturis, in quibus operatur per ministerium superiorum creaturarum, quarum multitudo homini est ignota, unde subdit *Numquid est numerus militum eius?* Milites quidem Dei vocat omnes caelestes virtutes quae divinum nutum sequuntur sicut milites oboediunt imperio ducis; harum autem caelestium virtutum numerus ignotus est homini, et simile est quod habetur Is. XL[26] «Qui educit in numero militiam eorum». Et ne aliquis crederet quod caelestes virtutes non se haberent sicut milites parentes alieno imperio sed sicut duces et principes ex suo arbitrio cuncta agentes, sicut aestimaverunt multorum deorum cultores, subiungit *Et super quem non surgit lumen eius?*, quasi dicat: omnes caelestes virtutes per illuminationem divinam diriguntur sicut homines per hoc quod super eos surgit lux solis.

Proposita ergo potestate divina, accedit ad propositum dicens *Numquid iustificari potest homo comparatus Deo?*, quasi dicat: ex quo Deus tam magnus est et in iustitia praecellens ut etiam in sublimibus concordiam faciat, quae est iustitiae effectus secundum illud Is. XXXIII «Opus iustitiae pax», omnis iustitia hominis divinae iustitiae comparata quasi nihil reputatur. Nec solum homo Deo comparatus non potest iustus videri, sed quod plus est ei comparatus apparet iniustus, sicut in comparatione ad res pulcerrimas res quae parum pulcritudinis habent videntur immundae, unde subdit *Aut appa-*

28 in] etiam F N β^1 V^2 etiam in Va 39 sublimioribus] —mibus *cum Vulg.* (*cf. supra lin.* 25) F^2 γ R π —mitatibus Pd 48 numerus] *om.* pN V^2 *post* homini V^1 γ *post* est F^2 δ^1 π 70 apparet] —rere *cum Vulg.* γ(-F^2) δ(-R) π —res F^2

3 iniecerat: cap. XXII[4,12]. 13 Cap. XXIII[13]. 17 dixerat: cap. XXIII[6]. 32 incorruptibilia: cf. Arist. *I De caelo* 6 (270 a 12). 43 per ministerium...: cf. August. ut supra cap. 9 363. 54 deorum cultores: Platonici sec. August. *XVIII De civ. Dei* cap. 14 (PL 41,572) ut refert Thomas *II-II* q. 94 a. 1. 64 Rectius Is. XXXII[17].

[5] Ecce etiam luna non splendet et stellae non sunt mundae in conspectu eius, [6] quanto magis homo putredo et filius hominis vermis.

ret mundus natus de muliere?, quod signanter dicit quia ex hoc ipso quod homo de muliere per concupiscentiam carnis nascitur maculam contrahit.

Hoc autem quod dixerat consequenter per simile confirmat cum subdit *Ecce etiam luna non splendet et stellae non sunt mundae in conspectu eius;* ubi considerandum est quod de sole mentionem non facit quia non apparet sensibiliter quod ad praesentiam maioris luminis lumen eius obtenebretur, sed luna et stellae etiam ad praesentiam corporalis solis obfuscantur, unde multo magis earum claritas quasi obscuritas quaedam est immensitati divini luminis comparata. Et ex hoc concludit propositum subdens *quanto magis homo putredo et filius hominis vermis*, scilicet non potest reputari splendens splendore iustitiae si divinae iustitiae comparetur, neque mundus per innocentiam si comparetur puritati divinae; signanter autem hominem putredini comparat quasi ex materia existentem putrefactioni vicina, et filium hominis vermi quia vermis ex putredine generatur. Hoc autem inducit ad ostendendum quod homo non potest quantamcumque iustitiam et innocentiam suam proponere, quasi nihil reputatam in comparatione ad Deum, cum agitur de divino iudicio.

88 hominem] —ni F pN β^1 V^2 γ(-F^2) — nes Pd π putredini] —nem F pN F^2 V^2 As puloritudinem Sv 89 existentem] —te β^1 δ^1 —tes π extrahentem Sv 89 vicina] —nam F N V^1 V^2 γ R

72 ex hoc...contrahit: cf. August. *I De nupt. et conc.* cap. 24 (PL 42,429) ut refert Thomas *II-II* q. 153 a. 2 arg. 3. 90 vermis...generatur: cf. Gregor *XVII Moral.* cap. 17 (PL 76,23 A); vide supra cap. 17 194.

CAPITULUM XXVI

1 Respondens autem Iob dixit: 2 Cuius adiutor es? Numquid imbecillis? Et sustentas brachium eius qui non est fortis? 3 Cui dedisti consilium? Forsitan illi qui non habet sapientiam? Et prudentiam tuam ostendisti plurimam? 4 Quem docere voluisti? Nonne eum qui fecit spiramentum? 5 Ecce gigantes gemunt sub aquis et qui habitant cum eis.

Respondens autem Iob <dixit>: Cuius adiutor es etc. Baldath in verbis praemissis Iob convincere voluit ex consideratione divinae potestatis omnibus tremendae, respectu cuius nullus homo potest iustitiam aut innocentiam praetendere ut se asserat absque peccato punitum; unde Iob triplicem responsionem subiungit, quarum prima specialiter est contra Baldath qui Iob terrere conatus fuerat ex consideratione divinae potestatis. Solent autem homines non ratione contra aliquem condemnatum utentes, sed iudicis potentiam et sapientiam allegantes, hoc facere in iudicis favorem. Adhibetur autem favor alicui personae dupliciter: uno modo propter defectum potentiae illius cui favetur, alio modo propter defectum sapientiae; quantum ergo ad primum dicit *Cuius adiutor es? Numquid imbecillis?*, quasi dicat: haec quae locutus es non secundum viam rationis sed quasi in Dei favorem, numquid ad hoc dixisti ut Deo ferres auxilium quasi infirmo? Adiuvare autem videtur aliquem qui eius operationem defendit, unde subdit *Et sustentas brachium eius qui non est fortis?*, quasi dicat: numquid vis tu his verbis defendere Dei operationem qua punitus sum ab eo, ac si ipse non esset fortis ad se defendendum?

Deinde quantum ad favorem qui alicui adhibetur propter defectum sapientiae, considerandum est quod hic favor est duplex: unus quidem ex hoc quod consilium datur alicui circa res agendas, et quantum ad hoc dicit *Cui dedisti consilium?* Videtur aliquis alicui consilium dare quando eius causam sine ratione defendit; non autem consilio indiget Deus, qui est in sapientia perfectus, unde subdit *Forsitan illi qui non habet sapientiam?*, quasi dicat: numquid dubitas Deum sapientiam non habere ut tam stulte pro eo loquaris? Qui autem sapienti consilium dat videtur hoc facere ad sapientiam ostendendam, unde subdit *Et prudentiam tuam ostendisti plurimam?*, quasi dicat: numquid per hoc voluisti tuae prudentiae abundantiam ostentare?

Alius autem modus favoris contra defectum sapientiae est ut quis instruat ignorantem circa scibilia, et quantum ad hoc subdit *Quem docere voluisti?* Visus es enim Deum docere dum eius potentiam contra me allegasti, sed ipse doceri non indiget qui est totius humanae scientiae causa, unde subdit *Nonne eum qui fecit spiramentum*, idest qui creavit humanam animam per quam homo et intelligit et spirat? Una enim et eadem anima est quae per intellectum scientiam percipit et per alias vires corpus vivificat.

Deinde ne videatur in aliquo potentiae Dei derogare, commendat ipsam multo diffusius quam Baldath enumerans multos effectus divinae potentiae, et incipit ab his quae potenter fecit in genere humano circa diluvium. Legitur enim Gen. VI[4] quod «gigantes erant super terram in diebus illis», et postea subditur «Cumque vidisset Deus terram esse corruptam, omnis quippe caro corruperat viam suam super terram, dixit ad Noe: Finis universae carnis venit coram me», et postea subdit «Ecce ego adducam aquas diluvii super terram et interficiam omnem carnem». Hunc ergo effectum divinae potentiae ostendit subdens *Ecce gigantes*, scilicet antiqui, *gemunt*, scilicet in poenis inferni, *sub aquis*, idest qui fuerunt submersi aquis diluvii; et quia non soli ipsi perierunt sed multi alii cum eis et tunc et postea, subiungit *et qui habitant cum eis*, scilicet similiter gemunt, scilicet a virtute potestatis ipsius.

1 <dixit> *suppl. cum* F^2 γ δ π] *om. cet.* 28 circa] contra β^1 V^2 R ad Sv 29 Videtur] autem *add.* F Va enim *add.* Sv 47 et *om.* β^1 γ R π 56 illis] *om.* F N noe V^1 Va (*def.* F^2) 60 coram] super pN V^2 ad V^1 *del.* sN 68 scilicet *om.* F As δ π

7 prima: cf. infra cap. 27 8 'iterato sermonem assumit', cap. 29 19 'iterato sermonem resumpsit'. 48 eadem anima...: cf. Gennadius *De eccles. dogm.* cap. 15 (PL 58,984) ut saepius refert Thomas e. g. *II Cont. gent.* cap. 58. 57 Gen. VI[12]. 60 Gen. VI[17].

6 Nudus est infernus coram illo, et nullum est operimentum perditioni. 7 Qui extendit aquilonem super vacuum et appendit terram super nihilum. 8 Qui ligat aquas in nubibus suis ut non erumpant pariter deorsum. 9 Qui tenet vultum solii sui et expandit super illud nebulam suam. 10 Terminum circumdedit aquis usque dum finiantur lux et tenebrae.

Et ne aliquis crederet quod divina providentia se extenderet solum ad iudicandos homines in hac vita, non autem post mortem, sicut amici Iob sentire videbantur, ad hoc excludendum subdit *Nudus est infernus coram illo*, quasi dicat: ea quae in inferno aguntur conspicua sunt oculis eius et secundum eius iudicium aguntur; unde ad huius expositionem subdit *et nullum est operimentum perditioni*, idest his qui sunt perditi in inferno, ut possint ab oculis Dei occultari sicut occultantur a nobis.

Deinde enumerat effectus divinae providentiae in rebus naturalibus, et incipit ab extremis, scilicet a caelo et a terra, in quorum utroque aliquid apparet ex divina potentia institutum quod humanas vires excedit. Secundum autem id quod sensibiliter apparet, videtur caelum extensum esse super terram sicut quoddam tabernaculum, terram autem esse sub caelo sicut tabernaculi pavimentum; quicumque autem tabernaculum erigit, aliquid supponit quo tabernaculum sustentatur, sed hoc in caelo non apparet: non enim videtur aliquid caelum sustentans nisi virtus divina, unde dicit *Qui extendit aquilonem super vacuum*. Per aquilonem intelligit superius hemisphaerium quoad nos: nobis enim aquilonaris polus supra horizontem elevatur, australis vero sub horizonte deprimitur, unde dicit aquilonem extendi *super vacuum*, quia sub superiori hemisphaerio caeli nihil nobis apparet nisi spatium aere plenum, quod vulgares homines reputant vacuum: loquitur enim secundum aestimationem vulgarium hominum, prout est moris in sacra Scriptura. Similiter etiam qui pavimentum iacit super aliquid ipsum firmat; terra autem quae est quasi caeli fundamentum non apparet super aliquid firmata quod eam possit sustentare, sed sola Dei potentia sustinetur, unde subdit *et appendit terram super nihilum*. Haec autem non ita dicuntur quasi caelum sit ponderosum ut indigeat sustentamento ne cadat, aut terra possit descendere nisi usque ad centrum, sed ipsas naturales virtutes quibus corpora in suis locis naturaliter continentur ex divina potestate processisse significat: sicut enim motus violentus est a potestate humana, ita inclinatio naturalis est ex virtute divina quae est naturae principium.

Deinde enumerat effectus divinae potentiae in spatio medio quod est inter caelum et terram, et primo in aere, in quo hoc admirabile videtur quod aqua in aere suspenditur vaporabiliter elevata, et non tota simul cadit sed guttatim ut apparet in pluviis, unde dicit *Qui ligat aquas in nubibus suis*, idest eius virtute causatis, *ut non erumpant*, scilicet aquae pluviarum, *pariter deorsum* sed guttatim secundum quod expedit ad temperiem terrae, quasi divina virtute illud quod remanet in nubibus esse ligatum ut non a principio cadat: fit enim divina virtute ut vapores non simul condensentur ut oporteat eos simul in aquam conversos pariter cadere. Pluviis autem ex nubibus deorsum cadentibus, remanent quaedam vaporum reliquiae ex quibus nebulae generantur, per quas nobis tegitur caelum quod est quasi solium Dei, secundum illud Is. ult. «Caelum mihi sedes est», et quantum ad hoc subdit *Qui tenet vultum solii sui*, idest qui detinet quasi occultatam faciem caeli quod est solium eius, et hoc per nebulas quibus prohibemur caelum videre, unde subdit *et expandit super illud nebulam suam*, idest eius virtute productam.

Deinde ostendit effectum divinae potentiae in aquis cum subdit *Terminum circumdedit aquis:* aquae enim secundum naturalem elementorum ordinem undique terram operire deberent, sed quod aliqua pars terrae remanet discooperta ab aquis, hoc factum est divina virtute, quae usque ad certum terminum terram fecit operiri ab aquis; et hoc praecipue videtur ad oceanum pertinere qui undique terram circumdat, et propter hoc subdit *usque dum finiantur lux et tenebrae:* finitur enim nobis lux diei et tenebra noctis sole accedente vel discedente ab hemisphaerio superiori quod superponitur nostrae habitabili, quae quasi undique oceano concluditur; vel potest intel-

81 a^2 *om.* N β^1 V^2 γ Va 99 moris] mos N F^2 Va mox V^1 V^2 *ante* est As Pd π moras *ante* est R 116 suspenditur] —datur N β^1 V^2 δ π 119 causatis] creatis F^2 γ δ π 122 esse] esset F^2 sAs F^2 δ^1 π sit Va 124 oporteat] —tet N V^1 V^2 *om.* R 145 tenebra] —bre F F^2 π —bras V^2 147 nostrae] terre *in ras.* sN ratione V^1 nostro V^2

72 videbantur: cf. supra cap. 10 429 nota. 93 aquilonaris polus...: cf. supra cap. 9 253 nota. 97 vacuum: cf. Arist. *IV Phys.* 9 (213 a 27). 127 nebulae: cf. Arist. *I Meteora* 14 (346 b 32). 129 Is. LXVI[1]. 138 naturalem...ordinem: cf. supra cap. 5 208 nota. 141 divina virtute: cf. Gen. 1[9], Ier. V[22] et infra cap. XXXVIII[10] ut refert Thomas *I Pars* q. 69 a. 1 ad 4. 143 oceanum; cf. Isid. *XIII Etymol.* cap. 15 (PL 82,484 A).

[11] Columnae caeli contremiscunt et pavent ad nutum eius. [12] In fortitudine illius repente maria congregata sunt, et prudentia eius percussit superbum. [13] Spiritus eius ornavit caelos, et obstetricante manu eius eductus est coluber tortuosus. [14] Ecce haec ex parte sunt dicta viarum eius, et cum vix parvam stillam sermonum eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?

ligi quod terminus aquarum intransmutabilis permanebit, manente hoc statu mundi in quo est successio lucis et tenebrarum.

Sic igitur enumeratis effectibus divinae potentiae in corporalibus creaturis, ostendit eius effectum in creaturis spiritualibus quas vocat columnas caeli, quia scilicet eorum officio administratur motus caelorum, unde dicit *Columnae caeli*, scilicet angeli, *contremiscunt et pavent ad nutum eius*, idest oboediunt ei ad nutum, et loquitur ad similitudinem servi ad nutum oboedientis domino propter timorem et tremorem ipsius, ut timor referatur ad animam, tremor ad corpus. Non est autem putandum quod in sanctis angelis sit timor poenalis, sed eorum reverentia ad Deum hic timor nominatur, et sic pavor refertur ad affectum, tremor autem ad exteriorem effectum.

Et quia in angelis aliqui sunt qui a debita Dei reverentia discesserunt, de quibus supra IV[18] dictum est «In angelis suis reperit pravitatem», ideo consequenter de distinctione bonorum et malorum angelorum subiungit. Creditur autem simul cum distinctione creaturae corporalis etiam creaturae spiritualis distinctionem fuisse, et ideo ad insinuandam distinctionem creaturae spiritualis praemittit de creatura corporali dicens *In fortitudine illius repente maria congregata sunt*, secundum illud Gen. I[9] «Congregentur aquae quae sunt super terram in locum unum, et appareat arida». Et sicut creaturae corporales sunt distinctae divina virtute ita etiam creaturae spirituales, unde subdit *et prudentia eius percussit superbum*, idest per virtutem providentiae ipsius diabolus superbiens est sua gloria privatus; et simul eo percusso bonis angelis sunt spiritualia dona augmentata, unde subdit *Spiritus eius ornavit caelos*, idest caelestes spiritus, ornamentis scilicet spiritualium donorum. Non erat autem conveniens ut percussus per privationem gloriae cum ornatis per Spiritum sanctum remaneret, et ideo subdit *et obstetricante manu eius eductus est*, scilicet a societate bonorum angelorum, *coluber tortuosus*, idest diabolus, qui colubro comparatur propter malignitatis venenum et tortuosus dicitur propter calliditatem; signanter autem dicit eum eductum obstetricante manu Dei: sicut enim obstetrix sic educit infantem quandoque mortuum ut mater non laedatur, ita Deus sic eduxit diabolum de medio angelorum ut bonorum angelorum societas in nullo detrimentum sit passa.

Et ne aliquis crederet hos effectus licet sint magni divinam potentiam adaequare, subdit *Ecce haec ex parte sunt dicta viarum eius*, idest operum eius quibus et nos in Dei cognitionem ascendimus et Deus nobis se quodammodo communicat. Et ne videantur haec etsi non totam divinam potentiam adaequare tamen ex magna parte ad eius aequalitatem accedere, subiungit *et cum vix parvam stillam sermonum eius audierimus, quis poterit magnitudinem tonitrui eius intueri?*, quasi dicat: omnium quae nunc dicta sunt de effectibus divinae potentiae, minor est comparatio ad divinam potentiam quam unius parvi sermonis quasi silenter stillantis ad maximum tonitrui sonum.

163 hic] illud F id N V[2] que F[2] *om.* V[1] Va et] ut et F[2] γ(-Sv) ut V[2] Sv δ π 164 refertur] —ratur F[2] γ δ π 164 affectum] effectum N γ δ[1] (*def.* V[1]) 180 providentiae] prudentie V[2] δ π 181 est] de N R ex pPd *om.* β[1] Va sPd π 181 privatus] —tur F[2] est *add.* δ 193 sic] *om.* pF Sv δ(-R) π cum F[2] 204 vix parvam stillam *scrips. cum Vulg.* sAs Sv Va (*cf. Praef.* § 61)] disparvant partem F N V[2] disp. partem F[2] vix parvulam stillam V[1] vix par. partem γ(-Sv) iuxta partem parvam R idest partem *add.* Pd π 205 magnitudinem tonitrui] tonitruum Sv magne tonitrui R tonitruum magnitudinis *Vulg. et ipse Thomas infra cap.* 40 67

155 eorum officio: cf. ipse Thomas post philosophos et sacros doctores, *Resp.* 36 *quaest.* q. 1-4, *Resp.* 42 *quaest.* q. 3-5 et passim. 156 scilicet angeli: ita *Glossa ordin.* super h. l. 160 timor...corpus: cf. *Glossa interlin.* super Ps. LIV[6] et *Glossa* Petri Lomb. ibid. (PL 191,508 A). 161 Non est autem putandum...: cf. Gregor *XVII Moral.* cap. 29 (PL 76,31). 170 Creditur...: cf. Hugo de S. Victore *I De sacram.* pars 1 c. 10 (PL 176,194 D). 189 diabolus...calliditatem: cf. Gregor. *XVIII Moral.* cap. 32 (PL 76,35 C). 199 operum eius: cf. *Glossa ordin.* super Prov. VIII[22]; vide supra cap. 11 107 et infra cap. 36 250.

CAPITULUM XXVII

[1] Addidit quoque Iob assumens parabolam suam et ait: [2] Vivit Deus qui abstulit iudicium meum, et Omnipotens qui ad amaritudinem duxit animam meam. [3] Quia donec superest halitus in me et spiritus Dei in naribus meis, [4] non loquentur labia iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium. [5] Absit a me ut iustos vos iudicem; donec deficiam non recedam ab innocentia mea. [6] Iustificationem meam quam coepi tenere non deseram,

Addidit quoque Iob assumens parabolam etc. In praemissis verbis Iob confutaverat dicta Baldath qui contra eum divinam potestatem allegaverat, quasi Iob eius magnitudinem ignoraret; finita autem sua responsione, intelligitur expectasse ut tertius amicorum, scilicet Sophar, more solito suo ordine responderet, sed quia ille quasi convictus conticuit, Iob iterato sermonem assumit et per aliam rationem ostendit non esse contra divinam providentiam si mali in hoc mundo prosperantur et boni adversitates patiuntur; unde dicitur *Addidit quoque Iob*, postquam scilicet ei nullus respondebat, *assumens parabolam suam*, quia scilicet per similitudines loquebatur ad modum parabolas inducentium.

Ante autem quam propositum ostendat, se in amicorum sententiam numquam transiturum esse denuntiat, et ad huius firmitatem iuramentum praemittit, unde subditur *et ait: Vivit Deus qui abstulit iudicium meum*, supposita scilicet vestra sententia qua asseritis ad iustitiam divini iudicii pertinere ut adversitates praesentes non nisi peccatoribus inducat; et ideo ad exponendum in quo iudicium suum <ablatum> dixerit, subdit *et Omnipotens qui ad amaritudinem duxit animam meam*, idest qui absque culpa praecedente mihi adversitates exteriores induxit ex quibus amaritudinem in anima patior: nec tamen ab eius reverentia et amore discedo, <ut> patet ex hoc quod per ipsum iuro.

Inducit autem praedictum iuramentum ad hoc quod subditur *Quia donec superest halitus in me*, idest donec habebo vitam quae per respirationem conservatur; et ut ostendat se vitae beneficium a Deo recognoscere, subdit *et spiritus Dei in naribus meis:* respiratio enim praecipue fit per nares, nam respiratio quae fit per os non est adeo congrua, ut Aristotiles dicit in libro De historiis animalium; respiratio ergo hominis, quae principaliter in naribus posita est, hic *spiritus Dei* dicitur quia hoc habet homo a Deo ut vivere possit respirando Et huic beneficio ipse non vult esse ingratus peccando, unde subdit *non loquentur labia iniquitatem*, ut scilicet dicam omnes qui adversitates patiuntur esse iniquos, *nec lingua mea meditabitur mendacium*, ut scilicet dicam hoc pertinere ad divinam iustitiam ut iustorum merita praesenti prosperitate remuneret et iniquorum peccata temporali adversitate condemnet. Et quia amici Iob ista asserebant subiungit *Absit a me ut iustos vos iudicem:* non enim poterat eos iustos iudicare nisi eorum iniustam sententiam approbaret, per quod a iustitia sua recederet, unde subdit *donec deficiam*, scilicet per mortem, *non recedam*, idest propono non recedere *ab innocentia mea*, a qua scilicet recederem si sanctos adversitatem in hoc mundo patientes vobiscum impios iudicarem; et sicut ab innocentia ad nocendum transgredi non propono, ita nec iustitiae viam deserere, unde subdit *Iustificationem meam*, quod scilicet pertinet ad iustitiae executionem, *quam coepi tenere*, scilicet non approbando hominem pro prosperitate quam habet nec condemnando pro adversitate quam patitur in hac vita, *non deseram*, scilicet declinando in vestram sententiam. Solent autem qui semel peccaverunt proniores esse ad iterato peccandum, qui vero peccatorum sunt inexperti difficilius ad peccata

15 autem *om.* V^9 δ π 23 <ablatum> *suppl. cum* sAs (*cf. ipse Thomas infra cap.* 34 39)] *om. cet.* dixerit] abstulerit π 24 duxit] adduxit *cum Vulg.* sAs Pd *om.* F^2 induxit Sv perduxit π 27 <ut> *suppl. cum* γ $δ^1$ π] quod sN *om. cet.* 31 habebo] habeo $β^1$ As δ π 37 respiratio] —tionem F pN V^1 V^2 γ(-Sv) 39 vivere...respirando *scripsi.*] vivendo... respirare *codd.* 41 loquentur] —antur F γ(-F^2) —untur R 48 vos] esse *add.* (*praem.* Va) $β^1$ V^2 γ δ π 57 quod] que $β^1$ $δ^1$ π 59 pro] *om.* N F^2 V^2 $δ^1$ π per V^1 prosperitate] —tem F $β^1$ Pd π

31 per respirationem: cf. Arist. *De respir.* cap. 5 (472 b 27). 36 Cf. lib. I c. 11 (492 b 10) sec. transl. Scoti (ms. f. 4ra); vide Albertum *I De animal.* tr. 2 c. 8 n. 220 (St 1,79). 58 iustitiae executionem: cf. Ambrosius *Expos. in Ps.* CXVIII^{26} (PL 15,1396 C).

neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. [7] Sicut impius inimicus meus, adversarius meus quasi iniquus. [8] Quae est enim spes hypocritae si avare rapiat et non liberet Deus animam eius? [9] Numquid Deus audiet clamorem illius cum venerit super illum angustia? [10] Aut poterit in Omnipotente delectari et invocare Deum omni tempore? [11] Docebo vos per manum Dei quae Omnipotens habeat, nec abscondam. [12] Ecce omnes nostis, et quid sine causa vana loquimini?

prolabuntur, unde subdit *neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea*, quasi dicat: ideo confido quod non recedam ab innocentia nec iustitiam deseram quia hoc per experientiam didici: non enim habeo conscientiam remordentem de aliquo gravi quod commiserim in tota vita mea. Vel aliter potest continuari: quia enim dixerat se non recessurum ab innocentia sua nec iustificationem quam tenere coeperat deserturum, posset aliquis dicere quod ipse ante hoc neque innocentiam neque iustitiam habuerat, sed ipse hoc excludit subdens *nec enim reprehendit me cor meum* etc. Declinarem autem ab innocentia et desererem iustitiam si vobis faverem qui iniustitiam et impietatem sustinetis, unde subdit *Sicut impius inimicus meus*, inquantum scilicet contra veritatem divini iudicii loquitur, *adversarius meus quasi iniquus*, inquantum scilicet iniquam sententiam profert mihi adversando, dum dicit me impium esse quia graviter sum afflictus.

His igitur praemissis pertinentibus ad amicorum suorum confutationem et suae sententiae firmitatem, accedit ad principale propositum, ut scilicet ostendat non esse contrarium divinae providentiae si mali in hoc mundo temporaliter prosperentur et iusti temporaliter affligantur; et supra quidem hoc manifestaverat ex futuris praemiis et flagellis quae reservantur bonis et malis post hanc vitam, nunc autem hoc ostendit ex debilitate bonorum temporalium quae mali possident in hac vita et magnitudine bonorum spiritualium quae bonis conceduntur. Asserit ergo primo inutile esse peccatoribus si in hac vita bona temporalia consequantur absque animae bonis, unde dicit *Quae est enim spes hypocritae si avare rapiat*, idest si iniuste divitias congreget, *et non liberet Deus animam eius*, scilicet a peccato per gratiae dona, idest quid boni potest ex hoc <consequi>? Et loquitur de hypocrita, idest simulatore, loco omnium peccatorum quia «simulata aequitas est duplex iniquitas», et hypocritae tamquam falsarii virtutis videntur maxime esse abominabiles apud Deum, sicut infra XXXVI[13] dicitur «Simulatores et callidi provocant iram Dei».

Ostendit autem consequenter eos duplici spe privari, quarum una est quam habent iusti de Deo quod in tempore necessitatis eorum orationem exaudiat, sed hoc ab impiis excludit dicens *Numquid Deus audiet clamorem illius cum venerit super illum angustia?*, quasi dicat 'non'; et ratio huius assignatur Prov. I[24] ex ore Sapientiae dicentis «Vocavi et renuistis», et post pauca subditur «Tunc», scilicet quando veniet super eos angustia, «invocabunt me et non exaudiam»; et Prov. XXVIII[9] dicitur «Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio eius fiet execrabilis». Secunda autem spes iustorum est quod cum deficit eis temporalis consolatio in tempore tribulationis, fruuntur delectatione divina et delectantur in laude ipsius, sed hoc ab impiis excludit subdens *Aut poterit in Omnipotente delectari*, quem scilicet non diligere ex operibus comprobatur, *et invocare Deum omni tempore?:* ex magna enim dilectione Dei provenit quod semper sit in aliquorum ore laus Dei.

Et quia ostenderat parum valere bona temporalia quae impii possident sine spe iustorum quam sancti habent, ostendit consequenter temporalia bona quae interdum impii possident fragilia esse. Et ad assertionem eorum quae dicturus est duo praemittit: primo quidem quod ea quae dicturus est sapientiae divinae conveniunt, unde dicit *Docebo vos per manum Dei*, idest per virtutem ipsius, *quae Omnipotens habeat*, scilicet in sua sapientia quasi certum, *nec abscondam*, quae scilicet Deo instruente me didici. Secundo ostendit quod ea quae dicturus est tam sunt manifesta ut etiam ipsi ea ignorare non possint, unde subdit *Ecce omnes nostis*, scilicet vera esse quae dicturus sum, et ideo mirum est quod tam irrationabiliter contra veritatem manifestam loquimini; et hoc est quod subdit *et quid sine*

75 nec] neque β^1 γ δ 76 etc.] in omni vita mea γ δ(-R) π 100 potest] ponit Va 101 <consequi> *suppl. cum* γ(sequi Sv) δ^1 π] *om. cei.* 119 cum] non F N V^1 γ (*def.* F^2) 125 dilectione] delectatione N Sv δ π 139 omnes] nos *praem.* pN vos *cum Vulg. praem.* δ(-R) π

89 supra cap. XIX[25] et XXI[22]. 93 magnitudine bonorum spiritualium: infra cap. XXVIII. 101 idest simulatore: cf. supra cap. 13 235 nota. 102 *Glossa ordin.* super Col. II[23] et *Glossa* Petri Lomb. ibid. (PL 192,285) sec. Thomam *II-II* q. 111 a. 4 arg. 1; ex August. *Enarr. in Ps.* 63 (PL 36,765). 114 Prov. I[28].

[13] Haec est pars hominis impii apud Deum, et hereditas violentorum quam ab Omnipotente suscipient. [14] Si multiplicati fuerint filii eius, in gladio erunt, et nepotes eius non saturabuntur pane; [15] qui reliqui fuerint ex eo sepelientur in interitu, et viduae illius non plorabuntur. [16] Si comportaverit quasi terram argentum et sicut lutum praeparaverit vestimenta, [17] praeparavit quidem sed iustus vestietur illis et argentum innocens dividet. [18] Aedificavit sicut tinea domum suam, et sicut custos fecit umbraculum. [19] Dives cum dormierit nihil secum afferet,

causa vana loquimini, idest ea quae rationis fulcimentum non habent? Solent enim homines hebetes cum cognoscant praemissa non advertere quid ex eis sequatur.

Est autem considerandum quod cum Deus sit creator omnium et gubernator, omnes ab eo suscipiunt aliquid quasi hereditatem suam a patre: mali autem homines quasi suam partem et suam hereditatem a Deo accipiunt bona temporalia huius mundi, unde ex eorum persona dicitur «Haec est pars nostra et haec est sors», e contrario autem boni percipiunt quasi suam partem et hereditatem spiritualia bona, secundum illud Psalmi «Funes ceciderunt mihi in praeclaris, etenim hereditas mea praeclara est mihi». Describens ergo quam fragilis sit et caduca pars impiorum quam in rebus temporalibus accipiunt, dicit *Haec est pars hominis impii apud Deum*, idest tale est quod eis in sortem venit dum bonis spiritualia et eis temporalia distribuuntur, *et hereditas violentorum*, idest iniuste acquirentium temporalia bona, *quam ab Omnipotente suscipient*, eo scilicet permittente et facultatem praebente, sicut supra XXII[18] dictum est «Cum ille implesset domos eorum bonis». Ostendit autem hanc partem sive hereditatem esse caducam primo quidem quantum ad hoc quod plerumque circa impiorum prolem accidit, quae tamen inter temporalia bona potissimum reputatur; contingit autem quandoque quod impiorum filii qui in hoc mundo prosperati sunt occidunturtur, unde dicit *Si multiplicati fuerint filii eius*, quod scilicet ad magnam prosperitatem computabatur, *in gladio erunt*, idest occidentur. Et quamvis raro contingat quod divitum filii ad magnam paupertatem deveniant, tamen hoc circa nepotes et posteros frequenter contingit, unde subdit *et nepotes eius non saturabuntur pane*, scilicet propter inopiam. Quantum autem ad alios familiares eius subdit *qui reliqui fuerint ex eo*, scilicet domestici et amici, *sepelientur in interitu*, idest absque solemnitate quasi occisi, unde et quantum ad uxores subdit *et viduae illius non plorabuntur*, quod scilicet fieri solet in solemnibus sepulturis.

Sicut ergo fragilis est et caduca eorum felicitas quantum ad filios et amicos, ita etiam quantum ad divitias possessas, inter quas quaedam sunt divitiae artificiales, scilicet pecunia quae est adinventa quasi mensura commutationis rerum, ut Philosophus dicit, et quantum ad hoc subdit *Si comportaverit quasi terram argentum*, idest si tantam copiam pecuniae acquirat quanta habetur terrae. Aliae vero sunt divitiae naturales, quae scilicet hominum naturali necessitati subveniunt, sicut panis et vinum, vestimenta et alia huiusmodi, et quantum ad hoc subdit *et sicut lutum praeparaverit vestimenta*, ut scilicet tantam eorum copiam habeat quantam et luti; *praeparavit quidem*, idest habuit sollicitudinem et laborem in praeparando, alius tamen habebit fructum, et quandoque bonus qui circa hoc non sollicitatur, unde subdit *sed iustus vestietur illis*, scilicet vestimentis ad suam necessitatem, *et argentum innocens dividet*, idest distribuet et dabit pauperibus: non reservabit coacervatum, quod contra innocentiam esset.

Pertinet etiam ad prosperitatem terrenam spatiositas domorum, sed et hoc ostendit esse caducum propter duo: primo quidem quia quandoque sibi domum aedificat per violentiam in loco alieno a qua depellitur, unde subdit *Aedificavit sicut tinea domum suam*, quae scilicet corrodendo vestem alienam praeparat sibi locum, a quo excussa veste deicitur; alio modo quia etsi in solo proprio domum aedificet, non tamen est sibi datum ut diu illius possessionis curam et dominium habeat, sed ad modicum tempus, unde subdit *et sicut custos*, scilicet vineae, *fecit umbraculum*, quod scilicet deicitur finito tempore custodiae eius. Quomodo autem acquisita bona amittat, ostendit subdens *Dives cum dormierit*, idest cum mortuus fuerit, *nihil*, ex his

163 eo] *om.* pF eos sF pN V^1 V^2 γ(-Sv) R 194 vinum] et *add.* N γ δ π (*def.* V^2) 204 coacervatum] corvatum F coadunatum β^1 V^2 pPd coacervum Sv donatum Va 209 a qua] de quo δ^1 π 214 diu] sicut *add.* F^2 sit *add.* V^2 δ π 217 deicitur] destruitur γ δ^1 π dentur Va

152 Sap. II^9. 155 Ps. XV^6. 187-193 divitiae artificiales...naturales...: cf. Arist. *I Polit.* 7 (1257 a 5) sec. Thomam *II-II* q. 188 a. 7 ad 5. 189 *V Ethic.* 9 (1133 a 20) et *I Polit.* 7 (1257 a 35) ut refert Thomas *II-II* q. 78 a. 1.

aperiet oculos suos et nihil inveniet. [20] Apprehendet eum quasi aqua inopina, nocte opprimet eum tempestas. [21] Tollet eum ventus urens et auferet, et velut turbo rapiet eum de loco suo. [22] Emittet super eum, et non parcet; de manu eius fugiens fugiet. [23] Stringet super illum manus suas et sibilabit super illum intuens locum eius.

quae possidet, *secum afferet*, scilicet in aliam vitam; *aperiet oculos suos*, scilicet in resurrectione, *et nihil inveniet*, quia scilicet non revertetur ad temporalia bona possidenda; quandoque etiam in hac vita subito ea perdit ad modum quo pluvia subito homini supervenit, unde subdit *Apprehendet eum quasi aqua*, scilicet pluvialis, *inopina*, idest subito superveniet ei; et quamvis pluvia in die aliqualiter praevideri possit, in nocte tamen omnino subito praeoccupat hominem, unde subdit *nocte opprimet eum tempestas*, scilicet adversitatis, idest omnino ex improviso.

Ultimo autem ostendit fragilitatem mundanae prosperitatis quantum ad ipsam personam hominis, quae quandoque perit per aliquam febrem vel per aliquam persecutionem, et quantum ad hoc subdit *Tollet eum ventus urens*, idest occidet eum febris, *et auferet*, scilicet a societate viventium; et hoc fiet subito et ex improviso, unde sequitur *et velut turbo rapiet eum de loco suo*, idest violenter et absque mora. Quandoque vero <non> ab interiori infirmitate sed ab exteriori persecutore occiditur, unde subdit *Emittet*, scilicet Deus, aliquem persecutorem *super eum*, idest qui potentior eo sit, cui non possit resistere, *et non parcet*, ipse scilicet persecutor; unde ipse impius *de manu eius*, idest de potestate eius, *fugiens fugiet*, vel per mortem quia «postquam occiderit non habet amplius quid faciat». Eo autem mortuo, amicis eius remanet stupor et luctus, unde subdit *Stringet super illum manus suas*, quasi prae stupore, *et sibilabit super illum*, quasi compatiens ei, *intuens locum eius*, idest considerans eius pristinam dignitatem.

227 inopina *scripsi sec. expositionem Thomae*] inopia *cum Vulg. codd.* 237 occidet] — dit F pN V^1 V^2 241 <non> *cf. Praef.* § 67] *om.* F pN V^1 V^2 241 interiori] anteriori F N V^2 anteriorum V^1 250 illum] eum *cum Vulg.* F δ π

247 Luc. XII[4].

CAPITULUM XXVIII

[1] Habet argentum venarum suarum principia, et auro locus est in quo conflatur. [2] Ferrum de terra tollitur, et lapis solutus calore in aes vertitur. [3] Tempus posuit tenebris, et universorum finem ipse considerat. Lapidem quoque caliginis et umbram mortis

Habet argentum venarum suarum principia etc. Supra Iob ostenderat quam fragilis et caduca sit pars impiorum quam a Deo recipiunt, nunc autem ostendere intendit e contrario dignitatem spiritualis boni quod homines iusti a Deo percipiunt etiam in hoc mundo, quod quidem spirituale bonum sub sapientia comprehendit; et ideo intendit praeferre sapientiam omnibus corporalibus rebus et quantum ad originem et quantum ad pretiositatem. Et incipit primo ostendere quod omnia quae in rebus corporalibus pretiosa videntur habent in certis locis originem, et incipit a metallis quae apud homines pretiosa habentur. Est autem considerandum quod metalla generantur ex vaporibus humidis resolutis a terra per virtutem solis et aliarum stellarum et in terra retentis – unde et metalla ductilia et liquabilia sunt –, sicut e contrario lapides et alia huiusmodi quae non malleantur neque funduntur generantur ex sicca exhalatione infra terram retenta. Diversificantur autem metallorum species secundum maiorem vel minorem puritatem vaporis resoluti et secundum differentiam caloris digerentis, inter quae aurum videtur purissimum et post hoc argentum et sub hoc aes, infimum autem ferrum; et secundum maiorem vel minorem puritatem metalla ut plurimum habent diversas origines: quia ergo aurum est purissimum, invenitur ut plurimum generatum in sua puritate inter arenas fluminum propter multitudinem evaporationis et caliditatem arenae; argentum autem invenitur ut plurimum in quibusdam venis vel terrae vel etiam lapidum; aes autem invenitur ut incorporatum lapidibus; ferrum autem, quasi in terra faeculenta nondum perfectam digestionem habente ut sit perventum usque ad generationem lapidis. Enumerans ergo diversa metallorum loca dicit *Habet argentum venarum suarum principia*, scilicet in aliquibus determinatis locis, ex quibus tales vapores resolvuntur qui sunt apti ad generationem argenti: et sic dum immiscentur terrae vel lapidi praedicti vapores, efficiuntur ibi venae argenteae. Quantum autem ad aurum subdit *et auro locus est in quo conflatur*, quia scilicet ex multis arenis colliguntur quaedam granula auri quae in unum liquantur, quod quidem non fit in omni loco sed in aliquo determinato in quo concurrit debita proportio virtutis activae ad materiam proportionatam tali speciei. Deinde quantum ad ferrum subdit *Ferrum de terra tollitur*, quia scilicet in terra quasi indigesta invenitur. Deinde quantum ad aes dicit *et lapis*, cui scilicet vapor proportionatus naturae eius permiscetur, *solutus calore*, scilicet ignis vehementis, *in aes vertitur*, dum scilicet id quod est ibi de natura aeris per calorem ignis eliquatur.

Deinde prosequitur de aliis rebus quae habent determinatum tempus et locum ex dispositione divina, unde divinae cognitioni subiacent pleraque ipsorum quae ab hominibus sunt occulta. Occultantur autem a nobis et sol et multa alia per tenebras noctis, sed hoc fit per dispositionem divinam, unde dicit *Tempus posuit tenebris;* occultantur etiam quaedam a nobis per eorum corruptionem dum resolvuntur in sua principia quae Deo sunt nota nobis autem occulta, unde subdit *et universorum finem ipse considerat*, idest terminum resolutionis rerum. Inveniuntur etiam quaedam ab hominibus occulta propter locum invium, sicut quandoque sunt quidam montes inaccessibiles in quibus sunt quaedam invisa hominibus, et quantum ad hoc subdit *Lapidem quoque caliginis*, idest aliquam rupem alicuius excelsi montis quae quasi semper caligine nebularum obtegitur, *et umbram mortis*, idest aliquem locum umbrosum inter convalles montium

12 originem *scripsi. cum* sF δ π] — nes *cet.* 16 retentis *scripsi. cum* γ sVa] — torum *cet.* 51 eius] eris β¹ δ¹ π eri sVa

2 Supra: cap. XXVII¹³. 9 ad pretiositatem: infra vers. 15. 14-19 metalla...lapides...: cf. Arist. *III Meteora* cap. 6 (378 a 26); Albertus *III Meteora* tr. 5 et *III Mineral.* tr. 1 c. 2 et 5. 20-35 metallorum species: cf. Albertus *III Mineral.* tr. 1 c. 5 et 10.

[4] dividit torrens a populo peregrinante, et illos quos oblitus est pes egentis hominis et invios. [5] Terra de qua oriebatur panis in loco suo igni subversa est. [6] Locus sapphiri lapides eius, et glebae illius aurum. [7] Semitam ignoravit avis nec intuitus est oculus vulturis. [8] Non calcaverunt eam filii institorum, nec pertransibit per eam leaena. [9] Ad silicem extendit manum suam: subvertit a radicibus montes, [10] in petris rivos excidit. Et omne pretiosum vidit oculus eius, [11] profunda quoque fluviorum scrutatus est et abscondita produxit in lucem. [12] Sapientia vero ubi invenitur,

ad quem vitalis calor solis numquam pertingit, *dividit torrens a populo peregrinante:* solent enim in radicibus quorundam montium defluere immeabiles torrentes, ita quod ex una parte torrentis est via per quam peregrini transeunt et ad aliam partem ripae non patet accessus. Contingit autem quandoque quod in huiusmodi inaccessibilibus locis aliqui rari homines habitant, ad quos etiam pauperes qui omnia circueunt accedere non praesumunt propter accessus difficultatem, unde subdit *et* torrens dividit a populo peregrinante *illos* homines *quos* in locis inaccessibilibus habitantes *oblitus est pes egentis hominis*, ut scilicet ad eos non accedat, *et invios*, idest propter hoc quod ad eos via non patet.

Sunt etiam quaedam loca non propter situm sed propter aliqua accidentia inaccessibilia, puta quia per aliquam alterationem subvertuntur ut legitur Gen. XIX[24] de Sodoma et Gomorra, unde subdit *Terra de qua oriebatur panis in loco suo*, idest quasi in proprio et convenienti loco, *igni subversa est*, scilicet subversionis eius causa ex superabundantia caloris procedit; calore autem superabundante sequitur quod resolutiones tam siccae quam humidae ad magnam digestionem perveniant ut exinde generentur aliqua pretiosa, puta lapides vel metalla: unde quantum ad lapides pretiosos qui generantur ab exhalatione sicca subditur *Locus sapphiri lapides eius*, scilicet terrae subversae igni; quantum autem ad pretiosa metalla quae generantur ex evaporatione humida subdit *et glebae illius aurum*. Huiusmodi autem loca sic subversa propter corruptionem aeris ex abundantia sulphuris non solum homines vitant sed etiam animalia bruta; unde primo quantum ad aves de quibus minus videtur dicit *Semitam*, scilicet illius terrae, *ignoravit avis*, quia scilicet super eam volare non audet propter aeris corruptionem, nec etiam ei appropinquare, unde subdit *nec intuitus est*, scilicet eam, *oculus vulturis*, qui tamen valde a remotis solet videre; vel potest aliter exponi: terra illa *ignoravit*, idest non est experta, *semitam avis*, quia scilicet nec avis per eam transit, *nec intuitus est*, scilicet aliquis in terra illa, *oculos vulturis*. Deinde quantum ad homines dicit *Non calcaverunt eam filii institorum*, idest mercatorum qui tamen difficilia loca solent adire ad lucrandum. Deinde quantum ad quadrupedia subdit *nec pertransibit per eam leaena*, quae scilicet silvestria loca inhabitat.

Haec autem quamvis hominibus sint occulta, Deum tamen non latent qui et in montibus et in fluminibus suam virtutem exercet, unde subdit *Ad silicem*, idest ad montes lapidosos, *extendit manum*, idest potestatem *suam*. Et hoc in duobus effectibus manifestat: primo per hoc quod montes quandoque funditus diruuntur, et hoc est quod subdit *subvertit a radicibus montes;* secundum autem est quod «inter medium montium pertranseunt aquae», quasi divina virtute esset eis via excisa a Deo in petris, unde subdit *in petris rivos excidit*, idest meatus rivorum. Et sicut potentia sua se extendit ad omnia magnifica facienda, ita eius sapientia se extendit ad omnia pretiosa cognoscenda, unde subdit *Et omne pretiosum vidit oculus eius:* si enim ipse potest montes subvertere, si potest petras excidere et similem potestatem exercere in totam terram, consequens est quod pretiosa videat quae ibi latent quamvis oculus hominis ea videre non possit; et non solum ea quae latent in terris oculus eius videt, sed *profunda quoque fluviorum scrutatus est*, idest ea quae in profundis fluviorum latent ita perfecte cognoscit sicut <si> ea scrutaretur, et huius signum est quia *abscondita producit in lucem*, idest manifestationem hominum.

Sapientia vero ubi invenitur etc. Quia ostenderat omnia pretiosa quae in corporalibus inveniuntur determinatis locis contineri, quae si ignota sint hominibus sunt tamen cognita Deo, ad ostendendum eminentiam sapientiae primo inducit quod deter-

73 quem *scripsi. cum* sN F[a] Va] quas Sv que *cet.* 79 inaccessibilibus] accessibilibus pN V[1] V[a] accessibus R 83 illos] eos *cum Vulg.* Pd π 93 scilicet] quia *praem.* β[1] V[2] γ δ π 101 evaporatione] vaporatione N V[1] δ(-Pd) 110 tamen *om.* β[1] V[2] 119 scilicet] *om.* N δ π tamen β[1] V[2] 142 sicut] ac F <si> *suppl. cum* F δ[1] π] *om. cet.* scrutaretur] —taret N V[2] 143 producit] —xit *cum Vulg.* F Va

94-97 calore...metalla: vide supra lin. 14-19 nota. 127 Ps. CIII[10].

et quis est locus intelligentiae? [13] Nescit homo pretium eius. Nec invenitur in terra suaviter viventium; [14] abyssus dicit: Non est in me, et mare loquitur: Non est mecum. [15] Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius. [16] Non conferetur tinctis Indiae coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo et sapphiro. [17] Non adaequabitur ei aurum vel vitrum. Non commutabuntur pro ea vasa auri [18] excelsa et eminentia, nec commemorabuntur in comparatione eius.

minato loco non continetur, unde dicit *Sapientia vero ubi invenitur?*, quasi dicat: nullo corporeo loco concluditur quia non est aliquid corporale; ea vero quae sunt in corporibus pretiosa non solum ipsa sed etiam eorum principia locis corporalibus concluduntur, sed hoc de sapientia dici non potest, unde subdit *et quis est locus intelligentiae?:* intellectus enim est principium scientiae et sapientiae; sicut autem sapientia non concluditur loco, ita etiam nec intelligentia quae est principium eius. Secundo ostendit dignitatem sapientiae eo quod pretio aestimari non potest, unde subdit *Nescit homo pretium eius*, idest nihil quod homo cognoscat est sufficiens sapientiae pretium.

Utrumque autem praemissorum per consequentiam manifestat, et primo quidem quod dixerat sapientiam in loco determinato non inveniri. Inveniuntur autem quae apud homines pretiosa reputantur, partim quidem apud homines deliciosos qui pretiosa lapidum et metallorum congregare nituntur, unde subdit *Nec invenitur in terra suaviter viventium*, idest deliciosorum, quia ipsi maxime a sapientiae perceptione impediuntur cor habentes deliciis occupatum. Partim autem inveniuntur huiusmodi pretiosa corporalium in aliquibus profunditatibus obscuris, sed non est ita de sapientia, unde subdit *abyssus dicit: Non est in me*, quasi scilicet ea quae in absconditis profundorum latent maxime sunt sapientiae humanae abscondita. Partim autem inveniuntur in mari, tum quia ibi generantur, sicut margaritae in conchis marinis, sive quia ibi depereunt in navibus ibi submersis, sed non est ita de sapientia, tum etiam quia per mare solent huiusmodi pretiosa deferri de loco ad locum, unde subdit *et mare loquitur: Non est mecum*, quin immo ea quae sunt in mari maxime latent sapientiam humanam.

Deinde manifestat id quod dixerat de hoc quod sapientia pretio aestimari non potest, et enumerat quae sunt apud homines pretiosissima, dicens *Non dabitur aurum obrizum*, idest purissimum, *pro ea*, quia nullo auro potest pretium sapientiae aestimari; post aurum autem inter cetera pretiosius reputatur argentum, de quo subdit *nec appendetur argentum in commutatione eius*. Sunt etiam praeter metalla quidam pretiosissimi lapides diversorum colorum qui maxime nutriuntur in India, de quibus subditur *Non conferetur*, idest non comparabitur sapientia, *tinctis Indiae coloribus*, idest lapidibus pretiosis diversis coloribus naturaliter in India tinctis. Et subiungit de quibusdam pretiosis lapidibus qui etiam in aliis terris inveniuntur, unde subdit *nec lapidi sardonycho pretiosissimo*, qui scilicet «est compositus ex duobus lapidibus», scilicet ex sardio, qui est rubei coloris «accendens animum ad gaudium et acuens ingenium», et onychino, qui ab eo ligatur quasi habens quasdam noxias virtutes, scilicet «excitandi tristitias et timores», cuius nocumentum refrenatur per sardium: unde proprietatem habere dicitur quod «luxuriam depellit, hominem castum et pudicum reddens», unde et pretiosissimus nominatur; subdit autem *et sapphiro*, qui est caelestis coloris, qui etiam pretiosus est propter multas virtutes quas habet; nec refert quod aliqui alii lapides pretiosiores sunt, quia pretia lapidum non sunt eadem nec in omnibus locis nec in omnibus temporibus. Subdit autem de his quae habent pretiositatem ex pulcritudine dicens *Non adaequabitur ei aurum*, quod habet pulcritudinem ex splendore, *vel vitrum*, quod habet pulcritudinem ex perspicuitate quamvis non sit praecellens pretii aestimatione. Subdit autem de his quae habent pulcritudinem ex artificio cum dicit *Non commutabuntur pro ea vasa auri excelsa*, scilicet quantitate, *et eminentia*, scilicet in compositione. Et sicut non possunt pro sapientia commutari, ita etiam omnia praedicta nihil reputantur in comparatione ad sapientiam, unde subdit *nec commemorabuntur in comparatione eius*, idest non est dignum quod etiam memoria de his habeatur cum fit de excellentia sapientiae mentio.

Et quia dixerat quaedam corporalia esse occulta

170 invenitur] —nietur N β^1 V^2 Va 177 sunt] *in ras.* sF autem N V^1 V^2 Va 204 onychino] cilichinum F N olichinum V^2 γ(-Sv) onichinum Sv cilicinum Va 206 nocumentum *scripsi cum* β^1 sR] nocumen F N V^2 nocumenta (*in ras.* sPd) γ sPd π nocivum Va notuum pR 206 refrenatur] —nantur N V^2 γ π 210 et] et de F^2 γ(-Sv) R π de Sv Pd vel *cum Vulg.* Va 222 compositione] comparatione F γ δ^1 π 227 etiam *scripsi cum* γ δ^1 π] *om.* F nec *cet.*

180 in conchis marinis: cf. Albertus *II Mineral.* tr. 2 c. 11. 201-209 Albertus *II Mineral.* tr. 2 c. 17 et 13.

Trahitur autem sapientia de occultis. [19] Non adaequabitur ei topazius de Aethiopia, nec tincturae mundissimae componentur. [20] Unde ergo sapientia venit, et quis est locus intelligentiae? [21] Abscondita est ab oculis omnium viventium, volucres quoque caeli latet. [22] Perditio et mors dixerunt: Auribus nostris audivimus famam eius. [23] Deus intelligit viam eius et ipse novit locum illius. [24] Ipse enim fines mundi intuetur et omnia quae sub caelo sunt respicit.

et ob hoc pretiosa reputari, consequenter ostendit quod haec etiam pretiositas sapientiae <non> deest cum subditur *Trahitur autem sapientia de occultis;* est enim humanae sapientiae origo occulta dupliciter: uno modo ex parte intellectualis luminis quod derivatur ad nos ab occultissima omnium causa, scilicet a Deo, alio modo ex parte rerum cognitarum quarum occultas proprietates et essentias sapientia inquirit, et ex his in divinorum cognitionem ascendit, quae maxime sapientiae appropriatur. Unde concludit quod neque ratione pretiositatis neque ratione occultationis aliquid potest ei comparari, neque in lapidibus pretiosis, unde subdit *Non adaequabitur ei topazius de Aethiopia*, qui scilicet «sic vocatur a loco primae suae inventionis, vel quia in colore auri similitudinem praetendit»; quantum autem ad pretiosas vestes subdit *nec tincturae mundissimae*, idest cuiuscumque panni serici vel lanei, *componentur*, idest comparabuntur sapientiae.

Quia ergo sapientiam sic incomparabilem dixerat et occultam habere originem, inquirit unde sit eius principium cum subdit *Unde ergo sapientia venit*, idest unde derivatur? *Et quis est locus intelligentiae*, idest a quo principio homines lumen intellectus participant? Ostendit autem hoc principium excedere omnem cognitionem humanam, unde subdit *Abscondita est ab oculis omnium viventium*, quia «fons sapientiae est verbum Dei in excelsis», ut dicitur Eccli. 1[5]. Fuerunt autem aliqui auguriorum sectatores qui crederent quasdam aves augurales quendam effectum sapientiae participare supra homines, inquantum scilicet ex eis ad homines pervenire credebant cognitionem futurorum; sed quod sapientia hanc coniecturam excedat ostendit subdens *volucres quoque caeli latet*, per quod potest intelligi quod origo sapientiae excedit caelestia corpora a quibus huiusmodi aves moventur. Sunt etiam aliqui qui a mortuis futurorum cognitionem exquirerent, sed nec hoc attingit ad sapientiae originem, unde subdit *Perditio et mors dixerunt: Auribus nostris audivimus famam eius;* et recte famam sapientiae morti et perditioni attribuit, quia perditio et mors important recessum et elongationem a bonis quae sapientiam consequuntur. Possunt tamen tria praedicta secundum metaphoram ad tria rationalis creaturae <genera> pertinere, ut quod dicit *Abscondita est ab oculis omnium viventium* referatur ad homines, quod vero subdit *volucres caeli latet* referatur ad angelos, quod vero additur *Perditio et mors dixerunt: audivimus famam eius* referatur ad daemones qui a Deo damnabiliter elongati, a remotis quasi ex sola fama divinae sapientiae notitiam habent.

Ut ergo ostendat sapientiae radicem subdit *Deus intelligit viam eius*, idest totum sapientiae processum, dum et ipse est et origo sapientiae et «locus intelligentiae»; et quia ipse se ipsum perfecte novit ideo subdit *et ipse novit locum illius*, idest se ipsum in quo plene sapientia invenitur sicut in prima origine. Derivatur autem sapientia ab ipso in omnes creaturas quae per Dei sapientiam fiunt, sicut ars derivatur a mente artificis in opere eius, unde dicitur Eccli. 1[10] quod «Deus effundit sapientiam super omnia opera sua»; unde etiam ipsa universitas creaturarum est quasi quidam secundarius sapientiae locus; et ideo ad ostendendum quod Deus cognoscit locum sapientiae, subiungit quod ipse cognoscit universitatem creaturarum: primo quidem hoc ostendit quantum ad extremas creaturas sub quibus aliae continentur, unde subdit *Ipse enim fines mundi intuetur*, idest excellentiores creaturas in quibus ordo creaturarum terminatur ab inferioribus ascendendo, sicut sunt caelestia corpora et caelestes spiritus; deinde hoc ostendit quantum ad alias creaturas sub eis contentas, sicut sunt elementa, unde subdit *et omnia quae sub caelo sunt respicit.*

Et ne aliquis crederet quod notitiam rerum habeat a rebus acceptam sicut nos habemus, ostendit consequenter quod cognoscit res sicut omnium causa,

231 pretiositas] est *praem.* δ π <non> *suppl. cum* sAs] *om. cet.* deest] dicitur Sv deinde Va *om.* δ[1] π 275 <genera> *suppl.*] *om. codd.* 279 audivimus] auribus nostris *cum Vulg. praem.* γ Va (*def.* F[2]) 284 dum] unde F V[2] 291 effundit] effudit γ δ[1] π 303 elementa *scripsi. cum* γ δ[1] π] celestia corpora et celestes spiritus *cet.* (*def.* Va)

238 in divinorum cognitionem: cf. supra cap. 1 868 nota. 243 Albertus *II Mineral.* tr. 2 c. 18. 258 auguriorum sectatores: cf. Isid. *VIII Etymol.* cap. 9 (PL 82,312) et ipse Thomas *II-II* q. 95 a. 3. 267 a mortuis: cf. ibid. 274 secundum metaphoram: cf. *Glossa interlin.* super h. l. 284 Vers. 20.

[25] Qui fecit ventis pondus et aquas appendit in mensura, [26] quando ponebat pluviis legem et viam procellis sonantibus. [27] Tunc vidit illam et enarravit et praeparavit et investigavit, [28] et dixit homini: Ecce timor Domini, ipse est sapientia, et recedere a malo intelligentia.

unde subdit quantum ad quasdam occultas creaturas, scilicet ventos et pluvias, *Qui fecit ventis pondus*, idest dedit eis inclinationem motus, ut scilicet quandoque moveantur ad hanc partem quandoque ad illam. Deinde loquitur de pluviis, et primo quidem secundum quod sunt vaporabiliter elevatae in nubibus, unde subdit *et aquas*, scilicet vaporabiles, *appendit*, idest appensas tenet in aere, et hoc *in mensura*, ne scilicet si superexcederent omnia submergerent, vel si plus debito diminuerentur omnia siccarentur; secundo quantum ad ipsam generationem pluviarum cum dicit *quando ponebat pluviis legem*, ut scilicet certis temporibus et locis descenderent; tertio quantum ad effectum, et praecipue in mari quod maxime ex immutatione aeris commovetur, unde subdit *et viam*, scilicet ponebat, *procellis*, scilicet marinis, *sonantibus*, ex magna commotione, quia etiam huiusmodi procellae certis temporibus et secundum certam quantitatem consurgunt.

Quia vero ex ipsis creaturis sapientiam non acquirit sicut nos sed potius ex sua sapientia creaturas produxit, ideo subiungit *Tunc*, scilicet quando creaturas faciebat, *vidit illam*, scilicet sapientiam in se ipso, inquantum per actualem suae sapientiae considerationem res in esse produxit. Ab ipso autem sapientia derivata est primo quidem ad angelos qui facti sunt participes sapientiae divinae, et quantum ad hoc dicit *et enarravit*, scilicet sapientiam suam eis manifestando; secundo vero ad universitatem creaturarum eam per sapientiam suam disponendo, et ad hoc pertinet quod subdit *et praeparavit*, scilicet in sapientia sua orbem terrae; tertio ad homines qui non per simplicem apprehensionem percipiunt sapientiam veritatis, sicut angeli quibus enarratur, sed per inquisitionem rationis ad eam perveniunt, unde subdit *et investigavit*, idest homines eam investigare fecit, et hoc est quod subdit *et dixit homini*, scilicet per interiorem inspirationem illuminando ipsum et sapientiam communicando: *Ecce timor Domini*, quem scilicet praesentialiter tibi do, *ipse est sapientia*, quia per timorem Domini homo Deo inhaeret in quo est vera sapientia hominis sicut in altissima omnium causa; *et recedere a malo*, idest a peccato quo homo amittit Deum, est *intelligentia*, quia scilicet intelligentia ad hoc praecipue est homini necessaria ut per intelligentiam discernat a bonis mala, quibus evitatis per executionem bonorum operum ad sapientiae divinae participationem perveniat. Sic igitur quia *timor Domini est sapientia, et recedere a malo intelligentia*, consequens est quod iusti qui Deum timent et recedunt a malo habeant sapientiam et intelligentiam, quae praeferuntur omnibus bonis terrenis quae mali homines possident: et sic manifestum est quod in hoc salvatur ratio providentiae divinae quod iustis dantur bona spiritualia tamquam meliora, malis autem bona temporalia tamquam caduca.

308 occultas] incultas F intelligentias Va *om.* N β^1 Pd π 325 etiam *om.* V^2 δ π

341 sicut angeli: sec. Dionys. *De div. nom.* cap. 7 § 2 (PG 3,868 B; Dion. 388) ut refert Thomas *De verit.* q. 8 a. 15 sed c. 1.

CAPITULUM XXIX

[1] Addidit autem Iob assumens parabolam suam et dixit: [2] Quis mihi tribuat ut sim iuxta menses pristinos? Secundum dies quibus Deus custodiebat me, [3] quando splendebat lucerna eius super caput meum, et ad lumen eius ambulabam in tenebris, [4] sicut fui in diebus adolescentiae meae; quando secreto Deus erat in tabernaculo meo; [5] quando erat Omnipotens mecum, et in circuitu meo pueri mei; [6] quando lavabam pedes meos butyro, et petra fundebat mihi rivos olei;

Addidit autem Iob assumens parabolam suam et dixit: Quis mihi tribuat etc. Quia Iob in praemissis verbis in universali ostenderat rationem ex qua evidenter apparet non esse contra divinam iustitiam quod mali prosperantur et boni interdum in hoc mundo temporali prosperitate carent, quibus conceduntur maiora, scilicet spiritualia bona, manifestat hoc in se ipso quasi in exemplo, intendens eorum confutare sententiam etiam quantum ad hoc quod asserebant eum pro peccato adversitates passum. Et primo commemorat prosperitatem praeteritam qua virtuose utebatur, et deinde magnitudinem adversitatis in quam inciderat, et ad ultimum multipliciter suam innocentiam demonstrat.

Datur autem intelligi quod sicut postquam satisfecerat verbis Baldath, Sophar tacente processerit ad suum propositum ostendendum, ita etiam manifestato proposito expectavit si aliquis aliorum loqueretur: omnibus autem tacentibus ipse iterato sermonem resumpsit, unde dicitur *Addidit quoque Iob assumens parabolam suam*, quia scilicet metaphorice locuturus erat, *et dixit: Quis mihi tribuat*, quod ponitur ad desiderium designandum magis quam ad petitionem formandum, *ut sim iuxta menses pristinos*, idest ut in prosperitate vivam sicut olim? Et quia hanc prosperitatem non fortunae neque suis viribus sed divino attribuebat auxilio, subdit *Secundum dies quibus Deus custodiebat me*, protegendo scilicet contra adversa, et etiam dirigebat ad bona: in quibusdam quidem perducendo ad bonos effectus etiam supra meam intentionem, et hoc est quod dicit *quando splendebat lucerna eius*, idest providentia ipsius, *super caput meum*, idest mentem meam, dirigens in multa bona ad quae mens mea non attingebat; in quibusdam vero dirigebatur a Deo quasi ab eo instructus de his quae erant agenda, unde subdit *et ad lumen eius*, idest ad instructionem ipsius, *ambulabam*, idest procedebam, *in tenebris*, idest in dubiis; et ut non attribuatur hoc merito iustitiae praecedentis, subiungit *sicut fui in diebus adolescentiae meae*, quando scilicet adhuc non potueram tantam prosperitatem mereri.

Deinde seriatim exponit bona status praeteriti, et incipit quasi a praecipuo a familiaritate divina quam in oratione et contemplatione percipiebat, unde dicit *quando secreto Deus erat in tabernaculo meo*, idest Dei praesentiam sentiebam dum secreto in tabernaculo meo orabam et meditabar, quod pertinet ad contemplationem; quantum vero ad actionem subdit *quando erat Omnipotens mecum*, quasi scilicet mihi cooperans ad bene agendum. Deinde describit prosperitatem suam ex parte prolis cum subdit *et in circuitu meo pueri mei:* adolescentis enim patris filios pueros esse oportet. Ulterius autem procedit ad affluentiam rerum quae pertinent ad usum vitae cum subdit *quando lavabam pedes meos butyro:* apud antiquos enim divitiae praecipue in pecudibus erant, a quibus propter hoc secundum Augustinum pecunia nominatur; inter fructus autem pecudum pretiosior videtur esse butyrum quod est lactis pinguedo, cuius affluentiam parabolice designat per pedum lotionem, puta si aliquis diceret se tantum sibi abundare aliquem pretiosum liquorem usque ad pedum lotionem. Et sicut butyrum videtur esse pretiosius inter fructus animalium, ita etiam oleum inter fructus terrarum; solent autem

1 autem] que Sv quoque *cum Vulg.* δ(-R) π (*cf. Praef.* § 17) 24 sim] sint N V^2 25 idest *om.* N β^1 V^2 γ Va
30 perducendo] producendo N Sv δ π 38 ipsius] eius γ(-Sv) δ π 44 praecipuo] principio N F^2 δ(-R) π primitivo V^1

12 magnitudinem adversitatis: infra cap. XXX; suam innocentiam: infra cap. XXXI. 15 satisfecerat: cap. XXVI; processerit: cap. XXVII. 59 *De discipl. christ.* cap. 6 (PL 40,672) ut refert Thomas *II-II* q. 117 a. 2 ad 2.

[7] quando procedebam ad portam civitatis, et in platea ponebant cathedram mihi. [8] Videbant me iuvenes et abscondebantur, et senes assurgentes stabant. [9] Principes cessabant loqui et digitum superponebant ori suo. [10] Vocem suam cohibebant duces, et lingua eorum gutturi suo adhaerebat. [11] Auris audiens beatificabat me, et oculus videns testimonium reddebat mihi, [12] eo quod liberassem pauperem vociferantem et pupillum cui non erat adiutor. [13] Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduae consolatus sum. [14] Iustitia indutus sum, et vestivi me sicut vestimentum, et diademate iudicio meo. [15] Oculus fui caeco et pes claudo,

olivae optimum oleum habentes in locis lapidosis et arenosis esse, unde subdit *et petra fundebat mihi rivos olei*, per quod abundantiam designat et fructus bonitatem.

Deinde exponit magnitudinem pristinae gloriae cum subdit *quando procedebam ad portam civitatis*, per quod dat intelligere se habuisse auctoritatem iudicandi, quia apud antiquos iudicia exercebantur in portis. Et ut ostenderet se non fuisse quasi unum ex pedaneis iudicibus, subdit *et in platea ponebant cathedram mihi:* per hoc ostenditur singularis dignitatis fuisse. Ostendit autem consequenter auctoritatem sui iudicii, primo quidem per signum acceptum ex parte iuvenum cum dicit *Videbant me iuvenes*, qui scilicet solent esse ad peccata proclives, *et abscondebantur*, quasi scilicet meum iudicium formidantes. Secundo quantum ad senes cum subdit *et senes assurgentes stabant*, quasi scilicet meo iudicio subiecti: habebat enim auctoritatem non solum ad iudicandum iuvenes sed etiam senes. Tertio quantum ad civitatum rectores qui eius iudicio reverentiam exhibebant, primo quidem quantum ad hoc quod verba inchoata dimittebant dum ille loqui volebat, unde subdit *Principes cessabant loqui;* secundo quia eo loquente ipsum interrumpere non audebant, unde subdit *et digitum superponebant ori suo.* Quarto quantum ad duces bellorum qui solent audaciores esse et promptiores ad loquendum, qui tamen coram eo praesumptuose et tumultuose loqui non audebant, unde subdit *Vocem suam cohibebant duces*, scilicet plane et humiliter loquendo; et quandoque intantum stupebant quod loqui penitus non auderent, unde subdit *et lingua eorum gutturi suo adhaerebat*, quasi loqui non valerent.

Et quia solent homines tam rigidae auctoritatis a populo potius timeri quam amari, ostendit se populo amabilem fuisse, quia ad magnanimum pertinet ut apud magnos auctoritatem servet et tamen minoribus condescendat, unde subdit *Auris audiens*, scilicet ab aliis, recitari scilicet meam gloriam vel mea iudicia, non odiebat nec invidebat sed *beatificabat me*, idest beatum me reputabat et beatitudinem mihi optabat, et hoc pertinet ad absentes; quantum autem ad praesentes subdit *et oculus videns*, scilicet meam gloriam et iudicia, *testimonium*, scilicet de virtute, *reddebat mihi*, scilicet apud alios, et hoc propter opera misericordiae quae exercebam. Et hoc primo ostendit quantum ad pauperes, unde subdit *eo quod liberassem*, scilicet de manu opprimentis, *pauperem vociferantem*, idest conquerentem; secundo quantum ad pupillos, unde subdit *et pupillum cui non erat adiutor*, scilicet amisso patre; tertio quantum ad homines in periculis existentes, unde subdit *Benedictio perituri super me veniebat*, idest ille qui in periculis erat a me adiutus mihi benedicebat; quarto quantum ad viduas, unde subdit *et cor viduae consolatus sum*, quia scilicet solatium viri amiserat.

Non est autem sic in iudicio aliquibus miserendum quod iustitia relinquatur, unde subdit *Iustitia indutus sum*, idest undique in processibus meis iustitia apparuit: vestimento enim homo undique circumdatur; et ut ostendat se non esse coactum sed voluntarie fecisse iustitiam, subdit *et vestivi me*, quasi propria sponte, iustitiam <induens> *sicut vestimentum*, scilicet undique protegens et ornans. Sicut autem in concertatione bellorum victoribus datur corona, ita etiam et iudex cum per iudicium suum iustitiae victoriam tribuit coronam meretur, unde subdit *et diademate iudicio meo*, ac si dicat: indutus sum iudicio meo sicut diademate. Et ut ostendat qualiter simul cum iustitia potuerit misericordiam conservare, subdit *Oculus fui caeco*, idest instruxi simplices qualiter in negotiis suis procederent ne per ignorantiam detrimentum paterentur; et quia non solum ignorantibus dabat consilium sed etiam

72 subdit] subiungit β^1 γ 76 ponebant] parabant *cum Vulg.* $\gamma(-F^3)$ π 123 quia] que γ δ π 130 vestivi] —vit V^1 Pd π vesti. $\gamma(-Sv)$ 130 me] sicut vestimento *add.* Va 131 iustitiam] —tia F^2 Sv π <induens> *coni.*] *om. codd.* 131 vestimentum] —to F^2 Pd π 138 potuerit *scrips. cum* F π] poterit N V^1 V^2 δ poterat F^2 γ

75 in portis: cf. supra cap. 5 73 nota. 76 pedaneis iudicibus: cf. *III Codex Iustinianus* tit. 3 (ed. Krueger 124). 103 magnanimum: cf. Arist. *IV Ethic.* 10 (1124 b 18) sec. Thomam *II-II* q. 129 a. 3 ad 5.

16 pater eram pauperum. Et causam quam nesciebam diligentissime investigabam. 17 Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam praedam. 18 Dicebamque: In nidulo meo moriar et sicut palma multiplicabo dies. 19 Radix mea aperta est secus aquas, et ros morabitur in messione mea. 20 Gloria mea semper innovabitur, et arcus meus in manu mea instaurabitur. 21 Qui me audiebant expectabant sententiam, et intenti tacebant ad consilium meum. 22 Verbis meis addere nihil audebant: super illos stillabat eloquium meum. 23 Expectabant me sicut pluviam, et os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum.

impotentibus auxilium, subdit *et pes claudo*, idest illi qui non poterat procedere in suo negotio auxilium dedi ut posset procedere; tuebatur etiam illos qui tutela carebant, unde subdit *pater eram pauperum*, scilicet eos protegendo et fovendo. Contingit autem quandoque quod simplices, impotentes et pauperes aliqui per fraudulentiam calumniose laedunt, sed contra hoc adhibebat diligentem sollicitudinem ut calumniosos processus malignorum excluderet, unde subdit *Et causam quam nesciebam diligentissime investigabam*, ne scilicet aliquid fraudis ibi lateret. Quidam vero per violentiam pauperes opprimunt eos quodammodo per rapinam deglutientes, quorum violentiam Iob sua potentia destruebat, unde subdit *Conterebam molas iniqui*, idest destruebam violentiae rapacitatem ne scilicet posset ulterius rapere, *et de dentibus illius auferebam praedam*, quia scilicet eos restituere cogebat id quod iam acceperant per rapinam.

Ex praemissis autem bonis operibus confidebat quod eius prosperitas perduraret; cuius continuationem primo describit quantum ad propriam personam, unde subdit *Dicebamque: In nidulo meo moriar*, idest sperabam propter praecedentia merita quod in quiete domus meae moriturus essem, non exul a domo nec etiam domo mea perturbata; nec tamen credebat se tempestiva morte praeoccupari, unde subdit *et sicut palma*, quae scilicet diutissime vivit, *multiplicabo dies*, scilicet per vitae longaevitatem. Secundo describit continuitatem prosperitatis quantum ad divitias, quarum augmentum describit subdens *Radix mea aperta est secus aquas:* arbores enim quae secus aquas radices habent solent abundare in fructibus, unde per hoc designat temporalium fructuum multiplicationem; contingit autem quandoque quod fructus alicuius hominis multiplicantur, sed propter aliqua impedimenta supervenientia eos colligere non potest, unde ad hoc excludendum subdit *et ros morabitur in messione mea:* contingit enim in terris calidis quod propter vehementiam aestus messores in agro consistere non possunt ad metendum, sed nubes roris eis refrigerium praestat ut a metendo non impediantur, secundum illud Is. XVIII[4] « Sicut nubes roris in diebus messis ». Tertio describit processus continuitatem quantum ad gloriam cum subdit *Gloria mea semper innovabitur*, scilicet per bona opera quae multiplicare proponebat. Quarto quantum ad continuationem potentiae subdit *et arcus meus in manu mea instaurabitur:* per arcum enim potentia designatur, talibus enim armis maxime Orientales utuntur ad bella.

Sic igitur in praemissis descripsit et severitatem et misericordiam quam exhibebat in iudicando, nunc autem tertio ostendit quomodo etiam sapientia utebatur; et primo quidem in iudiciis, et quantum ad hoc dicit *Qui me audiebant*, quasi meo iudicio subiecti, *expectabant sententiam*, scilicet meam, credentes se aliquid sapientissimum audire; quantum vero ad consilia subdit *et intenti tacebant ad consilium meum*, scilicet expectantes ipsum et avide audientes. Et postquam consilium dederam erant eo contenti, unde subdit *Verbis meis addere nihil audebant*, propter scilicet magnam sapientiam quam in me aestimabant; et non solum firmum tenebant meum consilium sed etiam in eo consolabantur, percipientes illud esse efficax ad suum propositum consequendum, unde subdit *super illos stillabat eloquium meum*, idest ad modum stillarum eos refrigerabat.

Quia igitur iam dixerat qualis erat in iudiciis et in consiliis, consequenter ostendit qualis erat in communi hominum conversatione, et primo ostendit quod erat gratiosus, quia cum erat absens eius praesentia desiderabatur, unde dicit *Expectabant me sicut pluviam*, per quam scilicet homines refrigerantur; quando autem erat praesens ex eius aspectu et sermonibus consolabantur, unde subdit *et os suum*, idest suum animum, *aperiebant*, scilicet versus me ut consolationem reciperent, et hoc est quod

145 posset] possit N V^1 V^2 (*def.* R) 160 cogebat] —bant V^1 V^2 —bam F^2 δ(-R) π 165 Dicebamque] —bantque F V^2 —bant ergo quod N —batque V^1 —bam quia R 165 nidulo] dominio F iudicio N V^1 F^3 ydulo F^2 radiculo R 180 potest *scrips. cum* F^2] possunt *cet.* 191 potentiae] unde *add.* γ $δ^1$ π cum *add.* Va

170 diutissime vivit: cf. Isid. *XVII Etymol.* cap. 7 (PL 82, 609 A). 194 severitatem: vers. 8-10; misericordiam: vers. 11-16. 211 dixerat: vers. 21.

[24] Si quando ridebam ad eos, non credebant; et lux vultus mei non cadebat in terram.
[25] Si voluissem ire ad eos, sedebam primus; cumque sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen maerentium consolator.

subdit *quasi ad imbrem serotinum*, qui scilicet refrigerium praestat post aestum diei. Secundo ostendit quod erat in conversatione moderatus: neque enim dissolvebatur gaudio, unde dicit *Si quando ridebam ad eos*, scilicet aliqua signa laetitiae ostendens, *non credebant*, scilicet me esse risibus deditum; similiter etiam non erat per tristitiam depressus, unde subdit *et lux vultus mei non cadebat in terram:* solent enim homines maerore depressi oculos ad terram demersos habere. Tertio ostendit quod non erat immoderatus circa honores, quia scilicet neque eos cupiebat, unde subdit *Si voluissem ire ad eos*, quod tamen non de facili faciebam, *sedebam primus*, scilicet apud eos in honore existens; neque tamen erat in honoribus fastuosus, unde subdit *cumque sederem quasi rex circumstante exercitu*, omnibus scilicet me hinc inde admirantibus, *eram tamen maerentium consolator*, quasi non despiciens eos.

CAPITULUM XXX

[1] Nunc autem derident me iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei; [2] quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo, et vita ipsa putabantur indigni, [3] egestate et fame steriles; qui rodebant in solitudine, squalentes calamitate et miseria, [4] et mandebant herbas et arborum cortices, et radix iuniperorum erat cibus eorum; [5] qui de convallibus ista rapientes, cum singula reperissent, ad ea cum clamore currebant; [6] in desertis habitabant torrentium et in cavernis terrae vel super glaream;

Nunc autem derident me iuniores tempore etc. Postquam enumeraverat multa ad prosperitatem pertinentia quae in tempore praecedenti habuerat, hic enumerat adversitates quas tunc patiebatur, et primo quidem contra gloriam et reverentiam pristinam ostendit se in praesenti contemptui haberi. Tanto autem aliquis gravius fert alicuius contemptum quanto fuerit persona contemnentis abiectior; unde ostendit eos a quibus contemnebatur esse abiectos multipliciter: primo quidem ex tempore, unde dicit *Nunc autem derident me iuniores tempore*, contra id quod supra dixerat «Videbant me iuvenes et abscondebantur et senes assurgentes stabant». Secundo ex ignobilitate cum subdit *quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei*, idest non reputabam eos dignos ut eos assumerem ad ministeria domus meae quantumcumque infima, puta ad custodiam canum, quod per oppositum respondet ei quod supra dixerat «Principes cessabant loqui». Tertio quantum ad modicitatem potentiae, unde subdit *quorum*, scilicet derisentium vel etiam patrum ipsorum, *virtus manuum mihi erat pro nihilo*, idest omnem eorum potentiam quasi nihilum parvipendebam, et hoc per oppositum respondet ei quod supra dixerat «Vocem suam cohibebant duces». Quarto quantum ad inhonestatem, unde subdit *et vita ipsa putabantur indigni*, scilicet propter multitudinem gravium peccatorum, et hoc per oppositum respondet ei quod supra dixerat «Auris audiens beatificabat me» etc. Quinto quantum ad paupertatem, unde subdit *egestate*, scilicet quantum ad rerum defectum, *et fame*, quantum ad afflictionem inde consequentem, *steriles*, idest fructificare non valentes, contra id quod supra de se dixerat «Petra fundebat mihi rivos olei». Sexto quantum ad gravem vitam quam ducebant, unde subdit *qui rodebant in solitudine*, idest grossis cibis utebantur quos in desertis quaerebant, puta glandibus aut aliis huiusmodi, eo quod fructus agrorum non habebant prae egestate; et huius victus effectus ostendit subdens *squalentes*, idest deturpati, *calamitate*, quantum ad afflictionem proprii corporis, *et miseria*, quantum ad adversitates exteriores. Exponit autem consequenter quid rodebant cum subdit *et mandebant herbas*, scilicet agrestes et crudas, *et arborum cortices*, *et radix iuniperorum erat cibus eorum*, in quibus grossitiem et vilitatem cibi ipsorum demonstrat. Ostendit autem consequenter quod nec in huiusmodi tam vilibus cibis abundabant, ostendens quod huiusmodi cibos acquirebant et laboriose, quod significat cum dicit *qui de convallibus ista rapientes*, idest cum magna difficultate accipientes propter ascensum et descensum, et in parva quantitate, quod significat cum dicit *cum singula reperissent*, et cum quadam contentione, quod significat cum dicit *ad ea cum clamore currebant*, ut scilicet unus alium praeveniret; et omnia ista per oppositum respondent ei quod supra dixerat «Lavabam pedes meos butyro». Septimo ostendit eorum abiectionem ex parte habitationis, quia scilicet domos non habebant ad manendum, quod significat subdens *in desertis habitabant torrentium*, idest in alveis torrentium desiccatis in quibus se protegebant a calore, *et in cavernis terrae*, scilicet propter umbram, *vel super glaream*, scilicet propter

4 tunc] modo R nunc Pd π 5 et[1] *om.* F β^1 41 quantum] idest *praem.* N β^1 V^2 Va 62 desiccatis] —cantur F —catur N V^2 —catorum Va

12 Cap. XXIX[8]. 19 Cap. XXIX[9]. 25 Cap. XXIX[10]. 29 Cap. XXIX[11]. 35 Cap. XXIX[6]. 58 Cap. XXIX[6].

[7] qui inter huiuscemodi laetabantur, et esse sub sentibus delicias computabant: [8] filii stultorum et ignobilium, et in terra penitus non parentes. [9] Nunc in eorum canticum versus sum, et factus sum eis in proverbium. [10] Abominantur me et longe fugiunt a me et faciem meam conspuere non verentur. [11] Pharetram enim suam aperuit et afflixit me et frenum posuit in os meum. [12] Ad dexteram orientis calamitates meae illico surrexerunt.

refrigerium aquae vicinae vel propter mollitiem arenae; et hoc etiam eis iocundum videbatur quando talia loca invenire poterant ad manendum, unde subdit *qui inter huiuscemodi laetabantur*, quasi etiam talium locorum copiam non habentes; et si aliquando contingeret quod commodiora loca invenirent, hoc quasi deliciosum reputabant, unde subdit *et esse sub sentibus*, idest sub umbra parvarum arborum, *delicias computabant*, quia scilicet talis locus erat commodior ad manendum quam praemissa; hoc autem videtur respondere per oppositum ad id quod supra dixerat «In nidulo meo moriar». Enumeratis autem per singula eorum miseriis, quasi epilogando colligit quod dictum est subdens *filii stultorum*, scilicet mente, *et ignobilium*, scilicet genere, *et in terra penitus non parentes*, idest nulla dignitate vel gloria conspicui.

Consequenter exponit quid ab eis patiebatur, et primo quidem ostendit quod ab eis irridebatur ore, et in ludis, quod significat cum dicit *Nunc in eorum canticum versus sum*, quia scilicet de eo faciebant irrisorias cantilenas; et in seriis, et quantum ad hoc subdit *et factus sum eis in proverbium*, quia scilicet in communi quasi proverbiis utebantur infortuniis Iob, inducentes eum in exemplum culpae et miseriae; secundo ostendit quomodo contemnebant eum corde cum subdit *Abominantur me*, scilicet quasi vilem et immundum; tertio ostendit quomodo contemnebant eum facto, primo quidem inquantum eius praesentiam horrebant, unde subdit *et longe fugiunt a me*, contra id quod supra dixerat «Expectabant <me> sicut pluviam»; secundo vero inquantum ei iniurias irrogabant: *et faciem meam conspuere non verentur*, scilicet in signum contumeliae et despectus. Et ne putaretur propter aliquam culpam commissam se in despectum venisse, ostendit causam praedicti contemptus ex parte divinae percussionis, ostendens primo quidem se divinitus afflictum cum dicit *Pharetram enim suam aperuit et afflixit me:* ex pharetra sagittae extrahuntur quibus aliqui utuntur ad percutiendum; per sagittas autem intelliguntur divina flagella, secundum quod supra VI[4] dixerat «Sagittae Domini in me sunt quarum indignatio ebibit spiritum meum»; pharetra ergo Dei est divina dispositio ex qua hominibus adversitates proveniunt, quam apertam esse dicit propter abundantiam adversitatum ex quibus non solum exterius sed etiam interius se afflictum dicit. Secundo asserit se impeditum a Deo ne saltem verbo suas iniurias repellere possit, unde subdit *et frenum posuit in os meum*, quia scilicet per flagella divina auferebatur sibi fiducia respondendi cum alii ex ipsis flagellis argumenta sumerent contra eum.

Ostendit autem consequenter huiusmodi adversitates esse sibi a Deo immissas ex eo quod praeter consuetum modum humanarum adversitatum advenerint, quod quidem primo ostendit ex loco unde adversitates advenerint. Solent enim, et praecipue in terris illis, impugnationes insurgere a parte septentrionali, in qua habitabant barbarae nationes et homines magis feroces et bellicosi, secundum illud Ier. I[14] «Ab aquilone pandetur omne malum»; sed impugnatores beati Iob provenerunt ex parte meridiei ubi solent homines minus bellicosi et feroces habitare: dictum est enim supra quod eius adversitas incepit a Sabaeis qui tulerunt boves et asinas et pueros occiderunt, unde dicit *Ad dexteram orientis*, idest ex parte meridiei quae est dextrum respectu orientis – si quis enim se ad orientem convertat meridies erit ei a dextro –, *calamitates meae illico surrexerunt*, idest statim a principio Sabaeis irruentibus.

Secundo ostendit suas adversitates esse praeter communem modum quantum ad multiplicitatem impugnationis: impugnatus enim fuit et quantum ad amissionem bonorum ex quibus homo habet facultatem operandi, quae per pedes significatur, unde subdit *Pedes meos subverterunt*, idest omnes

82 quid] quod N V^1 F^2 δ(-Pd) 86 in seriis *scripsi cum* N As sPd] miseriis F β^1 V^2 F^3 in penis Sv versus *in lac.* sVa *om.* δ^1 π 88 communi] comitu F^2 conviciis γ contrarium Va conviviis π 96 <me> *suppl. cum* Sv Va sPd (*cf. supra cap.* 29 216)] *om. cet.* 97 irrogabant] unde dicit *add.* γ unde subdit *add.* Pd π 107 ebibit] edidit N V^2 Va (*def.* γ) 120 advenerint] —nerunt F V^2 —nerit β^1 —niunt As δ^1 π 122 advenerint] —nerunt F V^2 —nerant β^1 —niunt δ(*def.* Pd) π (*def.* Sv) 125 feroces *scripsi cum* N V^1 (*cf. infra lin.* 128)] fortes *cet.*

76 Cap. XXIX[18]. 95 Cap. XXIX[23]. 122 - 128 Solent enim...: cf. Vegetius *I Instit. rei militaris* cap. 2 et Arist. *VII Polit.* cap. 7 (1327 b 23) quos allegat Thomas *II De regno* cap. 1. 129 supra: cap. I[15]. 141 per pedes significatur: cf. supra cap. 23 188 et infra cap. 31 76.

Pedes meos subverterunt et oppresserunt semitis suis quasi fluctibus. [13] Dissipaverunt itinera mea, insidiati sunt mihi et praevaluerunt, et non fuit qui ferret auxilium. [14] Quasi rupto muro et aperta ianua irruerunt super me et ad meas miserias devoluti sunt. [15] Redactus sum in nihilum: abstulit quasi ventus desiderium meum, et velut nubes pertransiit salus mea. [16] Nunc autem in memet ipso marcescit anima mea, et possident me dies afflictionis. [17] Nocte os meum perforatur doloribus, et qui me comedunt non dormiunt. [18] In multitudine eorum consumitur vestimentum meum, et quasi caputio tunicae succinxerunt me. [19] Comparatus sum luto et assimulatus sum favillae et cineri. [20] Clamabo ad te et non exaudies me, sto et non respicis me.

facultates meas destruxerunt, et hoc fecerunt faciliter et totaliter, unde subdit *et oppresserunt*, scilicet praedictos <pedes> meos, *semitis suis*, quasi in suo transitu sine aliqua difficultate; et exemplum addit cum dicit *quasi fluctibus:* fluctus enim maris et subito cooperiunt terram sive navem et totaliter eam absorbent. Subversis autem pedibus, idest facultatibus, per consequens sequitur quod eius processus fuerint impediti, unde sequitur *Dissipaverunt itinera mea*, idest omnes processus operum meorum. Ulterius etiam me in persona persecuti sunt, et dolose, quod significat cum subdit *insidiati sunt mihi*, et potenter, in hoc quod addit *et praevaluerunt*, et sine contradictione quia non fuit qui eos impediret in ipso facto, unde subdit *et non fuit qui ferret auxilium*, scilicet mihi dum ab eis opprimerer, nec etiam qui eos impediret ne ad me accederent, unde subdit *Quasi rupto muro et aperta ianua irruerunt super me*, idest ac si nullum obstaculum fuisset, neque ex ipsa substantia negotii, quod significatur per murum, neque ex sollicitudine humana, quod significatur per ianuam; ad me autem tam libere intrantes non sunt miserti, unde subdit *et ad meas miserias devoluti sunt*, idest totaliter ad hoc intenderunt ut me miserum redderent.

Tertio ostendit huiusmodi adversitates esse a Deo immissas ex effectu earum, quia scilicet per eas totaliter erat destitutus, unde subdit *Redactus sum in nihilum*, quod dicit quia nihil ei de pristina prosperitate remanserat, quae quidem in duobus consistebat: uno quidem modo in exterioribus rebus quae per violentiam amiserat, unde subdit *abstulit quasi ventus*, scilicet per violentiam, *desiderium meum*, idest omne desiderabile quod in rebus exterioribus habebam; alio modo consistebat eius prosperitas in salute propriae personae, et quantum ad hoc subdit *et velut nubes*, idest subito et totaliter, *pertransiit salus mea*, scilicet meae personae. Ablatis autem desiderabilibus bonis, eius anima in tristitia remanebat, unde subdit *Nunc autem in memet ipso marcescit*, scilicet per tristitiam, *anima mea:* non enim poterat non tristari, filiis et rebus amissis. Recedente autem salute corporali, consequens erat ut etiam corporalem dolorem sentiret qui nec in die dabat ei requiem, unde subdit *et possident me dies afflictionis*, idest corporalis doloris, qui etiam in nocte aggravabatur, unde subdit *Nocte os meum perforatur doloribus*, quasi dicat: ita in nocte increscunt dolores mei quod videtur mihi quod perveniant usque ad ossium perforationem. Causam autem doloris ex vulneribus putrefactis fuisse ostendit, unde subdit *et qui me comedunt*, scilicet vermes ex putredine vulnerum generati, *non dormiunt*, quia scilicet nullam requiem ei dabant; et ut eorum multitudinem ostendat, subdit *In multitudine eorum consumitur vestimentum meum*, quasi dicat: tanta est vermium multitudo quod non solum carnem comedunt sed etiam vestimenta corrodunt; et ut ostendat eos non in una tantum parte corporis esse sed quasi per totum corpus usque ad caput diffundi, subdit *et quasi caputio tunicae succinxerunt me*, quasi dicat: prae multitudine non continentur sub velamine ligaturae et vestimenti sed prorumpunt in apertum et circumdant collum. Ex huiusmodi autem poena ostendit se abominabilem hominibus factum, unde subdit *Comparatus sum luto*, ut scilicet mihi prae multitudine putredinis et vermium nullus appropinquare velit sicut nec luto, *et assimulatus sum favillae et cineri*, idest omnino deiectus et contemptui habitus.

Solent autem qui ab hominibus despiciuntur auxilium habere a Deo, sed ipse a Deo relinquebatur in temporali adversitate, unde subdit *Clamabo ad te*, scilicet continue petens liberari ab hac adversitate, *et non exaudies me*, scilicet tam cito; *sto*, idest persevero in orando, *et non respicis me*, scilicet ab

145 praedictos] *om.* F^2 δ π *post* meos sPd <pedes> *suppl. cum* F^2 γ δ π | *om. cet.* 174 quae] quas Sv Pd π
203 caputio] capitio *cum Vulg.* V^1 Sv Pd π ca. F^2 218 in orando] morando F β^1 V^2

194 ex putredine: cf. supra cap. 25 90 nota.

[21] Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuae adversaris mihi. [22] Elevasti me et quasi super ventum ponens elisisti me valide. [23] Scio quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi. [24] Verum tamen non ad consumptionem eorum emittis manum tuam, et si corruerint ipse salvabis. [25] Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi: [26] expectavi bona et venerunt mihi mala, praestolabar lucem et irruperunt tenebrae. [27] Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie, praevenerunt me dies afflictionis. [28] Maerens incedebam, sine furore consurgens in turba clamavi. [29] Frater fui draconum et socius strutionum. [30] Cutis mea denigrata est super me, et ossa mea aruerunt prae caumate.

adversitate liberando; et ita si considerarem tantum temporalem statum reputarem te crudelem et durum hostem, unde subdit *Mutatus es mihi in crudelem*, secundum scilicet quod videtur ex exterioribus flagellis dum nec deprecanti parcis, *et in duritia manus tuae adversaris mihi*, scilicet graviter me affligendo. Et secundum quod ex exterioribus apparet, videtur quod in malum meum mihi pristinam prosperitatem concesseris, unde subdit *Elevasti me*, scilicet tempore prosperitatis, *et quasi super ventum ponens*, idest in altissimo statu, instabili tamen ad modum venti, *elisisti me valide*, idest graviter me laesisti quasi de alto in terram proiciens. Et ne videretur haec ex desperatione dixisse, subdit *Scio quia morti trades me*, quasi dicat: non patior haec quasi inexcogitata, scio enim quod adhuc ad ulteriorem defectum deducar, scilicet usque ad mortem; hoc autem dicit se scire propter condicionem mortalis vitae, unde subdit *ubi constituta est domus omni viventi*, quia videlicet ad mortem omnes homines tendunt sicut homo ad suam domum; nec tamen per mortem homo totaliter consumitur, quia remanet anima immortalis, unde subdit *Verum tamen non ad consumptionem eorum*, scilicet hominum viventium, *emittis manum tuam*, ut scilicet per tuam potentiam eos in nihilum redigas, *et si corruerint*, scilicet per mortem, *ipse salvabis*, animas scilicet beatificando, et hoc de tua benignitate spero quantumcumque in temporalibus adversis mihi crudelis et durus videaris.

His igitur praemissis de pristina prosperitate et subsecuta adversitate, quasi sub quodam compendio praemissa recolligit dicens *Flebam quondam*, scilicet prosperitatis tempore, *super eo qui afflictus erat*, secundum illud Apostoli Rom. XII[15] « Flere cum flentibus »; et etiam compatiebar defectum patientibus, quod ostendit subdens *et compatiebatur anima mea pauperi*, scilicet non solum in affectu sed etiam in effectu, ut supra dixit; et pro his misericordiae operibus *expectavi bona*, scilicet prospera huius mundi secundum opinionem amicorum suorum, *et venerunt mihi mala*, idest adversa, per quod patet eorum sententiam esse falsam; *praestolabar lucem*, idest consolationem vel consilium quo a malis eriperer, *et irruperunt tenebrae*, scilicet amaritudinum et dubitationum.

Exponit autem consequenter mala supervenientia, et incipit ab interioribus malis cum dicit *Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie*, quod potest referri ad infirmitatem interiorum viscerum procedentem ex inordinati caloris fervore, vel etiam ad afflictionem cordis procedentem ex fervore doloris; et ut huiusmodi inquietudinem nimis tempestivam ostenderet, subdit *praevenerunt me dies afflictionis:* omnes enim homines senectutis tempore affliguntur propter invalitudinem, sed ipse in iuventute fuerat praeventus afflictionibus. Deinde quantum ad exteriora subdit *Maerens incedebam*, idest cum inter homines ambulavi post miseriam tristitiam praetendebam; sed licet tristitia sit causa irae, haec tamen in me non fuit, unde subdit *sine furore consurgens in turba clamavi*, exponens scilicet meas miserias, quae scilicet partim erant ex defectu amicorum de quibus subdit *Frater fui draconum*, idest illi qui me debebant ut fratrem diligere mordebant me ut dracones, *et socius strutionum*, qui scilicet solent oblivisci etiam proprii fetus: ita et ipsi obliti sunt mei ut mihi non subvenirent. Partim autem erat eius adversitas ex infirmitate corporali, unde primo quantum ad exteriora dicit *Cutis mea denigrata est super me*, scilicet propter interiorem corruptionem humorum; deinde quantum ad interiora subdit *et ossa mea aruerunt prae caumate*, idest tanta vis inordinati caloris in

229 tamen] tantum N V^1 tum F^2 cum V^2 *om.* δ(-R) causa sVa 234 scio] sed *praem. codd.* (-F) *et delevimus* enim] *om.* β^1 δ^1 π vero Va 243 emittis] —tit N V^2 —tes δ —tens π 258 expectavi] —tabam *cum Vulg.* δ π 263 irruperunt] erumpunt β^1 eruperunt *cum Vulg.* Sv Va π ruperunt Pd 266 interioribus *scripsi. cum* γ δ^1 π] inferioribus *cet.*

249 prosperitate: cap. XXIX; adversitate: supra vers. 1-24. 257 supra: cap. XXIX[25]. 278 causa irae: cf. Arist. *II Rhet.* cap. 2 (1379 a 15) quem refert Thomas *I-II* q. 47 a. 3 arg. 1. 285 proprii fetus: cf. infra cap. XXXIX[15].

[31] Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium.

me irruit quod quasi medullae ossium aruerunt. Partim autem consistebat eius adversitas in exterioribus tristitiae signis, unde subdit in quae commutata erant signa gaudii, quae quidem sunt vel musica instrumenta, et quantum ad hoc dicit *Versa est in luctum cithara mea*, quasi dicat: succedit mihi luctus citharae qua ad iocunditatem utebar; vel sunt humanae vocis cantica, unde subdit *et organum meum*, quo scilicet utebar ad gaudium, *in vocem flentium*, scilicet versum est.

CAPITULUM XXXI

[1] Pepigi foedus cum oculis meis ut nec cogitarem quidem de virgine. [2] Quam enim partem haberet Deus desuper in me, et hereditatem Omnipotens de excelsis? [3] Numquid non perditio est iniquo, et alienatio operantibus iniquitatem? [4] Nonne ipse considerat vias meas, et cunctos gressus meos dinumerat?

Pepigi foedus etc. Postquam Iob narraverat pristinam prosperitatem et subsequentem adversitatem, hic consequenter innocentiam suam ostendit ne credatur propter peccata in adversitates incidisse. Incipit autem innocentiam suam ostendere per immunitatem a peccato luxuriae quod plures involvit; quod quidem peccatum in lubrico positum est, ut nisi aliquis principia vitet vix a posterioribus possit pedem retrahere; primum autem in hoc peccato est aspectus oculorum quo mulier pulcra aspicitur et praecipue virgo, secundum autem est cogitatio, tertium delectatio, quartum consensus, quintum opus. Voluit igitur Iob principia huius peccati excludere ut eo non involveretur, unde dicit *Pepigi foedus*, idest in corde meo firmavi sicut pacta firmantur, *cum oculis meis*, ex quorum scilicet aspectu provenit concupiscentia mulierum, ita ab inspiciendis mulieribus abstinere *ut nec cogitarem quidem de virgine*, idest ut nec primum gradum interiorem attingerem, scilicet cogitationem: videbat enim esse difficile si in primum incideret, scilicet in cogitationem, quin in alia laberetur, scilicet in delectationem et consensum.

Deinde ostendit quare tam sollicite hoc peccatum vitaverit, et primo quidem rationem assignat ex hoc quod per peccatum luxuriae homo maxime videtur a Deo discedere: accedit enim homo ad Deum per spirituales actus, qui maxime impediuntur per delectationem veneream, unde subdit *Quam enim partem haberet Deus desuper in me?*, quasi dicat: intantum in me Deus partem habet inquantum ad superiora mea mens rapitur; si vero per luxuriam mens mea ad carnalem delectationem eiciatur, nullam partem in me Deus desuper habebit. Contingit autem quandoque quod etiam luxuriosi ad horam aliquid de Deo spiritualiter cogitant, sed mox per delectationis concupiscentiam ad ima revocantur, unde pars Dei in eis firma esse non potest quasi hereditas, unde subdit *et hereditatem*, idest firmam possessionem, in me scilicet ad inferiora prolapso, habere non poterit *Omnipotens de excelsis*, idest qui in excelsis habitat; unde oportet quod hereditas eius sit in his qui sublimia petunt, scilicet spiritualia, non autem in his qui ad carnalia descendunt. Secundo ostendit causam quare luxuriae peccatum vitaverit ex damno quod homini infert, quod est duplex: unum quidem corporale, dum scilicet homo propter peccatum luxuriae incurrit periculum personae et rerum, unde subdit *Numquid non perditio est iniquo?*, quasi dicat: iniquus qui hoc peccato involvitur in perditionem vadit; aliud vero damnum est impedimentum a bonis operibus, unde subdit *et alienatio operantibus iniquitatem?*: quia enim vehemens delectatio magis animum ad se trahit, inde est quod homines luxuriae dediti a bonis operibus discedunt, et etiam a bonis praedicationibus. Tertio assignat causam quam considerat ex parte divinae providentiae quae omnia facta hominum prospicit, et sic nullus potest a poena esse immunis, unde subdit *Nonne ipse considerat vias meas*, idest processum meorum operum ad remunerandum? Nec solum totalem processum ipse cognoscit sed et singulas partes illius processus, unde subdit *et cunctos gressus meos dinumerat?*, idest omnia etiam modica quae in actibus meis reprehensibilia videntur suo iudicio examinat, et ita non transirem pro eis impunitus.

Secundo mundat se a vitio dolositatis, utens in hoc et in omnibus subsequentibus quodam iuramento quod fit per execrationem, dum scilicet homo si non est verum quod dicitur obligat se ad poenam,

15 idest *om.* N β^1 V^a δ(-Pd) 56 quam] qui N V^a que Va *om.* γ sPd π considerat] —ratur Va *om.* γ sPd π

2 prosperitatem: cap. XXIX; adversitatem: cap. XXX. 7 in lubrico: cf. *Glossa interlin.* super Ps. XXXIV[6] et *Glossa* Petri Lomb. ibid. (PL 191,348); vide August. *Enarr. in Ps.* ibid. (PL 36,328). 28 per delectationem veneream: cf. Arist. *VII Ethic.* 11 (1152 b 18) sec. Thomam *I-II* q. 37 a. 1 ad 2; vel et August. *I Solil.* cap. 10 (PL 32,878) ut refert etiam Thomas *II-II* q. 180 a. 2 ad 3. 69 per execrationem: cf. August. *Enarr. in Ps.* VII[5] (PL 36,99) ex quo Petrus Lomb. *III Sent.* d. 39 c. 7.

[5] Si ambulavi in vanitate et festinavit in dolo pes meus, [6] appendat me in statera iusta et sciat Deus simplicitatem meam. [7] Si declinavit gressus meus de via, si secutus est oculus meus cor meum et manibus meis adhaesit macula, [8] seram et alius comedat, et progenies mea eradicetur. [9] Si deceptum est cor meum super mulierem et si ad ostium vicini mei insidiatus sum, [10] scortum alterius sit uxor mea et super illam incurventur alii. [11] Hoc enim nefas est et iniquitas maxima, [12] ignis est usque ad consumptionem devorans et omnia eradicans germina.

unde dicit *Si ambulavi*, idest si processi, *in vanitate*, idest in aliqua falsitate: dicuntur enim vana illa quae soliditatem non habent, soliditas autem maxima est per veritatem. Quomodo autem ambuletur in vanitate ostendit subdens *et festinavit in dolo pes meus*, idest affectus meus et quaecumque alia virtus animae est motionis principium; signanter autem dicit *festinavit in dolo*, quia scilicet homo per aliquas vias dolosas intendit velociter obtinere quod per viam veritatis cum magna difficultate obtineretur. Quod autem aliquis absque dolo ambulet considerari potest ex inspectione rectitudinis iustitiae a qua dolosus declinat, unde subdit *appendat me in statera iusta*, scilicet Deus, ut ex eius iustitia discernatur an ego in dolo processerim. Cum autem dolus praecipue in intentione cordis consistat, ille solus potest de dolo iudicare cui patet cordis intentio, scilicet Deus, unde subdit *et sciat Deus simplicitatem meam*, quae scilicet duplicitati dolositatis opponitur; dicit autem *sciat Deus*, non quasi de novo cognosciturus sed quasi de novo alios scire facturus, vel quia in ratione suae iustitiae hoc ab aeterno cognovit.

Et quia universaliter a se dolum excluserat, descendit ad quaedam specialia peccata quibus aliquis dolose rebus alienis insidiatur, quod quidem contingit et in furto et in adulterio. In furto enim aliquis dolose insidiatur rebus possessis a proximo, et hoc excludit a se dicens *Si declinavit gressus meus de via*, scilicet iustitiae contemnendo ipsam; ex quo sequitur quod homo res proximi insidioso oculo videat ad rapiendum, unde subdit *si secutus est oculus meus cor meum*, idest desiderium meum, quasi dicat: si ad hoc habendum oculus meus intendit quod cor desideravit; tertio autem contingit quod homo, contempta iustitia et intentione directa ad acquirendum quod cor concupiscit, adhibet homo manum ad rapiendum aliena, unde sequitur *et manibus meis adhaesit macula*, scilicet per ablationem rei alienae. Iustum est autem ut si quis bona aliena rapit, etiam bona eius ab aliis diripiantur, unde subdit *seram et alius comedat*, quasi dicat: si bona aliena rapui, bona mea ab aliis rapiantur, quod est execrationis iuramentum. Solent autem homines aliena rapere ut filiis suis divitias congregent, secundum illud Nah. II[12] «Leo cepit sufficienter catulis suis», et ideo iustum est ut homini qui aliena rapit non solum sua diripiantur sed etiam filii moriantur, unde subdit *et progenies mea eradicetur*, cui scilicet videretur rapina fuisse conservata.

In adulterio vero homo uxori proximi dolose insidiatur, in quibus insidiis quaedam cordis deceptio praecedit, dum scilicet ratio per concupiscentiam obtenebratur, unde subdit *Si deceptum est cor meum super mulierem*, scilicet alienam concupiscendam; ex quo autem cor a concupiscentia mulieris vincitur, consequens est ut mulierem concupitam quibuscumque dolis habere conetur, unde subdit *et si ad ostium vicini mei insidiatus sum*, ut scilicet eius uxore abuterer. Iuste autem puniri videtur qui alienam uxorem adulterio polluit quod etiam eius uxor ab aliis polluatur, unde subdit *scortum alterius sit uxor mea*, ut scilicet aliis se venalem exhibeat: ex quo sequitur quod alii ea abutantur, unde subdit *et super illam incurventur alii*, scilicet adulterium committendo. Quare autem hoc peccatum vitaverit ostendit subdens *Hoc enim nefas est*, quia scilicet est contra statutum Dei qui virum et mulierem in matrimonio coniunxit; *et*, si consideretur humana iustitia, est *iniquitas maxima*, quia scilicet quanto est maius bonum quod subripitur tanto est iniustitia maior: si quis enim furaretur bovem, maior esset iniquitas quam si furaretur ovem, unde et maiori poena punitur, ut habetur Exodi XXII[1]; ille autem qui adulterium committit maximum quid ei subtrahit, scilicet uxorem quae est una caro cum ipso, et prolem certam et per consequens totam patrimonii successionem, quae propter adulterium quandoque ad extraneum pervenit, unde subditur *ignis est*, scilicet adulterium, *usque ad consumptionem devorans*, quia scilicet defraudat hominem in toto patrimonio, ut

77 animae] *eras.* sF divine F^a V^a δ *exp.* sR 106 homo *om. solus* F^a (*cf. Praef.* § 132 *circa finem*) 145 ipso] ipsa N V^a

72 vana: cf. supra cap. 11 176 nota. 76 affectus...principium: cf. supra cap. 30 141 et cap. 23 188 nota. 112 execrationis iuramentum: cf. supra lin. 68 nota. 137 in matrimonio: cf. Matth. XIX[6]. 145 una caro: cf. Gen. II[24].

[13] Si contempsi iudicium subire cum servo meo et ancilla mea cum disceptarent adversum me. [14] <Quid enim faciam> cum surrexerit ad iudicandum Dominus Deus, et cum quaesierit, quid respondebo illi? [15] Numquid non in utero fecit me qui et illum operatus est, et formavit me in vulva unus? [16] Si negavi pauperibus quod volebant et oculos viduae expectare feci, [17] si comedi buccellam meam solus et non comedit pupillus ex ea. [18] Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meae egressa est mecum. [19] Si despexi praetereuntem <eo quod non habuerit indumentum>, et pauperem

dictum est, *et omnia eradicans germina*, dum scilicet filiorum successionem facit incertam, unde dicitur Eccli. XXIII[22] «Mulier omnis relinquens virum suum peccabit, statuens hereditatem ex alieno matrimonio».

Sic ergo postquam expurgavit se de iniustitia quantum ad hoc quod aliis iniuriam non fecit nec in rebus subripiendis nec in persona coniuncta abutenda, excusat se consequenter quod iniustitiam non incurrit per iustitiae defectum, unde subdit *Si contempsi iudicium subire cum servo meo et ancilla mea cum disceptarent adversum me*, quasi dicat: si minoribus meis iustitiam reddere contempsi, haec et illa gravia mihi accidant. Quare autem cum servis suis iudicium subire non contempserit, ostendit subdens *cum surrexerit ad iudicandum Dominus Deus*, idest cum apparuerit iudicaturus ipse cuius iudicium modo despicitur, non haberem ad cuius auxilium vel consilium refugerem; nec etiam possem Deo rationabiliter in iudicio respondere, unde subdit *et cum quaesierit*, idest cum facta mea examinaverit, *quid respondebo illi*, idest quam rationem reddere potero quare cum servis meis iudicium subire noluerim? Quasi dicat 'nullam'. Et hoc ostendit consequenter per hoc quod naturaliter est eadem condicio omnium hominum, unde subdit *Numquid non in utero fecit me qui et illum operatus est?*, quasi dicat: eandem animam cum servis meis habeo a Deo creatam; corpus etiam meum eadem divina virtute formatum est, unde subdit *et formavit me in vulva unus?*, scilicet Deus qui et illum formavit, et ideo manifestum est quod cura est Deo qualiter illum tractem.

Postquam igitur ostendit se non fuisse luxuriosum neque iniustum, consequenter ostendit se non fuisse immisericordem, quod quidem primo ostendit ex hoc quod beneficia miseris non subtraxit. Solent autem quidam pauperi eleemosynam petenti statim a principio negare quod petitur, quod a se excludit dicens *Si negavi pauperibus quod volebant;* quidam vero non negant sed donum dare differunt, quod a se excludit dicens *et oculos viduae expectare feci;* alii vero non negant nec dare differunt quae petuntur sed nihil ex proprio motu darent, sed hoc a se excludit ostendens quod nec modicis solus voluit uti quin aliis communicaret, unde subdit *si comedi buccellam meam solus et non comedit pupillus ex ea*, et subintelligitur: haec vel illa gravia mihi accidant. Est autem considerandum quod valde signanter loquitur: pauperes enim non solum petere sed etiam instare solent, unde beneficium misericordiae non subtrahitur eis nisi per omnimodam negationem; viduae autem petunt quidem sed instare verentur, et ideo nisi cito eis subveniatur, misericordiae beneficio privantur; pupilli autem nec petere audent, unde oportet quod etiam eis non petentibus misericordia impendatur. Quare autem tam misericors fuerit ostendit ex duobus: primo quidem ex antiqua consuetudine quam a pueritia inchoavit, unde subdit *Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio:* quanto enim magis crescebat in annis, tanto magis in misericordiae operibus exercebatur; secundo quia naturalem inclinationem habebat ad misericordiam, sicut diversi homines ad diversas virtutes quasdam naturales inclinationes habere solent, unde subditur *et de utero matris meae egressa est mecum*, quia scilicet ex primis generantibus sic dispositus fui ut essem ad miserendum promptus.

Solet autem duplex esse misericordiae impedimentum. Quorum primum est contemptus miseri quem non reputat miseratione dignum: consueverunt autem despici qui vilibus induuntur et honorari qui utuntur vestibus pretiosis, unde dicitur Eccli. XIX[27] quod «amictus corporis enuntiat de homine»; sed hoc misericordiae impedimentum a se excludit subdens *Si despexi praetereuntem*, idest quemcumque extraneum per viam transeuntem, *et pauperem*, sci-

151 eradicans] —cant N V^2 Va —cat R 159 iniustitiam] —tia N V^2 F^2 —tie Va 166 cum] quid enim faciam *cum Vulg. praem.* Sv Pd π 166 Dominus *cum Vulg. om.* Pd π (*def.* V^1) 174 nullam] nullum N γ(-As) nulla R 188 petitur] petit F γ(*def.* Sv) 191 dicens] subdens F β^1 (*def.* Sv) 194 solus] *om.* F solis N β^1 210 quanto] quando N V^2 213 homines] habent *add.* F N F^2 V^2 δ(-Pd) *et delevimus* 214 habere solent *om.* F 220 quem] quam N V^2 225 praetereuntem] eo quod non habuerit (haberet π) indumentum *cum Vulg. add.* Pd π

151 dictum est: lin. 146. 183 non fuisse luxuriosum: vers. 1; neque iniustum: vers. 5.

absque operimento. [20] Si non benedixerunt mihi latera eius, et de velleribus ovium mearum calefactus est. [21] Si levavi super pupillum manum meam, etiam cum viderent me in porta superiorem, [22] humerus meus a iunctura sua cadat et brachium meum cum suis ossibus conteratur. [23] Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus eius ferre non potui. [24] Si putavi aurum robur meum, et si obrizo dixi: Fiducia mea. [25] Si laetatus sum super multis divitiis meis et quia plurima reperit manus mea. [26] Si vidi solem cum fulgeret et lunam incedentem clare, [27] et laetatum est in abscondito cor meum et osculatus sum manum meam ore meo: [28] quae est iniquitas maxima et negatio contra Deum altissimum.

licet notum, eo quod esset *absque operimento*, subaudi: haec vel illa mihi accidant. Nec solum non despexi vestimentis carentem sed etiam de vestimentis providi, unde subdit *Si non benedixerunt mihi latera eius*, quae scilicet discooperta operui et sic fuerunt occasio quod mihi benediceret; et rationem huius exponit subdens *et de velleribus ovium mearum calefactus est*, scilicet per vestimenta sibi exhibita, et est subaudiendum idem quod supra. Aliud autem impedimentum misericordiae est fiducia propriae potestatis, ex qua homini videtur quod impune possit alios gravare et maxime inferiores personas, et hoc a se excludit dicens *Si levavi super pupillum manum meam*, ut scilicet eum opprimerem, *etiam cum viderent me in porta*, idest in loco iudicii, *superiorem*, idest magis potentem. Iustum est autem ut homo membris privetur quibus ad iniustitiam utitur, et ideo subiungit amissionem quasi poenam non solum manus sed etiam brachii in quo radicatur manus, et humeri cui brachium colligatur, unde subdit *humerus meus a iunctura sua cadat et brachium meum cum suis ossibus conteratur*, si scilicet manu mea sum abusus ad pauperum oppressionem. Ostendit autem consequenter quare licet esset superior super pupillos manum non levaret, quia scilicet etsi non dimitteret propter hominem dimitteret tamen propter Deum cuius et iudicia timebat, unde subdit *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum*, et loquitur ad similitudinem in mari navigantium qui, intumescentibus fluctibus super altitudinem navis, timent ne ab eis submergantur: similiter timebat comminationes divinas quasi fluctus intumescentes; et etiam auctoritati divinae cedebat ex qua prohibetur pupillorum oppressio, unde subdit *et pondus eius*, idest auctoritatem Dei protegentis pupillos, *ferre non potui*, quin scilicet ei me inclinarem.

Si putavi aurum robur meum. Postquam Iob excusavit se de iniustitia et de immisericordia, hic consequenter excusat se de inordinato affectu ad divitias, quod quidem contingit dupliciter: uno modo per hoc quod homo nimis de divitiis confidit, et hoc excludit dicens *Si putavi aurum robur meum*, ut in divitiis principaliter virtutem meam reputarem, *et si obrizo*, idest si auro purissimo, *dixi: Fiducia mea*, scilicet tu es, contra id quod Apostolus dicit I ad Tim. ult. « Divitibus huius saeculi praecipe non sperare in incerto divitiarum »; secundo deordinatur hominis affectus circa divitias per hoc quod nimis de divitiis gaudet, et ideo quantum ad divitias iam habitas subdit *Si laetatus sum*, scilicet inordinate, *super multis divitiis meis*, quas sicut propria possederam; quantum autem ad acquisitionem divitiarum dicit *et quia plurima reperit manus mea:* solent enim homines de his quae de novo acquirunt magis gaudere.

Deinde excusat se a peccato superstitionis, quod est contra Deum; colebant autem antiquitus idolatrae stellas caeli et praecipue luminaria propter maximam eorum claritatem, et hoc a se excludit dicens *Si vidi solem cum fulgeret et lunam incedentem clare*, propter quae scilicet ab idolatris coluntur, *et laetatum est in abscondito cor meum*, quasi interiori cultu eis devotus existens; et quantum ad exteriorem cultum subdit *et osculatus sum manum meam ore meo*, quasi in eorum reverentiam. Et quare hoc vitaverit ostendit subdens *quae est iniquitas maxima:* si enim iniquum est ut id quod est uni homini debitum alteri exhibeatur, maxime videtur esse iniquum ut cultus

232 benediceret] —xerunt N V^1 —cerent γ(-F^3) Va — cent F^3 235 quod] est *add.* N F^2 V^2 Va 240 viderent] vident N viderem *cum Vulg.* F^3 δ^1 π 250 esset] esse F pN V^1 γ(-As) π 253 et] etiam N V^1 δ π *om.* F^2 Sv 254 tumentes] timentes N F^2 V^2 δ^1 π timens V^1 timentes *praem.* Sv 265 iniustitia *scripsi. cum* γ(-Sv) π (*cf. supra lin.* 156)] nocentia F innocentia N V^1 V^2 δ iustitia F^2 iustitia et *praem.* Sv 278 propria] proprias γ δ^1 π 291 meam ore] in amore F F^2 V^2 meam in ore V^1

235 supra: lin. 227. 265 de iniustitia: vers. 5; de immisericordia: vers. 16. 273 I Tim. VI^{17}. 284 colebant: cf. Sap. XIII^2 ut refert Thomas *Super Rom.* I^{25} et *II-II* q. 94 a. 4.

[29] Si gavisus sum ad ruinam eius qui me oderat, et si exultavi quod invenisset eum malum: [30] non enim dedi ad peccandum guttur meum ut expectarem maledicens animam eius. [31] Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus eius ut saturemur? [32] Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit. [33] Si abscondi quasi homo peccatum meum et celavi in sinu meo iniquitatem meam. [34] Si expavi ad multitudinem nimiam et despectio propinquorum terruit me, et non magis tacui nec egressus sum ostium. [35] Quis mihi tribuat adiutorem ut desiderium meum audiat Omnipotens et librum scribat ipse qui iudicat? [36] In humero meo portem illum et circumdem illum quasi coronam mihi.

Deo debitus exhibeatur creaturae; et quia impossibile est quod homo simul Deo et creaturae exhibeat latriam, ideo subdit *et negatio contra Deum altissimum:* etsi enim quibusdam creaturis nomen Dei per participationem attribuatur soli tamen Deo altissimo latriae cultus debetur, qui negatur altissimus si etiam aliis talis cultus exhibeatur.

His igitur praemissis quae pertinent ad communem iustitiam, subiungit quaedam quae pertinent ad perfectionem virtutis, inter quae primo odium inimicorum excludit, quod maxime manifestatur quando aliquis gaudet, vel de totali ruina eius, et hoc excludit dicens *Si gavisus sum ad ruinam eius qui me oderat*, vel de aliquo malo ei superveniente, quod excludit subdens *et si exultavi quod invenisset eum malum*, idest ex insperato ei supervenisset. Et quare hoc vitaverit ostendit subdens *non enim dedi ad peccandum guttur meum ut expectarem maledicens animam eius:* naturaliter enim homo desiderat ea de quibus gaudet et desiderium interius explicat verbis; consequens igitur est ut si aliquis de malis alicuius gaudeat, quod ea desideret et per consequens quod maledicendo ei malum imprecetur.

Deinde perfectionem suae virtutis ostendit quantum ad superabundantiam bonorum quae aliis exhibuit, et primo quidem quantum ad domesticos suos dicit *Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus eius ut saturemur?* Cum enim aliquod animal est delectabile ad usum comestionis, desiderant homines eius carnibus saturari: per hoc ergo dat intelligere quod eius conversatio tam fuit suis domesticis grata quod eius carnali praesentia cuperent saturari. Quantum autem ad extraneos subdit *Foris non mansit peregrinus*, quin scilicet in domo mea reciperetur, *ostium meum viatori patuit*, ut scilicet ei non esset difficilis ingressus.

Ulterius <procedit> ad ostendendam suae virtutis perfectionem quantum ad exclusionem timoris indebiti. Solent autem homines propter confusionis timorem interdum contra iustitiam suam culpam occultare, vel eam negando, quod a se excludit dicens *Si abscondi quasi homo*, idest sicut homines solent facere, *peccatum meum*, illud scilicet indebite negando; vel excusando, vel etiam astutiis aliquibus palliando, unde subdit *et celavi in sinu meo*, idest per aliquam occultam simulationem, *iniquitatem meam*, cum scilicet eam confiteri tenerer. Consequenter autem excludit a se inordinatum timorem corporalium periculorum, qui quidem maxime solet procedere ex multitudine contra hominem insurgente, secundum illud Eccli. XXVI[5] «A tribus timuit cor meum: zelaturam civitatis et collectionem populi» etc., unde dicit *Si expavi ad multitudinem nimiam;* additur autem ad hunc timorem si homo despiciatur a propinquis a quibus iuvari debuerat, unde subdit *et despectio propinquorum terruit me.* Solent autem homines impavidi in contrarium incedere per praesumptionem, et quandoque quidem saltem verbis loquuntur contra fortiores, et hoc a se excludit dicens *et non magis tacui*, quandoque autem ulterius procedunt ut praesumptuose multitudinem adversariorum invadant, sed hoc excludit dicens *nec egressus sum ostium.*

Et quia multa et magna de se dixerat, super his divinum testimonium invocat, unde subdit *Quis mihi tribuat adiutorem*, qui scilicet mecum interpellet ad Deum? Et ad quid adiuvari velit ostendit subdens *ut desiderium meum audiat Omnipotens;* et quod sit suum desiderium exponit subdens *et librum scribat*, scilicet meae accusationis vel commendationis super praemissis, *ipse qui iudicat*, scilicet omnes actus humanos, scilicet interiores et exteriores. Et si quidem per huius libri testimonium, idest per certam veritatis manifestationem, ego culpabilis appaream, volo portare poenam, unde subdit *In humero meo portem illum;* si vero manifestata veritate

299 etsi] si F N V[1] δ(-R) π 332 <procedit> *suppl. cum* sPd] *om. cet.* (*def.* Sv) 346 zelaturam] delaturam γ δ π (*cf. Praef.* § 90 *in fine*) 352 incedere] incidere N δ[1] intendere γ(-As) 354 loquuntur] loquitur F N β[1] V[2] loqui δ[1] 370 In] et in V[2] ut in *cum Vulg.* π

334 Solent...: cf. Gregor. *XXII Moral.* cap. 15 (PL 76,230) sec. Thomam *II-II* q. 69 a. 1 ad 3.

[37] Per singulos gradus meos pronuntiabo illum et quasi principi offeram illum. [38] Si adversum me terra mea clamat et cum ipsa sulci eius deflent, [39] si fructus eius comedi absque pecunia et animam agricolarum eius afflixi, [40] pro frumento oriatur mihi tribulus et pro hordeo spina. Finita sunt verba Iob.

commendabilis appaream, exinde praemii coronam accipiam, unde subdit *et circumdem illum quasi coronam mihi*, per quod dat intelligere suum desiderium esse ut qui iniuste condemnabatur ab amicis iusto Dei iudicio reservetur. Praedicto autem libro divini testimonii se non contradicturum promittit, unde subdit *Per singulos gradus meos*, idest processus operum meorum, *pronuntiabo illum*, idest confitebor veritatem divini testimonii; nec recusabo subire sententiam secundum testimonium divinum, unde subdit *et quasi principi offeram illum*, scilicet gratanter ferens ut secundum divinum testimonium cum eo agatur.

Deinde excludit a se vitium superfluae cupiditatis etiam in rebus acquirendis ex propriis possessionibus, quod quidem dupliciter manifestatur: uno modo per hoc quod homo per nimium cultum superfluos fructus a suis possessionibus extrahere nititur, et ad hoc excludendum metaphorice subdit *Si adversum me terra mea clamat*, quasi non permiserim eam quiescere sed nimis eam coluerim, unde subdit *et cum ipsa sulci eius deflent*, et loquitur per similitudinem hominis qui nimis angariaretur. Alio modo manifestatur superflua cupiditas per hoc quod homo operariis denegat pretium laboris, unde subdit *si fructus eius comedi absque pecunia*, scilicet soluta operariis, *et animam agricolarum eius afflixi*, scilicet vel nimis cogendo ad laborandum vel mercedem subtrahendo. Est autem debitum ut qui superflua et inconsueta cupit etiam debita et consueta perdat, unde subdit *pro frumento*, quod scilicet seminatur ad victum hominum, *oriatur mihi tribulus*, qui scilicet non solum est inutilis sed pungitivus, *et pro hordeo*, quod scilicet seminatur in cibum iumentorum, *spina*, quae scilicet etiam iumenta pungendo laedit. Quibus praemissis subditur epilogus cum dicitur *Finita sunt verba Iob*, quia scilicet ad suae sententiae assertionem nihil post hoc proposuit.

373 circumdem] —dam V^1 actendam F R acundam V^2 circum. F^2 (*def.* N) 392 nimis] minus N β^1 393 sulci] stulti N V^2 406 etiam *om.* V^2 δ π

CAPITULUM XXXII

[1] Omiserunt autem tres viri isti respondere Iob eo quod iustus sibi videretur. [2] Et iratus indignatusque est Eliud, filius Barachiel, Buzithes, de cognatione Ram. Iratus est adversus Iob eo quod iustum se esse diceret coram Deo. [3] Porro adversus tres amicos eius indignatus est eo quod non invenissent responsionem rationabilem sed tantummodo condemnassent Iob. [4] Igitur Eliud expectavit Iob loquentem eo quod seniores essent qui loquebantur. [5] Cum autem vidisset quod tres respondere non potuissent, iratus est vehementer, [6] respondensque Eliud, filius Barachiel, Buzithes, dixit: Iunior sum tempore vos autem antiquiores, idcirco demisso capite veritus sum indicare vobis meam sententiam.

Omiserunt autem tres viri isti etc. Finita disputatione Iob et trium amicorum eius, subditur disputatio Eliud contra Iob, qui quidem acutioribus rationibus contra Iob utitur quam priores et magis ad veritatem accedit, unde et Iob ei non respondet, licet tamen in aliquo a veritate deviet et verba Iob sinistre interpretetur, ut infra patebit.

Praemittitur autem causa ex qua motus fuit ad loquendum, scilicet ex indignatione contra Iob et contra amicos eius. Praemittit ergo ante amicorum silentium cum dicit *Omiserunt autem tres viri isti*, scilicet de quibus supra habitum est, *respondere Iob*, ubi notandum est quod eos viros non nominaret si non fuisset res gesta sed parabola conficta. Causam autem silentii ostendit subdens *eo quod iustus sibi videretur:* multa enim dixerat Iob quae ad suae iustitiae ostensionem pertinebant, quibus praedicti tres viri contradicere non valebant. Et ex utroque horum, scilicet ex silentio amicorum et ex hoc quod Iob iustus sibi videbatur, commotus fuit Eliud, qui astabat, ad iram, et ideo subditur *Et iratus*, scilicet in corde, *indignatusque*, ostendendo irae signa exterius, *est Eliud*, in quo describitur ex nomine, *filius Barachiel*, in quo describitur ex origine, *Buzithes*, in quo describitur ex patria, *de cognatione Ram*, in quo describitur ex genere: quae tota descriptio ad hoc valet ut ostendatur ad rem gestam pertinere.

Causam autem irae explicat consequenter, et primo quidem contra Iob cum dicit *Iratus est adversus Iob eo quod iustum se esse diceret coram Deo*, idest secundum divinum testimonium, quod maxime accipi potest ex eo quod dixerat supra XXIII[10] «Ipse scit viam meam», et postea subdit «Vestigia eius secutus est pes meus». Quantum autem ad amicos subdit *Porro adversus tres amicos eius indignatus est eo quod non invenissent responsionem rationabilem*, qua scilicet responderent verbis eius quibus se iustum asserebat, *sed tantummodo condemnassent Iob*, dicentes scilicet eum esse iniquum.

Ostendit autem consequenter causam quare Eliud prius in nullo responderat Iob, cum subdit *Igitur Eliud expectavit Iob loquentem*, in nullo scilicet contradicens eius sermonibus, *eo quod seniores essent qui loquebantur*, eis scilicet deferens quasi sapientioribus, quod aetas senectutis requirebat. Sed quia non videbatur ei quod alicui deberet reverentiam exhibere in praeiudicium veritatis, iratus contra tres seniores ipse iunior respondere incepit, unde dicitur *Cum autem vidisset quod tres respondere non potuissent*, scilicet rationibus Iob, *iratus est vehementer*, quasi aestimans quod per illorum ignaviam veritas deperiret; et ideo loco illorum voluit veritatem, ut credebat, defendere, et hoc est quod subditur *respondensque Eliud, filius Barachiel, Buzithes*, scilicet sermonibus et rationibus Iob.

In hac autem sua responsione primo excusat pristinum silentium, tum ex sua aetate, unde sequitur *dixit: Iunior sum tempore*, tum etiam ex illorum antiquitate, unde subdit *vos autem antiquiores;* iuvenes autem debent reverentiam deferre senioribus, unde sequitur *idcirco demisso capite*, scilicet in signum reverentiae et humilitatis, *veritus sum indicare*

10 ante] trium N V^1 V^2 *om.* δ π 11 isti] etc. *add.* F γ respondere *add.* Va 14 conficta] convicta F coniuncta N β^1 Va commota V^2 ficta Sv 20 qui astabat] quia stabat N β^1 V^2 δ 39 scilicet *om.* F^2 γ δ π 57 tum] *om.* N δ cum V^2 π cum subdit tum Sv 58 tum] cum N V^2 Va

7 infra cap. XXXIII[10-13], XXXIV[5,9] et XXXV[2,3]. 14 parabola conficta: cf. supra Prol. 72 nota et cap. I 15. 45 quod... requirebat: cf. supra cap. XII[13].

[7] Sperabam enim quod aetas prolixior loqueretur et annorum multitudo doceret sapientiam. [8] Sed ut video, spiritus est in hominibus, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. [9] Non sunt longaevi sapientes nec senes intelligunt iudicium, [10] ideo dicam: Audite me et ostendam vobis etiam ego scientiam meam. [11] Expectavi enim sermones vestros, audivi prudentiam vestram donec disceptaretis in sermonibus vestris, [12] et donec putabam vos aliquid dicere expectabam. Sed ut video, non est qui possit arguere Iob et respondere ex vobis sermonibus eius. [13] Ne forte dicatis: Invenimus sapientiam, Deus proiecit eum et non homo.

vobis meam sententiam, ne scilicet praesumptuosus viderer impediendo meis sermonibus sapientiorum verba. Probabile autem videtur quod senes sapientius loquantur propter duo: primo quidem quia iuvenes ex fervore animi frequenter multa et inordinate proponunt, senes autem propter gravitatem aetatis maturius loquuntur, unde subdit *Sperabam enim quod aetas prolixior loqueretur*, scilicet gravius et efficacius; secundo vero quia senes per experientiam longi temporis multa cognoscere potuerunt et per consequens sapientius loqui, unde sequitur *et annorum multitudo*, propter quam scilicet experimentum accipi potest, *doceret sapientiam*, scilicet ex experimento acceptam.

Consequenter excusat se quare nunc loqui incipiat, quia scilicet expertus est quod aetas non est sufficiens sapientiae causa sed magis inspiratio divina, unde subdit *Sed ut video*, idest per effectum considero, *spiritus*, scilicet Dei, *est in hominibus*, inquantum scilicet in eis operatur, et hoc est quod subdit *et inspiratio Omnipotentis*, qua scilicet hominibus inspirat Spiritum sanctum qui est «spiritus sapientiae et intellectus», *dat intelligentiam*, scilicet veritatis quae est sapientiae principium his quibus inspiratur. Quod autem haec inspiratio sit sapientiae praecipua causa ostendit per hoc quod aetas non perfecte sapientiam causat, unde subdit *Non sunt longaevi sapientes*, quantum scilicet ad cognitionem divinae veritatis, *nec senes intelligunt iudicium*, quantum scilicet ad ordinationem humanorum actuum; et quia licet non esset senex confidebat tamen se inspiratum a Deo, ideo loqui audebat, unde subdit *ideo dicam*.

In hac autem sua locutione primo inducit eos ad audiendum ex auctoritate Dei cuius inspiratione loquebatur, unde dicit *Audite me*, ut scilicet eius sermonem non interrumperent. Audientibus autem promittit scientiae dogmata, unde subdit *et ostendam vobis etiam ego*, scilicet quamvis sim iuvenis, *scientiam meam*, ex qua scilicet respondebo rationibus Iob. Iustum autem erat quod ipsi eum audirent quia etiam ipse eos audierat, unde subdit *Expectavi enim*, scilicet diu, *sermones vestros*, quos scilicet contra Iob protulistis. Et quia reputabat se posse discernere quid ab eis bene dictum esset et quid non bene, subdit *audivi prudentiam vestram*, quasi dicat: audiendo diiudicavi quid in verbis vestris ad prudentiam pertineret. Non autem parum sed diu expectaverat; terminum autem expectationis suae determinat ex duobus: primo quidem ex illorum voluntate, unde subdit *donec disceptaretis in sermonibus vestris*, idest donec placuit vobis contra Iob disceptare; secundo ex spe quam de eorum sapienti doctrina habebat, unde subdit *et donec putabam vos aliquid dicere expectabam*. Non est autem amplius audiendus de quo non speratur quod aliquid utile sit dicturus; videbat autem quod verba eorum quibus contra Iob utebantur efficacia non erant, primo quidem quia eum rationibus convincere non poterant, unde subdit *Sed ut video, non est qui possit arguere Iob*, scilicet eum convincendo rationibus; secundo quia non poterant eius rationibus obviare, unde subdit *et respondere*, scilicet sufficienter *ex vobis*, idest ex vestro sensu – vel non est qui possit *ex vobis*, idest ex vestro numero –, *sermonibus eius*, quibus scilicet contra vos utitur. Praecipuae autem eorum rationes contra Iob fundabantur in hoc quod adversitates Iob attribuebant divino iudicio quod errare non potest, quam quidem responsionem esse insufficientem consequenter ostendit dicens *Ne forte dicatis: Invenimus sapientiam*, idest istud sufficit ad sapientem responsionem, *Deus proiecit eum*, scilicet in adversitates, qui errare non potest, *et non homo*, qui potest decipi et decipere; ipse autem intendebat efficacius respondere, unde subdit *Nihil locutus est mihi*, ex quo scilicet vult ostendere quod non loqui-

74 propter] per F As 75 doceret] –re F N β^1 V^2 –rem Sv ex *om.* β^1 Sv δ π 88 perfecte] perficit N β^1 δ π 89 causat] sed *praem.* N β^1 tantum δ 100 dogmata] decorata F^2 documenta γ δ π 117 expectabam] considerabam *cum Vulg.* Pd π alias considerabam *add. in marg.* Va (*def.* F^2) 128 scilicet *om.* β^1 γ δ^1 π

71 experientiam longi temporis: cf. supra cap. XII[12] et cap. 15 89 nota. 84 Is. XL[8].

[14] Nihil locutus est mihi, et ego non secundum sermones vestros respondebo illi. [15] Extimuerunt nec responderunt ultra, abstuleruntque a se eloquium. [16] Quoniam igitur expectavi et non sunt locuti, <steterunt nec responderunt ultra>, [17] respondebo et ego partem meam et ostendam scientiam meam. [18] Plenus sum enim sermonibus, et coartat me spiritus uteri mei. [19] En venter meus quasi mustum absque spiraculo quod lagunculas novas dirumpit. [20] Loquar et respirabo paululum. Aperiam labia mea et respondebo. [21] Non accipiam personam viri et Deum homini non aequabo. [22] Nescio enim quandiu subsistam et si post modicum tollat me factor meus.

tur quasi provocatus, *et ego non secundum sermones vestros respondebo illi*, idest non sequar vias vestras in respondendo sed alias efficaciores ad respondendum vias inveniam.

Intendit autem se de futura responsione excusare non solum apud ipsos sed etiam apud alios, et ideo ad alios convertit sermonem suum dicens *Extimuerunt*, scilicet ulterius loqui ne manifestius convincerentur, *nec responderunt ultra*, scilicet rationibus Iob. Et ut ostendat hoc fuisse propter eorum ignaviam, non propter efficaciam rationum Iob, subdit *abstuleruntque a se eloquium*, scilicet negligenter tacendo: quando autem homo efficaci ratione convincitur, non ipse a se aufert eloquium sed potius ei ab alio aufertur. Quia ergo illi defecerant dicit se velle eorum supplere defectum, unde subdit *Quoniam igitur expectavi*, scilicet diu ut eis deferrem, *et non sunt locuti*, scilicet respondentes sermonibus Iob, *respondebo et ego partem meam*, quia scilicet defensio veritatis pertinet ad omnes et unusquisque debet ibi ponere quasi pro parte sua quod potest.

Non autem solum zelo veritatis defendendae sed etiam ex inani gloria movebatur, unde subdit *et ostendam scientiam meam:* quaerit enim inanis gloriae cupidus ut si quid in se excellens est manifestet; et ideo consequenter ostendit maximam sibi facultatem adesse ad respondendum cum subdit *Plenus sum enim sermonibus*, quasi abundanter occurrit mihi quid respondeam; et quia facultas non sufficit ad agendum nisi homo ab aliquo incitetur, ideo subdit *et coartat me spiritus uteri mei:* uterus est locus conceptionis, unde per uterum hic metaphorice significatur intellectus intelligibilia diversa concipiens; spiritus ergo uteri est voluntas impellens hominem ad manifestandum conceptiones cordis per sermonem. Est autem homini molestum cum non implet quod desiderat, et ideo anxietatem quam patiebatur tacendo exponit per similitudinem subdens *En venter meus*, idest mens mea, *quasi mustum*, scilicet quod fervet, *absque spiraculo quod lagunculas novas dirumpit:* nisi enim vapor musti ferventis ex parte aliqua evaporet, multiplicatur vapor interius quandoque usque ad vasis confractionem; ita etiam se musto propter iuventutem comparat, et ideo ex magno desiderio loquendi periculum sibi aestimat imminere nisi loquatur, unde subdit *Loquar et respirabo paululum*, quasi scilicet per verba evaporabo interiorem fervorem ut ab anxietate desiderii quiescam.

Quid autem loqui velit ostendit subdens *Aperiam labia mea et respondebo*, scilicet verbis Iob. Quem autem modum in respondendo observare debeat ostendit subdens *Non accipiam personam viri:* ille enim in respondendo personam hominis accipit qui veritatem relinquit ut homini deferat. Quare autem hoc ipse facere nolit ostendit subdens *et Deum homini non aequabo:* talis enim sibi videbatur esse disputatio praesens ut, si homini deferret, excellentiae divinae reverentiam debitam non servaret. Quod quidem quare facere timeat ostendit subdens *Nescio enim quandiu subsistam*, scilicet in hac mortali vita, ut possim mihi diuturna spatia temporis ad paenitendum repromittere, *et si post modicum tollat me factor meus*, scilicet per mortem assumat ad suum iudicium; ex quo patet quod Eliud in hoc concordabat cum Iob quod retributio peccatorum esset post mortem: alias enim frustra videretur timuisse Deum offendere propter vicinitatem mortis.

154 defectum] *om.* N δ(-Pd) *ante* eorum F *ante* supplere Pd π 156 locuti] steterunt nec responderunt ultra *cum Vulg. add.* 8Va Pd π 167 quid] quod N V^1 V^2 γ(-Sv) δ^1 π 194 nolit] velit F N β^1 noluerit Sv

171 intellectus...: cf. Gregor. *XIII Moral.* cap. 55 (PL 75,1018 A).

CAPITULUM XXXIII

[1] Audi igitur, Iob, eloquia mea et omnes sermones meos ausculta. [2] Ecce aperui os meum, loquatur lingua mea in faucibus meis [3] Simplici corde meo sermones mei, et sententiam labia mea puram loquentur. [4] Spiritus Dei fecit me et spiraculum Omnipotentis vivificavit me. [5] Si potes, responde mihi et adversus faciem meam consiste. [6] Ecce et me sicut et te fecit Deus, et de eodem luto ego quoque formatus sum. [7] Verum tamen miraculum meum non te terreat et eloquentia mea non sit tibi gravis. [8] Dixisti ergo in auribus meis, et vocem verborum audivi: [9] Mundus sum ego et absque delicto, immaculatus, et non est iniquitas in me.

CAPITULUM XXXV

[1] Igitur Eliud haec rursum locutus est: [2] Numquid aequa tibi videtur tua cogitatio ut diceres: Iustior Deo sum? [3] Dixisti enim: Non tibi placet quod bonum est, vel quid tibi prodest si ego peccavero? [4] Itaque ego respondebo sermonibus tuis et amicis tuis tecum. [5] Suspice caelum et intuere et contemplare aethera, quod altior te sit. [6] Si peccaveris, quid ei nocebis? Et si multiplicatae fuerint iniquitates tuae, quid facies contra eum?

I *gitur Eliud haec rursum locutus est* etc. Postquam Eliud improbaverat verba Iob quantum ad hoc quod, sicut ipse aestimabat, imposuerat iniquitatem divino iudicio, hic intendit improbare verba eius quantum ad hoc quod dixerat se esse iustum, unde dicitur *Igitur Eliud haec rursum locutus est.* Interrupto scilicet sermone, expectans si Iob responderet, quo non respondente iterato sermonem assumpsit dicens *Numquid aequa tibi videtur tua cogitatio ut diceres: Iustior Deo sum?* Hoc quidem numquam Iob dixerat, nec Eliud ei imponit quod haec verba protulisset sed quod verba quae protulit ex hac cogitatione provenirent, unde signanter fecit de cogitatione mentionem. Ex quibus autem verbis hanc cogitationem eum habuisse Eliud ostendit subdens *Dixisti enim: Non tibi placet quod bonum est* – alia littera *quod rectum est* –, *vel quid tibi prodest si ego peccavero?* Haec duo verba in praemissis Iob verbis numquam inveniuntur, sed primum horum, scilicet quod Deo non placeat quod bonum est, videtur accipere ab eo quod Iob supra x[15] dixerat «Si impius fuero, vae mihi est! et si iustus, non levabo caput», quod Iob dixerat ad significandum quod temporalibus poenis iusti pariter et iniusti affliguntur, sed Eliud hoc interpretabatur esse dictum quasi Deo hominis iustitia non placeret. Hoc vero quod secundo proponit *quid tibi prodest si ego peccavero?*, nusquam legitur Iob dixisse, sed hoc accipere voluit ex hoc quod ibidem Iob dixerat «Si peccavi et ad horam pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris?», quod Iob dixerat ad ostendendum quod prosperitas temporalis non semper innocentiam comitatur, alioquin ipse prosperitatis tempore innocens fuerat, dimissis sibi peccatis, nec erat ratio quare post peccatorum remissionem iterato a Deo peccatis mundaretur; sed Eliud ad hanc sententiam haec verba retorsit quasi Iob putaverit peccatum suum aut poenam peccati Deum induxisse propter suam utilitatem. Ex his autem duobus, scilicet quod Deo non placeret quod bonum est, et quod ipse utile sibi reputaret peccatum, sequi videretur quod Iob iustior Deo esset, cum de se supra dixerit quod displicuerint ei mala et placuerint bona.

Concludit autem ex praemissis propter eorum absurditatem se compelli ad respondendum, unde dicit *Itaque ego respondebo sermonibus tuis et amicis tuis tecum*, qui scilicet te talia dicentem convincere non potuerunt. Et incipit ab eo quod ultimo dictum est, ostendens quod Deus non potest iuvari nec laedi ex operibus nostris bonis vel malis, et hoc propter eius sublimitatem, quam primo proponit dicens *Suspice*, idest sursum inspice, *caelum*, quod scilicet est sedes Dei, *et intuere*, scilicet visu, *et contemplare*, scilicet mente, *aethera*, idest totum superius corpus, ex cuius non solum altitudine sed etiam magnitudine, motu et ornatu conicere potes hoc, scilicet *quod altior te sit*, intantum scilicet quod opera tua ei nec proficere nec nocere possunt, unde subdit *Si peccaveris*, scilicet in te vel in Deum, *quid ei nocebis?*, quasi dicat: in nullo ex hoc detrimentum patietur. Quantum autem ad peccata quae committuntur in proximum subdit *Et si multiplicatae fuerint iniquitates tuae*, quibus scilicet iniuste proximos laedis, *quid facies contra eum?*, quasi dicat: in nullo ex hoc laedetur. Quantum autem ad bona

18 prodest] – derit *cum Vulg.* δ(-R) π 36 mundaretur] immundaretur β^1 V^2 γ^1 δ(-R) immundantur R etiam *praem.* Sv 41 est *om.* F N Sv Va π 43 dixerit] – rat V^1 V^2 γ^1 δ π displicuerint] – cuerit V^1 – cuerunt F^2 γ^1 δ(-R) π displuerant R 44 placuerint] – cuetur V^1 – cuerunt F^2 γ^1 δ(-R) π – cuerit R 57 conicere] convincere V^1 V^2 γ^1 pPd cognoscere π 66 autem *om.* N Sv δ(-Pd)

1 Postquam...hic: cf. supra cap. 34 3. 17 alia littera: cf. Praef. § 17. 30 Cap. x[14]. 43 supra: cap. XXXI. 54 sedes Dei: cf. Is. LXVI[1]. 55 totum superius corpus: cf. Arist. *I De caelo* 7 (270 b 20) et *I Meteora* 3 (339 b 21).

[7] Porro si iuste egeris, quid donabis ei? Aut quid de manu tua accipiet? [8] Homini qui similis tui est nocebit impietas tua, et filium hominis adiuvabit iustitia tua. [9] Propter multitudinem calumniatorum clamabunt, et eiulabunt propter vim brachii tyrannorum. [10] Et non dixit: Ubi est Deus qui fecit me? Qui dédit carmina in nocte. [11] Qui docet nos super iumenta terrae, super volucres caeli erudit nos. [12] Illi clamabunt, et non exaudiet propter superbiam malorum. [13] Neque enim frustra exaudiet Deus, et Omnipotens singulorum causas intuebitur. [14] Etiam cum dixeris: Non considerat, iudicare coram illo et expecta eum.

quae in proximum fiunt subdit *Porro si iuste egeris*, scilicet ius suum proximis reddens, *quid donabis ei?*, quasi dicat: quid ipse ex hoc lucrabitur? Quantum autem ad opera divini cultus subdit *Aut quid de manu tua accipiet*, scilicet in sacrificiis et oblationibus? Quasi dicat 'nihil', secundum illud Psalmi «Non accipiam de domo tua vitulos».

Et quia posset aliquis credere quod ad Deum non pertineret utrum homo ageret iuste vel iniuste, ad hoc excludendum subdit *Homini qui similis tui est nocebit impietas tua*, qui scilicet susceptivus est nocumenti, *et filium hominis adiuvabit iustitia tua*, qui scilicet auxilio iustitiae indiget; propter hoc ergo prohibetur a Deo impietas et iustitia mandatur, quia Deo est de hominibus cura qui per hoc vel iuvantur vel laeduntur. Et ex hac fide contingit quod homines oppressi clamant ad Deum contra oppressores, quorum quidam dolose opprimunt per calumniam, unde subdit quantum ad hos *Propter multitudinem calumniatorum clamabunt*, scilicet ad Deum illi qui ab his oppressi sunt; quidam vero opprimunt manifeste per violentiam, et quantum ad hos subdit *et eiulabunt propter vim brachii tyrannorum*, idest plorabunt ad Deum propter violentam potentiam tyrannorum; ex quo datur intelligi quod non solum Deo non prodest quod aliquis peccat, sed ei displicet et punit, alioquin frustra clamarent oppressi.

Deinde convertit se ad improbandum aliud verbum quod praemiserat «Non tibi placet quod rectum est», quod divinae sapientiae repugnaret, quae primo quidem apparet in rerum creatione, unde dicit *Et non dixit*, scilicet Iob sentiens quod Deo bona non placerent: *Ubi est Deus qui fecit me?* Non enim Deus fecit res nisi propter bonum, unde dicitur Gen. 1[25] «Vidit Deus quod esset bonum» etc., unde manifestum est quod Deo placet bonum. Secundo inducit beneficium humanae instructionis quo aliqui instruuntur ad bonum ex revelatione divina, unde subdit *Qui dedit*, scilicet per revelationem, *carmina*, idest humanae instructionis dogmata quae ab antiquis multotiens carminibus comprehendebantur, *in nocte*, idest ad litteram in somnio nocturno, vel in quiete contemplationis seu obscuritate visionis; non autem erudiret homines ad bonum familiariter nisi bonum ei placeret. Tertio inducit infusionem naturalis luminis quo bonum a malo discernimus per rationem in qua excedimus bruta, unde subdit *Qui docet nos super iumenta terrae*, quae scilicet ratione carent; et quia antiqui avium garritus et motus observabant quasi divinitus instructarum ac si rationem haberent, ideo ad hoc excludendum subdit *super volucres caeli erudit nos*, quae etiam rationem non habent.

Et quia odit malum et placet ei bonum, ideo oppressos clamantes audit, oppressores non audit, unde subdit *Illi clamabunt*, scilicet calumniatores et tyranni, quasi petentes a Deo desideriorum suorum impletionem, *et non exaudiet*, scilicet Deus, et hoc *propter superbiam malorum*, scilicet hominum, secundum illud Psalmi «Respexit in orationem humilium». Et ne aliquis crederet Deum indifferenter omnes exaudire, subdit *Neque enim frustra*, idest sine ratione, *exaudiet Deus*, quia scilicet iustissima ratione hos exaudit et non illos, unde subdit *et Omnipotens singulorum causas intuebitur*, ut scilicet dignos exaudiat, non indignos. Maxime autem videtur quod Deus singulorum causas non videat ex hoc quod quandoque impii prosperantur, sed ad hoc excludendum subdit *Etiam cum dixeris*, idest in corde tuo cogitaveris: *Non considerat*, scilicet Deus, facta hominum, *iudicare coram illo*, idest praepara te ut iudicium eius suscipias, *et expecta eum*, scilicet in

68 proximis] —mo N Sv β^1 V^2 Pd π 89 eiulabunt *scripsi. cum Vulg.* β^1 sAs Va] iu. F iurabunt N γ^1 plorabunt Sv evitabunt V^2 ululabunt R evigilabunt vel *praem.* Pd evigilabunt π 90 violentam] —tiam N V^1 pAs —tiam et F^2 Pd π —tem F^3 (*def.* R) 102 esset] est *post* bonum N Sv γ^1 107 idest] *om.* N Sv δ(-Pd) scilicet Pd π 109 idest *om.* F γ^1 δ^1 π 109 somnio] sompno β^1 V^2 γ^1 δ π 113 luminis] hominis F N Sv Va 124 exaudiet] —dies F N Sv audies R 137 praepara te] preparare N Sv δ preparare te π

72 Ps. XLIX[8]. 96 Vers. 3. 107 humanae...comprehendebantur: cf. Tullius *IV Tuscul.* cap. 2. 116 antiqui: cf. supra cap. 28 258 nota. 126 Ps. CI[18].

15 Nunc enim non infert furorem suum nec ulciscitur scelus valde. 16 Ergo Iob frustra aperit os suum et absque scientia verba multiplicat.

futurum iudicantem etsi hic non puniat: tardat enim ut in futuro gravius damnet, unde subdit *Nunc enim*, idest in praesenti vita, *non infert furorem suum*, idest magnitudinem poenae, *nec ulciscitur scelus valde*, idest non punit in praesenti secundum quod exigit gravitas culpae, quia poenae praesentis vitae sunt ad correctionem et ideo illos quos correctione indignos iudicat futurae damnationi reservat: et haec est alia ratio quare impii in hoc mundo prosperantur, in quo concordat cum opinione Iob. Sed quia eius verba prave intellexerat ideo ea reprehendit concludens ex dictis: *Ergo Iob frustra*, idest sine ratione, *aperit os suum*, quasi prolixitatem sermonis in ipso reprehendens, *et absque scientia verba multiplicat*, in quo arguit in ipso ignorantiam et loquacitatem inutilem.

139 etsi) et F δ 145 illos *scripsi. cum* Pd π] illi *cet.* (*def.* F² V²)

CAPITULUM XXXVI

[1] Addens quoque Eliud haec locutus est: [2] Sustine me paululum et indicabo tibi, adhuc enim habeo quod pro Deo loquar. [3] Repetam scientiam meam a principio et operatorem meum probabo iustum. [4] Vere enim absque mendacio sermones mei, et perfecta scientia probabitur tibi. [5] Deus potentes non abicit cum ipse sit potens, [6] sed non salvat impios et iudicium pauperibus tribuit. [7] Non aufert a iusto oculos suos.

Addens quoque Eliud haec locutus est etc. Praemiserat Eliud supra duo in verbis Iob contra quae disputare intendebat, scilicet de hoc quod dicebat se esse iustum et quod Deo imposuerat iniquitatem iudicii, prout Eliud verba Iob interpretatus fuerat, et contra haec duo Eliud in superioribus iam disputaverat; nunc iterato per aliam viam contra eadem disputare intendit, unde dicitur *Addens quoque Eliud*, scilicet subsequentes rationes ad praemissas, *haec locutus est*, scilicet quae sequuntur. Inter quae primo eum ad attentionem excitat dicens *Sustine me paululum*, quia scilicet breviter sub una responsione contra duo praemissa disputare intendit, unde subdit *et indicabo tibi*, scilicet veritatem rei de qua agitur; et ne videatur superfluus, quia scilicet iam supra ostendisse videbatur quod volebat, subdit *adhuc enim habeo quod pro Deo loquar*, quasi dicat: adhuc mihi aliae suppetunt rationes quibus aequitatem divini iudicii defendam. Et quia contra utrumque praemissorum iterato intendit rationes inducere, subdit *Repetam scientiam meam a principio*, quasi dicat: contra totum id quod est a principio dictum iterato secundum meam sententiam rationes adducam: et quod huius rei sit debitor subdit *et operatorem meum*, idest Deum qui me fecit, *probabo iustum*, excludens scilicet iniquitatem ab eius iudicio quam tu Iob ei imponere videris ut te asseras iustum. Et ne aliquis diceret quod ea quae dicturus erat non ex vera scientia sed ex falsa opinione procedebant, subdit *Vere enim absque mendacio sermones mei*, quasi dicat: non sum dicturus nisi vera quae rectae scientiae conveniunt, unde subdit *et perfecta scientia probabitur tibi*, idest probationes sequentes tibi concludent ex his quae videntur pertinere ad perfectam scientiam.

His igitur quasi prooemialiter praemissis, incipit disputare super praemissis verbis quae Iob imponebat, et primo contra hoc quod Iob dixerat se esse iustum, ad quod excludendum hoc modo procedit. Iob prosperitatis tempore magnae potestatis erat; contingit autem quandoque quod aliqui potentes persequuntur vel propter invidiam vel propter timorem quo timent ne ab eis per potentiam opprimantur, quod quidem proprie est impotentum qui et potentibus invident et eorum oppressionibus timent; sed hoc de Deo dici non potest qui est in potentia excellens, unde subdit *Deus potentes non abicit cum ipse sit potens*, ex quo datur intelligi quod Deus nihil in homine odit in quo ei simulatur, quia cum Deus sit ipsa essentia bonitatis, non potest esse quod aliquid simuletur ei nisi in bono: ex quo patet quod Deus non persequitur aliquos quia sunt potentes sed quia in eis quandoque invenitur iniquitas, et pro hac puniuntur a Deo, unde subdit *sed non salvat impios*, idest damnat eos; et causam damnationis ostendit subdens *et iudicium pauperibus tribuit*, idest iudicium facit de potentibus iniquis pauperibus qui ab eis sunt oppressi. Non autem propter potentiam desistit a subventione iustorum, unde subdit *Non aufert a iusto*, scilicet homine etiam potente, *oculos suos*, idest prospectum suae benignitatis et misericordiae, secundum illud Psalmi « Oculi Domini super iustos ».

Et quod a potentibus si sunt iusti non auferat suam misericordiam, manifestat per beneficia quae potentibus confert, primo quidem stabiliendo po-

17 quod] quid (*post* Deo F) F V^2 As Va 21 scientiam] sententiam F Sv V^1 23 sententiam] scientiam V^2 γ^1 δ π
25 idest] et F V^2 26 scilicet *om.* β^1 V^2 45 eorum] de *praem.* β^1 γ^1 Va sPd π

2 supra: cap. XXXIII[9,10]. 6 in superioribus: cap. XXXIV et XXXV. 16 supra: ibid. 38 primo: cf. 'Postquam' lin. 232.
50 essentia bonitatis: cf. Dionys. ut supra cap. 17 55 nota. 62 Ps. XXXIII[16].

Et reges in solio collocat in perpetuum, et illi eriguntur. [8] Et si fuerint in catenis et vinciantur funibus paupertatis, [9] indicabit eis opera eorum et scelera eorum, quia violenti fuerunt. [10] Revelabit quoque aurem eorum ut corripiat, et loquitur ut revertantur ab iniquitate. [11] Si audierint et observaverint, complebunt dies suos in bono et annos suos in gloria; [12] si autem non audierint, transibunt per gladium et consumentur in stultitia. [13] Simulatores et callidi provocant iram Dei, neque clamabunt cum vincti fuerint. [14] Morietur in tempestate anima eorum, et vita eorum inter effeminatos.

testatem eorum, unde subdit *Et reges in solio collocat in perpetuum*, scilicet si fuerint iusti. Secundo quia eos promovet in maius, unde subdit *et illi*, scilicet in solio collocati, *eriguntur*, idest ad maiora exaltantur, dum scilicet Deus eis et potentiam et divitias auget. Tertio per hoc quod, etiam si puniti fuerint propter peccata, miseretur eorum si paenitere voluerint, unde subdit *Et si fuerint*, scilicet reges, *in catenis*, idest in carcere positi, *et vinciantur*, idest ligentur, *funibus paupertatis*, idest si in carcere positi paupertatem patiantur, quae est quoddam vinculum quo homines ligantur ne opera sua possint implere et insuper multis miseriis astringuntur: et tamen eis sic in miseria constitutis primo quidem Deus hoc beneficium confert quod eos recognoscere facit pristina peccata pro quibus puniti sunt, unde subdit *indicabit eis opera eorum*, idest faciet ut cognoscant ea quae fecerunt esse iniusta, unde subdit *et scelera eorum*, quasi dicat: faciet cognoscere quod opera quae fecerunt erant scelerata; et quantum ad quid peccaverint ostendit subdens *quia violenti fuerunt:* hoc enim est peccatum proprium potentum ut subditis violentias inferant, utentes sua potentia qua si lege iustitiae. Nec solum facit eos peccata sua praeterita cognoscere sed etiam ostendit eis quod pro suis peccatis puniuntur, unde subdit *Revelabit quoque aurem eorum*, idest faciet ut intelligant quod eis Deus puniendo loquitur, quod scilicet propter sua peccata puniuntur, unde subdit *ut corripiat*, quasi dicat: hoc faciet eos recognoscere quod Deus eos punivit ad correptionem. Et ulterius persuadebit eis quod paeniteant, unde subdit *et loquitur*, scilicet interius vel per exteriorem admonitorem, *ut revertantur ab iniquitate*, paenitendo scilicet a pristinis peccatis. Et huius paenitentiae fructum ostendit subdens *Si audierint*, scilicet corde proponentes, *et observaverint*, scilicet opere implentes, reducentur ad statum pristinum et ita *complebunt dies suos in bono*, scilicet virtutis vel prosperitatis terrenae, *et annos suos in gloria*, scilicet terrena; *si autem non audierint*, idest si non oboedierint interiori inspirationi ut paeniteant, *transibunt per gladium*, idest de carcere educentur ad occisionem gladii, *et consumentur*, idest destruentur, *in stultitia*, idest propter suam stultitiam. Ubi considerandum est quod Eliud in hoc videtur cum amicis Iob convenire quod ponit adversitates praesentes esse poenas peccatorum et quod per paenitentiam aliquis redit ad pristinam prosperitatem: hoc autem etsi aliquando contingat, non tamen semper, secundum opinionem Iob.

Sed quia quandoque contingit quod aliqui adversitates patiuntur quorum peccata non apparent, ne per hoc praedicta eius sententia elidatur, interpretatur eos simulatores esse quantum ad hoc quod praetendunt iustitiam quam non habent, et callidos inquantum scilicet astutiis quibusdam utuntur ad hoc quod sub colore iustitiae iniustitiam faciant, et ex hoc ipso gravius peccant, unde subdit *Simulatores et callidi provocant iram Dei*, quia scilicet hoc Deus magis detestatur; tales etiam non de facili paenitent etiam inter flagella quia se aestimant iustos sicut ab aliis laudantur, unde subdit *neque clamabunt*, scilicet ad Deum misericordiam petentes, *cum vincti fuerint*, scilicet catenis et funibus paupertatis: in quo dat intelligere quod aestimaverit Iob simulatorem et callidum fuisse, et ideo inter poenas peccatum suum recognoscat. Et quia tales non paenitent in poenis ideo ab adversitate non liberantur, unde subdit *Morietur in tempestate anima eorum*, quae scilicet usque ad mortem diversas angustias patietur, *et vita eorum*, scilicet deficiet, *inter effeminatos*, quibus scilicet non est virtus ut se de manu opprimentium liberent. Recte autem simulatores effeminatis comparat quia ex parvitate animi contingit quod homines sint simulatores: est enim proprium magnanimi esse manifestum, ut dicitur in IV Ethicorum. Et quia dixerat quod Deus potentibus in tribulatione constitutis subvenit, ne videatur Deum dicere acceptorem personarum ostendit quod idem etiam beneficium pauperibus confert,

75 positi] peccati β^1 V^2 87 peccaverint] —verunt Sv β^1 γ^1 δ π 89 violentias] —tiam N V^2 Pd π 99 admonitorem] —tionem Sv δ π 107 oboedierint] —diverint N V^2 γ^1 —diunt V^1 133 recognoscat] non *praem.* γ^1 sR sPd π

112 cum amicis: cf. infra cap. 37 380 nota. 121 callidos: cf. supra cap. 1 375. 143 Arist. *IV Ethic.* 10 (1124 b 26).

15 Eripiet pauperem de angustia sua, et revelabit in tribulatione aurem eius. 16 Igitur salvabit te de ore angusto latissime et non habente fundamentum subter se. Requies autem mensae tuae erit plena pinguedine. 17 Causa tua quasi impii iudicata est; causam iudiciumque recipies. 18 Non te ergo superet ira ut aliquem opprimas, nec multitudo donorum inclinet te. 19 Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, et omnes robustos fortitudine. 20 Ne protrahas noctem ut ascendant populi pro eis. 21 Cave ne declines ad iniquitatem: hanc enim coepisti sequi post miseriam.

unde subdit *Eripiet pauperem de angustia sua*, scilicet eum ab adversitate liberando; et ordinem liberationis ostendit subdens *et revelabit in tribulatione aurem eius*, idest faciet eum intelligere quod pro peccatis suis punitur et ad paenitentiam eum inducit, sicut et supra de potentibus dixit.

Ea autem quae supra communiter dixerat applicat ad personam Iob; et primo quidem, quia dixerat quod Deus in tribulatione salutem affert et pauperibus et potentibus, concludit quod etiam Iob huiusmodi salutem sperare potest a Deo cum subdit *Igitur salvabit te de ore angusto latissime*, idest de tribulatione quae est sicut quoddam foramen angustum per quod homo in quandam latitudinem diversarum miseriarum intrat: unum enim malum fit homini causa diversorum malorum, et huiusmodi malorum multiplicatio procedere potest usque ad infinitum ut numquam sit pervenire ad statum quietis, et hoc est quod subdit *et non habente fundamentum*, scilicet in quo homo possit quiescere, *subter se*, idest cum descenderit in profundum malorum, quod praecipue pertinere videtur ad poenas quae sunt post mortem, quae in perpetuum durant sine quiete. Non solum autem promittit ei liberationem a malis si peccatum recognoscere et paenitere voluerit, sed etiam abundantiam bonorum, unde subdit *Requies autem mensae tuae erit plena pinguedine*, quasi dicat: cum securitate et quiete comedere poteris abundanter de bonis quae tibi divinitus restituentur.

Et quia ostenderat quod «Deus potentes non abicit» sed iniquos, Iob autem videbatur a Deo abiectus per multiplices adversitates, subdit *Causa tua quasi impii iudicata est*, quasi dicat: non es punitus quia potens eras sed quasi impius; et contra hoc recompensationem sibi promittit si paenituerit, cum subdit *causam iudiciumque <recipies*, idest causa et iudicium> restituetur tibi ut possis aliorum causas discutere et de eis iudicare. Et quasi iam hoc factum esset monet eum qualiter in statu illo se debeat habere: contingit autem quandoque quod iudices a iustitia declinant propter iram, et quantum ad hoc dicit *Non te ergo superet ira ut aliquem opprimas* iniuste, quando scilicet «causam iudiciumque recipies». Quandoque vero iudices a iustitia declinant propter cupiditatem munerum, et quantum ad hoc subdit *nec multitudo donorum inclinet te*, in illo scilicet statu futurae auctoritatis. Contingit etiam quandoque quod aliquis ex sola superbia aliis iustitiam facere contemnat, et quantum ad hoc subdit *Depone magnitudinem tuam*, idest superbiam animi tui, *absque tribulatione*, idest antequam tibi tribulatio immittatur a Deo ad tuam humiliationem. Quandoque vero contingit quod iudices a iustitia declinant deferentes aliquibus potentibus propter timorem, et quantum ad hoc subdit *et omnes robustos fortitudine*, scilicet tua, deponas; vel quantumcumque robustos in sua fortitudine tu non dubites deponere per iustitiam. Quandoque autem contingit quod aliqui iudices a iustitia deficiunt parcentes propter suam quietem, unde subdit *Ne protrahas noctem*, idest ne velis nimis dormire ut expeditioni iustitiae non intendas; vel *Ne protrahas noctem*, idest non permittas diu latere iustitiam causae sed festina ut veritas manifestetur; et causam ostendit subdens *ut ascendant populi pro eis*, scilicet robustis, quasi dicat: non ita protrahas iudicium quousque totus populus concitetur ex violentiis robustorum et pro eorum iniuriis ad te inquietandum accedant; vel aliter *Ne protrahas noctem ut ascendant populi pro eis*, quasi dicat: ne differas iudicium contra robustos exercere, ne forte per suam potentiam inveniant multos fautores qui pro eorum defensione consurgant, et sic tuum iudicium impediatur. Omnia autem ista ad hoc tendunt ut in statu futurae prosperitatis iniustitiam vitet, unde subdit *Cave ne declines ad iniquitatem*, scilicet per aliquem praedictorum modorum vel aliquos alios. Posset au-

170 ei *scripsi. cum* β^1 sAs Pd π] eis *cet.* 171 voluerit] —rint F F^2 γ^1 Va 181 quasi] quia pN Sv V^1 As δ π 183 causam] causa γ^1 R 183 <recipies...iudicium> *coni. cum* Pd π] recipies β^1 Va *om. cet.* 184 restituetur tibi *om.* β^1 Va 208 Ne *scripsi. cum Vulg.* β^1 Pd π] non Sv neque R nec *cet.*

152 supra: vers. 5-12. 154 dixerat: vers. 8 et 15. 177 Vers. 5.

[22] Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus. [23] Quis poterit scrutari vias eius? Aut quis audet ei dicere: Operatus es iniquitatem? [24] Memento quod ignores opus eius de quo cecinerunt viri. [25] Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul. [26] Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram, numerus annorum eius inaestimabilis. [27] Qui aufert stillas pluviae et effundit imbres ad instar gurgitum

tem Iob dicere hanc admonitionem esse superfluam quia ipse solebat iustitiam diligenter exequi, sicut dixerat supra XXIX[14], et ideo Eliud subiungit *hanc enim*, scilicet iniquitatem, *coepisti sequi post miseriam*, scilicet in hoc quod te reputas Deo iustiorem, et ideo cavendum est tibi ne ad iniustitiam declines si te contingat ad statum prosperitatis redire.

Ecce Deus excelsus in fortitudine sua etc. Postquam Eliud improbaverat verba Iob quantum ad hoc quod se iustum dicebat, hic nititur improbare verba eius quantum ad hoc quod credebat eum locutum esse contra iustitiam divini iudicii. Unde primo proponit sublimitatem divinae potestatis cum dicit *Ecce Deus excelsus in fortitudine sua*, idest habet potestatem ceteris sublimiorem: non est autem rationi consonum ut maior potestas a minori de iniustitia condemnetur. Secundo proponit eius auctoritatem cum subdit *et nullus ei similis in legislatoribus*, quia scilicet «legum conditores» per eius sapientiam «iusta decernunt», ut dicitur Prov. VIII[15], unde nullius legibus potest ipse de iniustitia condemnari, quin potius sua sapientia est regula et mensura omnium legum. Tertio proponit incomprehensibilitatem operum eius cum subdit *Quis poterit scrutari vias eius*, idest sufficienter invenire rationes operum ipsius? Et ex hoc quasi concludit quod non potest de iniustitia condemnari, unde subdit *Aut quis audet ei dicere: Operatus es iniquitatem?* Ad hoc enim quod aliquis de iniquitate condemnetur, requiritur quod sit subiectus superiori potestati et quod alienis legibus astringatur et quod eius opera cognoscantur, quae in Deo locum non habent, ut dictum est.

Consequenter manifestare incipit quod vias Dei, idest opera eius, homo scrutari non possit, dicens *Memento quod ignores opus eius de quo cecinerunt viri*, idest sapientes, quos viros nominat propter animi virtutem; dicit autem *cecinerunt*, propter antiquam sapientum consuetudinem qui metrice divina et philosophica describebant. Quantumcumque autem homines aliqui sint sapientes non possunt pertingere ad cognoscendam et enarrandam essentiam eius, sed tota hominis cognitio et sermo est de Deo per opera eius, quae tamen neque Iob neque aliquis alius homo perfecte cognoscere potest, et ideo subdit *Omnes homines vident eum*, scilicet per sua opera: nullus enim adeo in sapientia deficit quin aliqua divinorum operum percipiat. Et rursus nullus est adeo sapiens cuius cognitio non multum vincatur ab excellentia claritatis divinae, unde subdit *unusquisque intuetur procul*, idest cognitio hominis longe distat a perfecta comprehensione divinae essentiae, tum quia non potest homo nisi per opera cognoscere quae in infinitum distant ab excellentia essentiae eius, tum quia etiam opera eius perfecte homo non cognoscit. Et ex hoc concludit quod Deus per suam excellentiam hominis cognitionem excedit, unde subdit *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram:* quod enim a nobis perfecte Deus cognosci non possit non contingit propter defectum ipsius, sicut contingit de motu et tempore, sed propter eius excellentiam. Posset autem aliquis dicere quod quamvis de Deo non possimus cognoscere quid sit, possumus tamen cognoscere de Deo an est, quod pertinet ad eius durationem; sed quod hoc etiam excedat hominis cognitionem ostendit subdens *numerus annorum eius inaestimabilis*, quia videlicet aeternitas durationis ipsius humano intellectu comprehendi non potest.

Ostendit autem consequenter magnitudinem operum Dei quae humanam rationem excedunt, enumerans diversas aeris transmutationes, qui quandoque per siccitatem disponitur, et quantum ad hoc dicit *Qui aufert stillas pluviae*, scilicet impediendo ne pluat; quandoque vero in aere abundant pluviae, quarum magnitudinem describit dicens *et effundit imbres ad instar gurgitum*, qui scilicet fluunt in terra. Et huiusmodi abundantia pluviae admirabilis appareret si consideretur pluviarum origo, ut scilicet tanta aqua prorumpat de nubibus quae soliditatem non habent, et quantum ad hoc subdit *qui*, scilicet gur-

287 possimus] possumus N Sv V[1] F[2] δ π

232 Postquam...hic: cf. supra lin. 38. 250 operum ipsius: cf. supra cap. 26 199 nota. 257 dictum est: lin. 239, 245 et 248. 259 opera eius: cf. lin. 250. 262 propter antiquam...: cf. supra cap. 35 107 nota. 275-280 cognitio...cognoscit: cf. supra cap. 11 51. 285 de motu et tempore: cf. Thomas *Super II Metaph.* 1 (993 b 7). 291 aeternitas...: cf. supra cap. 24 15.

[28] qui de nubibus fluunt, quae praetexunt cuncta desuper. [29] Si voluerit nubes extendere quasi tentorium suum, [30] et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet. [31] Per haec iudicat populos et dat escas multis mortalibus.

gites, *de nubibus fluunt*, non tamen ita quod in actu tanta pluvia in nubibus existat sed quia ipsi vapores nubium successive in pluvias condensantur. Est autem et aliud in pluviis mirabile quod longo spatio terrarum superfunduntur, unde subdit *quae praetexunt cuncta desuper*, scilicet loca in regione in qua pluit ut nulla pars illius terrae remaneat non compluta. Consequenter de ipsis nubibus loquitur dicens *Si voluerit nubes extendere quasi tentorium suum*, quia scilicet per nubes occultatur caelum quod est sedes Dei sicut sedes alicuius hominis occultatur tentorio. De nubibus autem procedunt fulgura propter collisionem venti, unde subdit *et fulgurare lumine suo desuper;* nubes autem quandoque contegunt caelum usque ad horizontem alicuius regionis infra quam extremitates maris claudi videntur: *cardines quoque maris operiet*, scilicet tentorio nubium. Dicit autem *si voluerit* ut ostendat divinam voluntatem principium esse naturalium operum; est autem proprium voluntatis ut propter finem operetur, et ideo finem horum operum ostendit subdens *Per haec iudicat populos*, quantum scilicet ad eos qui per haec puniuntur, *et dat escas multis mortalibus*, quantum ad hoc scilicet quod pluviae sunt utiles ad terrae fecunditatem per quam hominibus cibaria nascuntur.

306 in actu *scripsi. cum* γ^1 δ^1 π (*cf. proxima notatio*)] *om.* F^2 actu *cet.* 307 pluvia] in actu *add.* N β^1 V^2 320 infra quam] infra quem N Sv V^2 R ita quod Va 321 videntur] iubentur F N V^1 V^2

316 sedes Dei: cf. Is. LXVI[1]. 317 propter collisionem venti: cf. Arist. *II Meteora* cap. 9 (369 a 28) et Albertus *III Meteora* tr. 3 c. 5.

CAPITULUM XXXVII

Cap. XXXVI [32] In manibus abscondit lucem, et praecipit ei ut rursus adveniat. [33] Annuntiat de ea amico suo quod possessio eius sit et ad eam possit ascendere.

Cap. XXXVII [1] Super hoc expavit cor meum et motum est de loco suo. [2] Audiet auditionem in terrore vocis eius et sonum de ore illius procedentem.

In manibus abscondit lucem etc. Prosecutus est Eliud supra de mutatione aeris quae fit secundum siccitatem et pluviam, et secundum nubium superinductionem ex quibus Deus lumine suo fulgurat; nunc autem de ipso lumine quod a nubibus quandoque occultatur et quandoque reseratur, et de tonitruo quod ex nubibus oritur, latius prosequitur, et incipit a lumine dicens *In manibus abscondit lucem*, idest per opera virtutis suae facit ut quandoque lux solis et stellarum nubibus occultetur; sed quia haec occultatio non est perpetua sed ad tempus, subdit *et praecipit ei ut rursus adveniat*, videlicet discedentibus nubibus; vel possunt haec verba referri ad obtenebrationem et illuminationem aeris per solis occasum et reditum. Est autem considerandum quod sensibilia sunt quaedam intelligibilium signa, unde per effectus sensibiles in cognitionem intelligibilium devenimus; inter omnes autem sensibiles effectus spiritualior est lux, unde et efficacior est ad perducendum in intelligibilium cognitionem, inquantum scilicet visus, cuius cognitio per lucem perficitur, plurimum intellectualem cognitionem iuvat: quia igitur ista lux sensibilis ex potestate Dei hominibus occultatur et communicatur, datur per hoc intelligi quod apud ipsum sit quaedam excellentior lux, scilicet spiritualis, quam Deus in praemium virtutis hominibus reservat, unde subdit *Annuntiat de ea*, scilicet luce per corporalem significata, *amico suo*, scilicet virtuoso, quem Deus amat, *quod possessio eius sit*, idest quod illa lux spiritualis sit thesaurus quem Deus amicis suis reservat in praemium, *et ad eam possit ascendere*, scilicet per opera virtutum ipsam promerendo et ad eam possidendam se praeparando; quamvis etiam hoc posset exponi de luce corporali: posuerunt enim Platonici quod animae hominum derivabantur ab animabus stellarum, unde quando animae humanae suam dignitatem servant secundum rationem vivendo, revertuntur ad claritatem stellarum unde defluxerunt; unde in Somnio Scipionis legitur quod civitatum «rectores et servatores hinc profecti», scilicet a caelo, «huc reverturtur». In quo etiam dat intelligere quod non ponebat ultimam remunerationem virtutis in temporalibus bonis sed in bonis spiritualibus post hanc vitam. Hoc autem est inter omnia maxime admirandum quod homo terrenus et corruptibilis ad spiritualium vel caelestium possessionem promoveatur, et ideo subdit *Super hoc*, scilicet quod homo possit ascendere ad lucem possidendam, *expavit cor meum*, timore scilicet admirationis et stuporis, *et motum est de loco suo*, ut scilicet non solum desideret et concupiscat quae videntur ei connaturalia secundum sensibilem vitam sed etiam ad spiritualia et caelestia transferatur.

Post visum autem qui est cognoscitivus lucis corporalis, maxime deservit intellectui auditus inquantum est perceptivus vocum quibus intellectuales conceptiones exprimuntur; sicut autem per visionem lucis corporalis homo reducitur in cognitionem et expectationem cuiusdam altioris lucis, ita etiam per auditum corporalium sonorum divina virtute formatorum homo manuducitur ad audiendum spiritualem Dei doctrinam, unde subdit *Audiet*, scilicet homo a Deo, *auditionem*, scilicet spiritualis doctrinae, *in terrore vocis eius*, idest in signo tonitrui, quod est quasi quaedam terribilis vox Dei. Auditionem autem praedictam exponit subdens *et sonum de ore illius procedentem:* sonus enim tonitrui corporalis est quasi manu eius, idest potestate, formatus, sed sonus ex ore eius procedens est doctrina sapien-

13 discedentibus] descendentibus F Sv F^2 δ 20 in] *om.* β^1 V^2 ad F^2 et pPd 41 a] e F^2 V^2 γ^1 (*def.* F) 52 connaturalia] corporalia β^1 δ

2 supra: cap. XXXVI[27-30]. 19 lux: cf. Thomas *Super IV Sent.* d. 49 q. 4 a. 5 qc. 3 ad 3. 21 visus: cf. supra cap. 7 161 nota. 35 Platonici: cf. Macrobius *I In somn. Scipionis* cap. 14. 40 Ibid. cap. 9. 48 Hic incipit cap. XXXVII sec. ed. Clementinam Vulg.; cf. Praef. § 145. 56 auditus: cf. supra cap. 12 176 nota.

[3] Super omnes caelos ipse considerat, et lumen illius super terminos terrae. [4] Post eum rugiet sonitus, tonabit vocem magnitudinis suae, et non investigabitur cum audita fuerit vox eius. [5] Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit magna et inscrutabilia, [6] qui praecipit nivi ut descendat super terram et pluviis hiemis et imbribus fortitudinis suae, [7] qui in manu omnium hominum signat ut noverint singuli opera sua. [8] Ingredietur bestia latibulum suum et in antro suo morabitur. [9] Ab interioribus egredietur tempestas et ab Arcturo frigus.

tiae eius, secundum illud Eccli. XXIV[5] «Ego ex ore Altissimi prodii».

Et ne aliquis crederet Deum non habere aliam superiorem lucem quam sit lux corporalis caeli, hoc excludit subdens *Super omnes caelos ipse considerat*, quasi dicat: eius visio non est infra caelum sed supra caelum; nihil autem videtur nisi in aliquo lumine, quia «omne quod manifestatur lumen est», ut dicitur Eph. V[13], unde necesse est quod lux Dei sit excellentior ista luce corporali quae primo invenitur in caelis, unde subdit *et lumen illius*, scilicet intelligibile, est *super terminos terrae*, idest super omnem corpoream creaturam. Et sicut lux corporea caeli est infra ipsum, ita etiam et sonus tonitrui corporalis est inferior ipso, unde subdit *Post eum*, idest sub ipso, *rugiet sonitus*, scilicet tonitrui corporalis. Habet autem aliam vocem spiritualem, scilicet sapientiae doctrinam, quae est homini incomprehensibilis, de qua subdit *tonabit vocem magnitudinis suae*, idest quae docet magnitudinem eius, et hanc vocem non omnes audiunt sicut tonitruum corporale; et illi qui aliqualiter audiunt eam comprehendere non possunt, unde subdit *et non investigabitur*, scilicet perfecte, *cum audita fuerit*, idest percepta spiritualiter ab aliquo homine, *vox eius*, idest sapientiae doctrina.

Huiusmodi autem vox non solum ordinatur ad doctrinam hominum qui eam audiunt sed etiam ad perfectionem naturalium operum quae ex praecepto divinae sapientiae fiunt, unde secundo repetit *Tonabit Deus in voce sua*, idest in imperio sapientiae suae, *mirabiliter*, idest mirabiles effectus producendo, et hoc est quod subdit *qui facit magna*, scilicet secundum eorum naturam, *et inscrutabilia*, scilicet rationi humanae. Enumerationem incipiens subdit *qui praecipit nivi*, scilicet voce sapientiae suae, *ut descendat super terram*, quia scilicet ex eius imperio nives generantur, et etiam pluviae et imbres, unde subdit *et pluviis hiemis*, quae scilicet in hieme abundant, *et imbribus fortitudinis suae*, qui scilicet ex aliqua vehementiori causa generantur et cum impetu venti. Et quia omnia quae in rebus inferioribus fiunt ad homines quodammodo ordinantur, ideo subdit *qui in manu omnium hominum signat ut noverint singuli opera sua;* diversis enim hominum operibus diversae dispositiones aeris congruunt: aliud enim est opus noctis et aliud diei, rursumque aliud opus exercet homo tempore serenitatis et aliud tempore pluvioso; quod autem opus cuilibet tempori congruat discernit homo secundum rationem sibi divinitus datam, et hoc est signum quod Deus posuit in manu, idest in operativa virtute, omnium hominum ut sciant congrue distribuere sua opera diversis temporibus. Et ista providentia usque ad animalia bruta protenditur quae quodam naturali instinctu diversis temporibus diversa operantur, unde subdit *Ingredietur bestia latibulum suum*, scilicet tempore pluvioso, *et in antro suo morabitur*, scilicet tempore congruo.

Deinde ostendit effectus diversorum ventorum; circa quod considerandum est quod meridionales venti pluvias et tempestates producunt, venti autem septentrionales causant frigus in aere; meridionales autem venti oriuntur nobis ex parte quae est versus polum antarcticum, qui occultatur a nobis utpote depressus sub nostro horizonte secundum quantitatem qua polus arcticus super horizontem elevatur, et ideo dicit *Ab interioribus egredietur tempestas*, quasi dicat: tempestas apud nos causatur per ventum procedentem a parte caeli quae semper deprimitur sub nostro horizonte, qui quidem ventus dicitur auster. Et quantum ad aquilonem subdit *et ab Arcturo frigus:* Arctos enim in graeco dicitur pars septentrionalis, unde Arcturus vocatur constellatio Ursae quae semper elevatur super horizontem, et ex illa parte procedit aquilo qui causat

89 vocem] voce γ^1 δ π 90 docet] decet F V^2 δ(-Pd) 101 in[2] *om.* F Sv β^1 γ^1 Pd 105 Enumerationem] enumerari F enarrationem Sv et horum *praem.* β^1 et horum numerationem γ^1 quam actionem δ^1 et horum manifestationem π 120 secundum] per F δ π 123 sciant *scrips. cum* β^1 Va] sciat *cet.* 137 qua *scrips. cum* F^2 γ^1] quo *cet.*

112 omnia...ordinantur: cf. Arist. *I Polit.* 6 (1256 b 20) ut refert Thomas *II-II* q. 66 a. 1; vide supra cap. 14 281. 132 venti: cf. Isid. *De nat. rerum*, cap. 37 (PL 83,1007) et Albertus *III Meteora* tr. 1 c. 2. 135 occultatur: cf. supra cap. 9 253 nota. 143 Arctos: cf. Isid. *III Etymol.* cap. 71 n. 6 (PL 82,179). 144 Arcturus: cf. supra cap. 9 240 nota.

[10] Flante Deo concrescit gelu, et rursum latissimae fluunt aquae. [11] Frumentum desiderant nubes, et nubes spargunt lumen suum. [12] Quae lustrant cuncta per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod praeceperit illis super faciem orbis terrae, [13] sive in una tribu, sive in terra sua, sive in quocumque loco misericordiae suae eas iusserit inveniri. [14] Ausculta enim, Iob,

frigus propter remotionem solis ab illa plaga caeli. Et ut hoc attribuatur divinae sapientiae, subdit *Flante Deo concrescit gelu*, quasi dicat: ventus aquilo qui causat gelu oritur Deo flante, idest ipsum flatum causante; *et rursum*, scilicet Deo flante, idest producente ventum australem, *latissimae*, idest abundantissimae, *fluunt aquae*, scilicet pluviarum quae causantur ex austro.

Et ut huiusmodi etiam effectus ad utilitatem hominum referri ostendat, subdit *Frumentum desiderant nubes*, quasi dicat: nubes ordinantur ad frumentum sicut ad quendam finem propter quem sunt utiles; quaelibet autem res desiderat suum finem, et pro tanto dicit quod nubes desiderant frumentum quia videlicet ex nubibus utilitas frumento provenit, vel ratione pluviae ex nube descendentis quae irrigando terram fecundat eam ad productionem frumenti, vel etiam quantum ad hoc quod utile est frumento quod aliquando nubibus obumbretur ne desiccetur continuis solis ardoribus. Subiungit aliam utilitatem nubium cum dicit *et nubes spargunt lumen suum*, quod potest referri vel ad lumen coruscationum, secundum id quod supra in praecedenti capitulo praedixerat «Si voluerit extendere nubes et fulgurare lumine suo»; vel magis potest referri ad lumen quod resplendet in aere ex radiis solis reverberatis ad nubes et quodammodo contemperatis per ipsas: unde claritas solis apparet in aere ante ortum solis et etiam post occasum propter reverberationem radiorum solis ad nubes quae sunt in loco sublimiori, ad quas citius accedunt radii solares et tardius eas deserunt.

Posita autem utilitate nubium describit earum motum dicens *Quae lustrant cuncta per circuitum:* non enim nubes super unam tantum partem terrae resident ex qua vapores sunt elevati, sed ventorum impulsu ad diversas partes transferuntur; solent autem venti ut plurimum gyrum quendam facere sequentes motum solis, unde in mane flant venti orientales et postea meridionales et tandem versus vespere occidentales: unde et ex consequenti nubes circuitu quodam moventur. Et ut ostendat hoc ex providentia divina procedere, subdit *quocumque eas voluntas gubernantis*, scilicet Dei, *duxerit*, quia scilicet non semper ad omnes partes terrae nubes perveniunt sed quandoque ad hanc quandoque ad illam secundum Dei dispositionem. Procedunt autem ex nubibus diversi effectus, puta pluviae, nives, grandines, tonitrua et similia; et sicut ex divina dispositione dependet ad quam partem terrae nubes perveniant, ita etiam ex ea dependet quis effectus ex nubibus consequatur, unde subdit *ad omne quod praeceperit illis super faciem orbis terrae*, quasi dicat: ex praecepto divino dependet quis effectus sequatur ex nubibus super terram. Et quia dixerat «quocumque eas voluntas gubernantis duxerit», hoc exponit subdens *sive in una tribu*, quia scilicet contingit quandoque quod in uno territorio nubes apparent et in alio non apparent, secundum illud Amos IV[7] «Plui super unam civitatem et super alteram civitatem non plui»; et hoc dupliciter contingit, quia quandoque nubes apparent in eadem regione ex qua vapores generantur, quod contingit quando ex impulsu venti ad loca remota vapores non transferuntur, et quantum ad hoc dicit *sive in terra sua*, scilicet nubium unde sunt exortae; quandoque vero transferuntur ad aliam regionem, et quantum ad hoc subdit *sive in quocumque loco misericordiae suae eas iusserit inveniri:* ex magna enim Dei misericordia procedit quod nubes et pluvias alicui regioni provideat temporibus opportunis, et praecipue in terris calidis ubi sunt pluviae rariores.

Ausculta enim, Iob etc. Postquam Eliud multa mirabilia operum divinorum narraverat, hic invehitur contra Iob qui Deum de iniustitia arguere videbatur cum tamen eius opera comprehendere non posset, et ideo dicit *Ausculta enim, Iob*, quae scilicet

151 Deo] de F V^1 Va (*def.* F^3) 153 fluunt] funduntur *cum Vulg.* δ(-R) π 155 etiam] *om.* F V^2 F^3 scilicet As 174 unde] etiam *add.* β^1 V^2 δ(-Pd) et *add.* Pd π 177 quas *scrips. cum* F^2 R π] quam F V^1 V^2 γ^1 Va quem N Sv aquas Pd 179 earum *scrips. cum* F^2 F^3 Va] eorum *cet.* 191 omnes partes] omnem partem N Sv β^1 V^2 δ(-Pd) perveniunt *scrips. cum* R (*cf. lin.* 196)] pervenerint Va proveniunt *cet.* 196 perveniant] proveniant F γ^1 199 praeceperit] precepit β^1 V^2 Va perfecit Sv (*def.* R) 199 illis *scrips. cum Vulg.* F^2 δ(*def.* R) π] i. F yris N Sv iris V^2 iri. γ^1 vel V^1 209 quando] —doque F N Sv F^2 δ^1 211 scilicet] *om.* N β^1 V^2 Va seu R (*def.* Sv Pd) 219 enim] *om.* F hiis V^1 hoc Va hec *cum Vulg.* F^2 Pd π 223 enim] *om.* F δ^1 hec *cum Vulg.* β^1 Va π (*def.* F^2)

170 Cap. XXXVI[29]. 184 sequentes motum solis: cf. Arist. *II Meteora* cap. 6 (364 b 14). 201 Vers. 12.

sta et considera mirabilia Dei. [15] Numquid scis quando praecepit Deus pluviis ut ostenderent lucem nubium eius? [16] Numquid nosti semitas nubium, magnas et perfectas scientias? [17] Nonne vestimenta tua calida sunt cum perflata fuerit terra austro? [18] Tu forsitan cum eo fabricatus es caelos qui solidissimi quasi aere fundati sunt? [19] Ostende nobis quid dicamus illi, nos quippe involvimur tenebris. [20] Quis narrabit ei quae loquor? Etiam si locutus fuerit homo devorabitur.

a me dicuntur de magnitudine divinorum operum, *sta*, scilicet per mentis rectitudinem, *et considera*, scilicet per te ipsum, *mirabilia Dei*, quae scilicet in eius operibus manifestantur. Inter quae mirabilia a pluviis incipit, quas quidem sensibiliter homines percipiunt, sed tamen earum primam originem secundum quod a Deo sunt institutae scientia comprehendere non potest, unde subdit *Numquid scis quando praecepit Deus pluviis*, quae scilicet ex divina ordinatione super terram cadunt? Et post earum casum aer, qui prius erat tenebrosus ex densitate nubium, eis rarescentibus redditur clarus, unde subdit *ut ostenderent*, scilicet pluviae cadentes, *lucem nubium eius?*, idest lucem solis per nubes rarefactas splendentem quae per nubes condensatas occultabatur. De quarum motu subdit *Numquid nosti semitas nubium*, quomodo scilicet et ex qua causa ad diversas partes propellantur flatu ventorum? Nubium autem cognitio est principium cognoscendi omnes aeris permutationes, puta ventos, pluvias, nives, grandines, tonitrua et cetera huiusmodi, et ideo subdit *magnas et perfectas scientias?*, magnas quidem propter hoc quod huiusmodi impressiones in sublimiori corpore fiunt, perfectas autem quia nubium scientia comprehendit omnem notitiam praedictarum impressionum et effectuum qui ex eis consequuntur in his inferioribus. Et quia nubes a ventis impelluntur, consequenter de effectu venti subiungit dicens *Nonne vestimenta tua calida sunt cum perflata fuerit terra austro?*, ventus enim auster quia procedit ex regionibus calidis aerem calefacit, ex cuius calore vestimenta hominis magis eum calefacere possunt; et signanter facit mentionem de effectu austri quia ipse quasi ab imo veniens vapores congregando condensat in nubes et eas movet, aquilo vero quasi ab alto veniens magis eas dispergit.

Et quia ad omnes huiusmodi effectus virtus caelestium corporum operatur, ideo ulterius procedit usque ad caelestia corpora, unde subdit *Tu forsitan cum eo fabricatus es caelos?*, in quo metaphorice causalitatem Dei super caelestia corpora exprimit; nam sicut artifex est causa fabricae ita Deus est causa caelestium corporum, aliter tamen et aliter: nam artifex fabricam constituit ex materia praeiacente, caelestia autem corpora ex materia praecedenti fieri non potuerunt sed simul in eorum productione fuit materia cum forma producta. Et ut distingueret superiores caelos a caelis qui dicuntur aerei, subiungit *qui solidissimi quasi aere fundati sunt;* sciendum est autem quod apud nos quaedam corpora sunt quae cedunt tangenti et a transeuntibus dividi possunt, sicut aer et aqua et huiusmodi, quaedam vero non cedunt tangenti nec pertransiri possunt, sicut corpora lapidum et metallorum: et ideo ut ostendat superiores caelos non esse divisibiles aut pertransibiles ad modum aeris et aquae, comparat eos aeri praecipue inter cetera metalla quia eo ut plurimum homines ad talia opera utebantur.

Haec autem ad diabolum litteraliter referri non possunt, quasi ipsi <daemones> ad modum animalium corporaliter coeant quasi ipso coitu delectati: etsi enim, ut Augustinus dicit in XV De civitate Dei, quidam «incubi saepe dicantur extitisse mulieribus improbi et earum appetisse ac peregisse concubitum», non tamen hoc agunt quasi coitu delectati, sed delectantur ad hoc quod homines ad peccata talia inducunt ad quae maxime sunt proni; unde Augustinus dicit in II De civitate Dei «Quis non intelligat quantum moliantur maligni spiritus exemplo suo auctoritatem praebere sceleribus?», et propter hoc, ut ipse in eodem libro alibi dicit, «huiusmodi spiritus luxuriae obscenitatibus delectantur», quae quidem eorum delectatio metaphorice in verbis praemissis exprimitur. Et quia propter concupiscentiam carnis secundum hoc vitium maxime possunt homines superare, ideo dicit *Fortitudo eius in lumbis eius*, ut hoc referatur ad viros, *et virtus illius in umbiculo ventris eius*, ut hoc referatur ad mulieres; *stringit caudam suam quasi cedrum*, quia quos in hoc peccatum deicit dulcedine voluptatis finaliter ligatos tenet, *nervi testiculorum eius perplexi sunt*, quia si aliquis in hoc vitium deiectus evadere nititur, diversis occasionibus iterato irretitur.

Tertio describit motum elephantum, de quibus dicitur quod habent inflexibiles pedes, tibias et crura propter pondus corporis sustentandum, et «habent ossa solida sine iuncturis»; et ad hoc designandum dicit *Ossa eius velut fistulae aeris*, quia flecti non possunt sicut nec fistulae aeris, et hoc refertur ad exteriora organa motus quae sunt tibiae et crura; interiora autem organa motus sunt cartilagines quaedam et nervi, quae etiam in elephantibus non facile flectuntur, et quantum ad hoc subdit *cartilago ipsius quasi laminae ferreae*, quae scilicet incurvari et extendi non possunt: et per hoc significatur obstinatio diaboli qui a proposito suae malitiae retrahi non potest, et crudelitas eius per quam ab exteriori hominum nocumento non cessat.

Haec autem quae figuraliter dicta sunt exponit Dominus subdens *Ipse*, scilicet Satan de quo praedicta metaphorice dicta sunt, *est principium viarum Dei*, idest operum eius. Et si quidem hoc referatur ad opera creationis, hoc ea ratione dicitur quia Satan inter primas creaturas est conditus, vel etiam quia secundum quosdam fuit excellentior inter ceteras creaturas; sed convenientius proposito videtur ut per vias Dei intelligamus opera providentiae eius. Considerandum est autem quod Deo unum solum opus est proprium suae bonitati conveniens, scilicet benefacere et miserere; quod autem puniat et adversitates inducat, hoc contingit propter malitiam creaturae rationalis, quae primo est in diabolo inventa et per eius suggestionem est ad homines derivata, et ideo signanter dicit quod *ipse est principium via-*

332 considens *scripsi. cum* As π] concidens F F^3 Va concides N V^2 concites β^1 consistens Sv concidentis R concitens Pd 347 ipsi] ipse F ipsa F^2 <daemones> *suppl.*] *om. codd.* 348 coeant] coeat F coeunt Sv delectati] —tatur F —tentur F^2 —tanti V^2 delanti N 351 ac peregisse *scripsi. cum* F V^1] ac percisse N ac pereisse V^2 et peciisse Va et perfecisse δ^1 π *om.* F^2 γ 356 intelligat] —gant F N —git F^3 364 illius] eius F γ (*def.* F^2) 371 elephantum *scripsi.*] —tium Va —tis *cet.* 371 quibus] quo F F^2 Sv δ^1 372 habent] habet F F^2 Sv 373 habent] habet F F^2 384 exteriori] —orum F N β^1 V^2 397 miserere] —reri β^1 γ δ π

328 ex renibus: cf. Albertus *II De animal.* tr. 2 c. 3 n. 112 (St 1,272). 331 *V De hist. animal.* cap. 2 (540 a 21), sec. transl. Guillelmi (ms. f. 24vb). 344 *III De hist. animal.* cap. 1 (510 a 15). 349 Cap. 23 (PL 41,468). 355 Cap. 25 (PL 41,73). 358 Cap. 4 (PL 41,50). 372 habent...iuncturis: Thomas Cantimpr. *IV De nat. verum* (ms. f. 59va-vb). 391 inter primas creaturas: cf. supra lin. 292 nota. 392 quosdam: Gregor. *II In Evang.* hom. 34 (PL 76,1250 B) sec. Thomam *I Pars* q. 63 a. 7 sed c.; vide etiam *XXXII Moral.* cap. 23 (PL 76,665 C).

Qui fecit eum applicabit gladium eius. [15] Huic montes herbas ferunt, omnes bestiae agri ludent ibi. [16] Sub umbra dormit in secreto calami in locis humentibus. [17] Protegunt umbrae umbram eius, circumdant eum salices torrentis. [18] Absorbebit fluvium et non mirabitur, habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius.

rum Dei, idest quod Deus diversis viis utatur, scilicet benefaciendo et puniendo. Et ne credatur sic esse principium viarum Dei quod per se ipsum sit potens ad nocendum, hoc excludit subdens *Qui fecit eum*, scilicet Deus, *applicabit gladium eius*, idest noxiam operationem ipsius; voluntas autem nocendi est diabolo a se ipso, propter quod dicitur gladius eius, sed effectum nocendi non habet nisi ex voluntate vel permissione divina. Et quia dixerat quod «fenum sicut bos comedit», ostendit unde fenum accipiat ad edendum, unde subdit *Huic montes herbas ferunt*, per quod intelligitur quod sublimes in hoc saeculo et superbi afferunt diabolo suae delectationis seu refectionis materiam. Et quomodo hoc sit, ostendit subdens *omnes bestiae agri ludent ibi:* sicut enim ad litteram in montibus silvestria animalia congregantur ad securitatem et otium, ita sub quadam sublimium virorum protectione homines bestialiter saevientes securi requiescunt, quod significatur Dan. IV[9] ubi dicitur quod «subter arborem», per quam significatur regia dignitas, «habitabant animalia et bestiae».

Deinde describit mansionem ipsius. Ubi considerandum est quod, sicut Aristotiles dicit in V Animalium, «elephantes in solitudinibus manent et maxime circa fluvios»; et quia circa fluvios solent esse arundineta et salices et loca umbrosa, ideo ad designandam elephantis mansionem dicit *Sub umbra dormit in secreto calami in locis humentibus*. Et quia hoc animal non qualemcumque umbram <quaerit> sed condensam, subdit *Protegunt umbrae umbram eius*, ut scilicet inferior umbra per superiorem umbram contra aestum defendatur; et causam faciem tem umbram designat subdens *circumdant eum salices torrentis*, nam salices densiorem umbram faciunt et frigidiorem quam arundines. Inhabitat autem ad litteram hoc animal umbrosa loca, quia est animal melancholicum et siccae complexionis et habitat in terris calidis, unde <contra> calorem et siccitatem aestus quaerit refrigerium humiditatis et umbrae.

Per quod designatur quod gladius diaboli non solum effectum habet in montibus, idest in superbis, qui ei et ipsi herbas ferunt et bestias agri ludentes sustinent, sed etiam in hominibus qui in otio quasi in umbra vivunt, quam sibi multiplici studio continuare procurant ut sic umbrae protegant umbras, et qui in deliciis quasi in locis humentibus nutriuntur.

Propter eandem autem causam propter quam hoc animal humentia et umbrosa loca quaerit, etiam multum de aqua potat, unde Aristotiles dicit in VII De animalibus quod «iam quidam elephas bibit aquae metretas macedonicas quatuordecim pro semel et iterum sero alias octo»; et ideo ad describendum magnitudinem potus eius subdit *Absorbebit fluvium et non mirabitur*, quia scilicet consuevit multum bibere, et iterum postquam multum bibit expectat alium multum potum, unde subdit *habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius*, qui scilicet est fluvius notus in terra illa ubi haec dicebantur. Et haec quidem hyperbolice dicuntur secundum quod referuntur ad elephantem; secundum autem quod referuntur ad diabolum, in cuius figura haec dicuntur, significatur eius praesumptio qua se confidit de facili sibi incorporare per consensum omnes homines instabiles, etiam si habeant aliquam Dei cognitionem; ad quod significandum inducitur specialiter de Iordane, qui est fluvius in terra in qua vera Dei cognitio habebatur: in his enim tribus generibus hominum maxime gladius diaboli habet effectum, scilicet in superbis, voluptuosis et instabilibus seu curis saeculi deditis, qui possunt per fluvium designari.

Aliqui tamen sunt qui a diabolo non superantur sed potius contra ipsum victoriam obtinent, quod quidem principaliter competit Christo, de quo dicitur Apoc. V[6] «Ecce vicit leo de tribu Iuda»; consequenter autem convenit aliis per gratiam Christi, secundum illud I ad Cor. XV[57] «Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum

422 significatur] —cabatur N β^1 V^s 428 designandam] —dum N F^2 γ δ^1 π 431 <quaerit> *suppl. cum* Sv] *om.* N V^2 pAs diligit (*post* condensam F) F sAs requirit (—ret V^1) *post* condensam β^1 petit F^3 appetit *post* condensam Va habitat δ^1 π 440 <contra> *suppl. cum* γ R π] ob sF propter β^1 sPd *om. cet.* 453 iam] *om.* F γ(-F^3) π mane F^2 454 pro] quod N δ 460 influat] fluat N V^2 γ pluet R

407 voluntas autem nocendi...: cf. supra cap. 1 572 nota. 411 Vers. 10. 425 *V De hist. animal.* cap. 2 (540 a 20) sec. transl. Guillelmi (ms. f. 24va). 439 melancholicum: cf. Albertus *II Quaest. de animal.* q. 14 (ed. Col. 12,115). 452 *VIII De hist. animal.* cap. 9 (596 a 7) sec. transl. Guillelmi (ms. f. 45va).

[19] In oculis eius quasi hamo capiet eum, et in sudibus perforabit nares eius. [20] An extrahere poteris Leviathan hamo, et fune ligabis linguam eius? [21] Numquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillas eius?

Iesum Christum». Et hanc quidem victoriam describit Dominus sub similitudine venationis elephantis, dicens *In oculis eius quasi hamo capiet eum*, scilicet venator, per quem Christus et sui significantur. Dicitur esse unus modus venationis elephantum quod «fit fovea subterranea in via elephantis, in quam incidit ignoranter, ad quam veniens unus venator percutit et pungit ipsum; alter autem venatorum veniens percutit primum venatorem et amovet eum ne percutiat elephantem et dat ei comedere hordeum, quod cum ter vel quater fecerit diligit se liberantem et ei deinceps oboediens mansuescit», et sic capiuntur per cibum eis oblatum sicut pisces hamo. Est autem et alius modus venationis elephantum, ut Aristotiles dicit in VIII De animalibus, ubi dicit quod «homines venatores domesticos elephantes equitant et persequuntur elephantes silvestres et pungunt eos cum quibusdam instrumentis»; et ad hoc potest pertinere quod subditur *et in sudibus perforabit nares eius*, in quibus scilicet habent carnem magis sensibilem, et ideo magis ibi punguntur a venatoribus. Per hoc autem mystice designatur quod Christus diabolum superavit, ostendens ei naturam infirmam ut sic quasi hamo ab eo caperetur, et postmodum virtutem suam in eum exercuit, secundum illud Col. II[15] «Expolians principatus et potestates, traduxit confidenter».

An extrahere poteris Leviathan hamo etc. Postquam Dominus descripsit proprietates diaboli sub similitudine elephantis qui est maximum animalium terrestrium, describit ipsum sub similitudine Leviathan, idest ceti, quod est maximum animalium marinorum et, sicut Plinius dicit, est «magnitudinis quatuor iugerum»; et Isidorus dicit quod «habent corpora aequalia montibus», ad quod refertur nomen Leviathan quod interpretatur 'additamentum eorum'; et ut Isidorus dicit, hoc animal dicitur balena a 'balyn', quod est emittere, quia altius ceteris animalibus emittit aquas. Et potest dici quod sicut diabolus comparatur elephanti, qui vivit in terris, propter effectus manifestos quos operatur in terrenis et corporalibus creaturis, ita comparatur ceto sive balenae in fluctibus maris degenti propter effectus quos operatur in fluctuatione interiorum motuum.

Et quia superius victoriam hominis contra diabolum expresserat sub figura venationis elephantis, ne credatur quod homo sua virtute diabolum possit superare, hoc incipit excludere sub figura Leviathan. De quo primo ostendit quod non potest superari per modum quo capiuntur pisces, unde dicit *An extrahere poteris*, scilicet de aquis, *Leviathan hamo?* Quod quidem fieri non potest duplici ratione: primo quia tantae est magnitudinis quod nulla hominis virtute aut instrumento sursum elevari possit, et ad hoc significandum dixit *An extrahere poteris?;* secundo quia tantae est fortitudinis quod hamo retineri non possit, et ad hoc significandum subdit *et fune ligabis linguam eius?:* pisces enim qui capiuntur hamo per funem cui hamus appenditur retinentur. Per quod significatur quod nullus homo potest diabolum neque a malitia sua extrahere neque etiam eum ligare ut in sua malitia non procedat.

Secundo ostendit quod non potest superari ab homine per modum quo quaedam animalia terrestria magna superantur: retinetur enim bubalus ab homine per annulum ferreum qui naribus eius imponitur, per quem homo ducit ipsum quo vult, et ad hoc excludendum subdit *Numquid pones circulum in naribus eius?* Subicit etiam homo sibi equum aut asinum vel camelum imponendo frenum vel camum in ore eius, et ad hoc excludendum subdit *aut armilla perforabis maxillas eius?* Praedictorum enim animalium quasi perforantur maxillae armilla, idest ferro quod ponitur in ore ipsorum: sicut autem circulo naribus imposito ducitur bubalus, ita etiam freno vel camo maxillis equi imposito regitur gressus equi ut hominem convenienter ferat. Per hoc ergo datur intelligi quod nullus potest diabolum ducere quo vult nec eum dirigere ut suae voluntati deserviat.

Tertio ostendit quod Leviathan superari non potest per modum quo homo subicitur homini, quod

486 elephantum] —tis N F^2 δ^1 π —tium Va 489 venatorum] —tor N F^2 γ(*def.* Sv) δ(-R) π 539 possit] posset F β^1 (*def.* Pd π)

487-493 Barthol. Anglic. *XVIII De propriet. rerum* cap. 43. 496 *IX De hist. animal.* cap. 1 (610 a 24) sec. transl. Scoti (ms. f. 34vb) ut allatam a Thoma Cantimpr. *IV De nat. rerum* (ms. f. 58va). 514 *IX Nat. hist.* cap. 3 (2); cf. Thomas Cantimpr. *VI De nat. rerum* (ms. f. 107va): 'quatuor iugerum magnitudinis'. 515 *XII Etymol.* cap. 6 (PL 82,451 B). 517 'additamentum eorum' cf. supra lin. 255 nota. 518 *XII Etymol.* cap. 6 (PL 82,451 B). 527 superius: vers. 19.

22 Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? 23 Numquid feriet tecum pactum, et accipies eum servum sempiternum? 24 Numquid illudes ei sicut avi, aut ligabis eum ancillis tuis? 25 Concident illum amici, dividentillum negotiatores? 26 Numquid implebis sagenas pelle eius, et gurgustium piscium capite illius?

quidem fit dupliciter: uno modo per simplex verbum, puta cum aliquis intantum alteri humiliatur quod eum rogat, et hoc tangit cum dicit *Numquid multiplicabit ad te preces?;* vel etiam cum addit blanditiarum verba, et ad hoc pertinet quod subditur *aut loquetur tibi mollia?*, idest blanda verba ad te placandum, secundum illud Prov. xv[1] «Responsio mollis frangit iram». Alio modo accedente aliqua obligatione, quae fit vel per aliquod particulare pactum, ad quod pertinet quod dicit *Numquid feriet tecum pactum?;* vel per servitutem perpetuam, ad quod pertinet quod dicit *et accipies eum servum sempiternum?* Et ista quatuor quandoque per ordinem se habent: nam quandoque aliquis primo quidem propter timorem preces porrigit victori, secundo blanditur, tertio ad pactum suscipitur, quarto per pactum servituti perpetuo subiugatur. Per quae omnia datur intelligi quod diabolus non timet hominem ut ei quasi superiori aut fortiori preces ex timore aut blanditias aut pactum aut servitutem exhibeat; et si huiusmodi simulet facit ad hominum deceptiones, ut potius eos sibi subiciat quam eis subiciatur.

Quarto ostendit quod non potest superari per modum quo aves ab homine superantur, circa quas considerandum est quod aves primo quidem aliqua deceptione capiuntur per retia vel viscum vel aliquid huiusmodi, et hoc excludens subdit *Numquid illudes ei sicut avi*, ut scilicet decipiendo ipsum in tuam redigas potestatem? Secundo postquam iam captae fuerint ligantur ne avolare possint, et exhibentur pueris et ancillis ad ludum, et hoc significatur cum subditur *aut ligabis eum ancillis tuis?* Per quae datur intelligi quod homo non potest sua industria decipiendo diabolum superare, nec eum aliis despiciendum exponere.

Sic igitur ostenso quod non potest subici per modum quo alia animalia subiciuntur, ostendit consequenter quod homo non potest uti eo, etiam si subiceretur, per modum quo utitur aliis animalibus magnis quando sunt in potestate hominis redacta. Et primo hoc ostendit assumens modum quo homines utuntur animalibus terrestribus captis, puta cervis et apris et aliis huiusmodi, quorum carnes dividuntur dupliciter: uno modo gratis distribuendo amicis, et hoc excludit subdens *Concident illum amici?*, ut hoc interrogative legatur; alio modo vendendo diversis, et quantum ad hoc subdit *dividentillum negotiatores?*, quasi dicat 'non': tanta est enim huiusmodi animalis magnitudo quod si quandoque capiatur toti regioni sufficiat, unde nec particulariter dividitur inter amicos nec venditur in macello ad modum aliorum animalium. Per quod designatur quod homo non potest auxilium daemonis vel alteri gratis communicare vel etiam vendere.

Secundo ostendit quod non potest homo uti Leviathan ad modum quo utitur piscibus captis, quorum maioribus piscatores implent magnas sagenas, et quantum ad hoc dicit *Numquid implebis sagenas pelle eius?* Et forte signanter dicit *pelle* ad exprimendum modum quo maximi ceti capiuntur, qui «longissimis culmis quos habent quando dormiunt in rupibus pendunt ad saxa», ut dicitur, «et tunc piscator appropinquans quantum potest de pelle solvit a lardo iuxta caudam»: est enim animal valde pingue, ita quod propter pinguedinem talem incisuram non sentit; et sic immissis funibus quos ligat ad saxa vel arbores, excitat cetum lapidibus fundae, qui volens recedere pellem dimittit. Minoribus autem piscibus implent quaedam alia minora instrumenta, et quantum ad hoc subdit *et gurgustium piscium capite illius?* Dicitur enim gurgustium quoddam instrumentum de viminibus factum quod piscatores in gurgite ponunt ad capiendum pisces; est autem tanta magnitudo ceti quod nec totus nec etiam una pars eius, puta caput, potest in gurgustio quantumcumque magno contineri: dicitur enim habere tam magnum caput quod ab ipso quadraginta lagenae sagiminis effluant. Et hoc ponitur ad figuraliter ostendendum quod diabolus virtute humana includi non potest, sicut quidam nigromantici se eum posse includere opinantur, sed hoc totum provenit ex eius astutia qua utitur ad homines decipiendos; et si quis recte consideret, omnia praemissa

585 simulet] silent F N 593 sicut] quasi *cum Vulg.* F Pd π 605 potestate] —tem F γ(-Sv) R 622 maioribus] interioribus F V[a] carnibus F[2] 625 quo] quidam F N V[a] Va quidem (—dam As) *add.* γ maximi] —me F[2] V[a] δ magni Sv 627 pendunt] pendent F γ Pd π tendunt pR saxa] saga N β[1] sagax Va 643 sagiminis] sanguinis β[1] F[2] δ(-R) π sanguis R

625-629 Albertus *XXIV De animal.* n. 19 (St 2,1525). 636 gurgustium: cf. Alan. de Insulis *Distinctiones* (PL 210,806 D). 641 dicitur: cf. Albertus *XXIV De animal.* n. 17 (St 2,1524). 645 nigromantici: cf. Isid. *VIII Etymol.* cap. 9 (PL 82,312 A).

[27] Pone manum tuam super eum. Memento belli, nec ultra addas loqui. [28] Ecce spes eius frustrabitur eum, et videntibus cunctis praecipitabitur.

videntur pertinere ad praesumptionem nigromanticorum confutandam, qui nituntur cum daemonibus pactum inire aut eos sibi subicere vel qualitercumque constringere.

Ostenso ergo quod homo non potest ullo modo sua virtute diabolum superare, quasi ex omnibus praemissis concludit subdens *Pone manum tuam super eum*, subaudi 'si potes', quasi dicat: nullo modo tua virtute potes manum tuam ponere super eum ut eum tibi subicias. Sed quamvis non possit ab homine superari, superatur tamen virtute divina, unde subdit *Memento belli*, quo scilicet ego contra eum pugno, *nec ultra addas loqui*, scilicet contra me, dum scilicet vides eum mea virtute superari quem tua virtute superare non potes. Et de superatione qua superatur a Deo subditur *Ecce spes eius frustrabitur eum*, quod quidem si referatur ad cetum manifestum est: dum enim cetus persequitur pisces sperans eorum capturam, impingit ad aliquod litus unde propter parvitatem aquae se eruere non potest, frustratus spe sua quam habebat de piscium captura, et sic super aquam apparens praecipitatur in mortem, et hoc est quod subditur *et videntibus cunctis praecipitabitur*, quia undique homines eum videntes concurrunt ad eum occidendum. Per quod significatur quod spes diaboli quam habet de subversione sanctorum frustrabitur, et ipse cum omnibus suis sequacibus, sanctis videntibus, in die iudicii praecipitabitur in infernum.

666 dum enim cetus...non potest: cf. Albertus *XXIV De animal.* n. 17 (St 2,1524).

CAPITULUM XLI

[1] Non quasi crudelis suscitabo eum. Quis enim resistere potest vultui meo? [2] Et quis ante dedit mihi ut reddam ei? Omnia quae sub caelo sunt mea sunt. [3] Non parcam ei verbis potentibus et ad deprecandum compositis. [4] Quis revelabit faciem indumenti eius? Et in medium oris eius quis intrabit?

Non quasi crudelis suscitabo eum etc. Postquam Dominus enumeraverat virtutem Leviathan quantum ad hoc quod non potest superari ab homine sed solum a Deo, nunc enarrat potestatem ipsius quantum ad hoc quod ipse potest contra alios agere. Et quia «non est potestas nisi a Deo», ut dicitur Rom. XIII[1], posset aliquis ad crudelitatem Deo ascribere quod tam noxiae creaturae tantam potentiam dedit, et ideo ad hoc excludendum dicit *Non quasi crudelis suscitabo eum*, idest altum esse permittam per potentiam sibi datam; et videtur hoc respondere ad id quod supra Iob XXX[21] dixerat «Mutatus es mihi in crudelem». Quod autem hoc sibi ad crudelitatem ascribi non debeat ostendit triplici ratione: primo propter potestatem ipsius Dei, cum dicit *Quis enim resistere potest vultui meo*, idest providentiae meae? Quasi dicat: quantumcumque Leviathan iste sit potens non potest providentiae meae resistere, ut potentia sua utatur nisi quantum mihi placuerit, et mea voluntas non ad perniciem sed ad salutem hominum tendit. Secundo ostendit idem ex largitate bonitatis ipsius qua gratis omnibus bona sua distribuit, unde subdit *Et quis ante dedit mihi ut reddam ei?*, quasi dicat 'nullus', ex quo patet quod omnia quae feci diligo quibus bona mea gratis communico, unde non habeo contra ipsa quae feci crudelitatis animum; et ad idem pertinet quod subdit *Omnia quae sub caelo sunt mea sunt*, quia scilicet sunt a me creata, conservata et gubernata: nullus autem rebus suis adversatur. Tertio ostendit se non esse crudelem permittendo Satanam in sua potentia exaltari, per hoc quod in nullo ei defert: videtur enim ad crudelitatem quandam pertinere quod aliquis dum vult alicui tyranno favere patienter tolerat afflictiones multorum. Duplici autem ratione homo alicui potenti favet: uno modo timens comminationes ipsius, sed hoc Dominus a se excludit dicens *Non parcam ei*, idest in nullo ei deferam quin ei resistam secundum quod oportet, *verbis potentibus*, idest propter aliqua comminationis verba quae eius praeferant potestatem; alio modo favet aliquis alicui potenti quasi allectus ab eo blanditiis, et ad hoc excludendum subdit *et ad deprecandum compositis*, quasi dicat: quamvis potenter vel deprecatorie loqueretur tamen in nullo ei defero, quia non est convenientia «lucis ad tenebras», ut dicitur II Cor. VI[14].

His igitur praemissis ad removendum opinionem suae crudelitatis, accedit ad describendum virtutem Leviathan, et primo describit figuram eius a capite incipiens. Dicitur autem quod «super oculos ceti sunt quaedam additamenta cornea in figura magnae falcis et sunt ducenta quinquaginta super unum oculum et totidem super alterum, et utitur eis cetus pro coopertorio oculi tempore magnae tempestatis», et ad hoc exprimendum dicit *Quis revelabit faciem indumenti eius?*, idest quis homo potest accedere ita prope cetum ut a praedictis operculis possit faciem eius detegere? Per quod datur intelligi quod astutias diaboli nullus homo sufficit aperire. Dicitur etiam quod «in gutture habet quandam pellem in modum membranae, et haec multis meatibus perforata non sinit quicquam corpulentia magnum ingredi ventrem eius», quia scilicet per hoc impediretur eius digestio, scilicet si aliquod magnum animal integrum absorberet, et ad hoc designandum subditur *Et in medium oris eius quis intrabit*, ut scilicet perscrutetur strictos illos meatus quibus parvi pisces in eius ventrem descendunt? Per quod designatur quod intentionem daemonis qua ad homines spiri-

2 enumeraverat] —ravit F γ(-As) enarravit As enarraverat π 52 falcis] fabe F falcsis N falisus Va frasis δ[1] (*def.* Sv)
62 haec] est *add.* F β[1] As hoc R 66 subditur] subdit γ δ π 70 quod intentionem] intentio F qua] quam habet F

51 Albertus *XXIV De animal.* n. 15 (St 2,1523). 61 Thomas Cantimpr. *VI De nat. rerum* (ms. f. 107va).

5 Portas vultus eius quis aperiet? Per gyrum dentium eius formido. 6 Corpus eius quasi scuta fusilia, compactum squamis sese prementibus. 7 Una uni coniungitur et nec spiraculum quidem incedit per eas. 8 Una alteri adhaerebit et tenentes se nequaquam separabuntur. 9 Sternutatio eius splendor ignis, et oculi eius ut palpebrae diluculi.

tualiter absorbendos <movetur>, nullus homo potest cognoscere. Dicitur etiam de ceto quod habet aperturam «oris dentatam valde magnis et longis dentibus, et praecipue duo dentes sunt aliis longiores ad modum dentium elephantis vel apri», ergo ad designandum hoc duos dentes extremos maximos dicit *Portas vultus eius quis aperiet?:* videntur enim illi duo dentes maximi quasi duae portae quibus os ceti aperiatur. Per quod designatur quod nullus homo potest os diaboli aperire ad extrahendum de potestate eius peccatores, quos absorbet quasi duabus portis, scilicet violentia et astutia. Quantum autem ad alios dentes ceti subdit *Per gyrum dentium eius formido*, quia scilicet in circuitu oris habet dentes tam magnos ut aspicientibus terrorem incutere possit. Per quod significatur terror quem daemon hominibus incutit ut per hoc eos impellat ad peccandum; et potest dici quod dentes eius sunt ceteri daemones, vel etiam mali homines qui potentia sua alios terrendo ad malum inducunt.

His igitur praemissis de dispositione capitis Leviathan, procedit ad dispositionem corporis eius quod describit ad modum piscium habentium squamas, unde secundum magnitudinem sui corporis debet habere maximas squamas ad modum scutorum, unde dicit *Corpus eius quasi scuta fusilia*, quae quidem sunt continua, nam scuta lignea per colligationem adunantur; comparatur autem diabolus ad omnes malos sicut caput ad corpus, unde peccatores qui alios in malitia defendunt sunt quasi scuta corporis diaboli. Ostendit autem consequenter quod squamae eius non solum sunt magnae sed etiam compressae ad modum piscium multas squamas habentium, et hoc est quod subdit *compactum squamis sese prementibus*, per quod designatur multitudo malorum. Et perversa eorum concordia in malo ostenditur consequenter cum subditur *Una uni coniungitur*, quia scilicet sicut in corpore alicuius piscis non quaelibet squama coniungitur cuilibet sed una uni per ordinem, ita etiam in multitudine malorum non omnes omnibus socialiter concordant sed quidam quibusdam. Quandiu autem piscis est vivus et fortis et squamae eius sunt in suo vigore, ita ad invicem et cuti corporis stricte adhaerent quod nec aer potest inter eas transire; quando vero piscis fuerit vel mortuus vel infirmus aut ex aliqua occasione eius squamae desiccantur, tunc paulatim praedicta coniunctio squamarum remittitur ita quod ipsae squamae incurvantur et potest etiam aliquid grossius inter eas transire: ad ostendendum ergo vigorem squamarum Leviathan subdit *et nec spiraculum quidem incedit per eas*, idest per intermedium squamarum; per quod designatur quod ad consensum malitiae non disiunguntur <mali> per aliquam spiritualem persuasionem aut inspirationem internam. Et ideo ad ostendendum obstinatum eorum consensum in malitia subdit *Una alteri adhaerebit*, per mutuum favorem et consensum, *et tenentes se nequaquam separabuntur*, propter obstinatum scilicet consensum eorum in malum, sicut nec squamae Leviathan humana virtute possunt ab invicem disiungi.

Sternutatio eius splendor ignis. Postquam descripsit Dominus dispositionem Leviathan, hic describit operationem fortitudinis eius, et sicut primo describerat dispositionem capitis quam corporis, ita etiam et prius incipit enumerare operationes ad caput pertinentes. Prima autem et principalior pars capitis est cerebrum, ex cuius commotione sternutatio animalis causatur, et ideo sternutationem Leviathan describens dicit *Sternutatio eius splendor ignis*, quia scilicet ex sternutatione Leviathan tanta fit aquarum commotio quod causatur quidam candor aquarum commotarum ad modum splendoris ignis; vel etiam potest referri ad hoc quod fortiter commoto capite vel oculis videtur nobis quod emicet quidam splendor ignis, unde cum multo maior sit commotio capitis Leviathan ex eius sternutatione, multo magis talis splendor procedit. Significatur autem per hoc quod per commotionem capitis diaboli, idest per tentationes ipsius, emicat splendor ignis, scilicet irae aut concupiscentiae aut etiam inanis gloriae. Inter alias autem partes capitis sunt praecipui oculi, unde

71 <movetur> *coni. cum* β¹] molitur δ¹ π *om. cet.* 81 quasi duabus] quantum ad duos δ¹ 82 portis *scripsi. cum* F² γ π] dentes δ¹ partibus *cet.* 122 quidem] quiddam F N Va quidam V² quodam V¹ quoddam F² quod F³ 124 disiunguntur] —gitur γ(-As) δ 124 <mali> *suppl.*] *om. codd.* 135 primo] prius γ 153 praecipui] —pue γ

73 Albertus *XXIV De animal.* n. 14 (St 2,1522). 99 caput ad corpus: cf. August. *Enarr. in Ps.* CXXXIX⁸ (PL 37,1807). 139 sternutatio: cf. Avicen. *III Canon. medic.* fen 5 tr. 2 c. 13 (ed. Venetiis 1555, f. 244r).

[10] De ore eius lampades procedunt sicut taedae ignis accensae. [11] De naribus eius procedit fumus sicut ollae succensae aquae ferventis. [12] Halitus eius prunas ardere facit et flamma de ore eius egreditur. [13] In collo eius morabitur fortitudo, et faciem eius praecedet egestas, [14] membra carnium eius cohaerentia sibi.

subdit *et oculi eius ut palpebrae diluculi:* oculus enim ratione suae levitatis lucidus est; habet autem cetus magnos oculos secundum magnitudinem capitis et totius corporis, et ideo in inspectione eorum apparet quaedam claritas diffusa sicut est claritas diluculi, per quam designatur temporalis prosperitas quam diabolus homini repromittit. Tertio autem describit operationem sive effectum oris eius cum dicit *De ore eius. lampades procedunt sicut taedae ignis accensae*, ubi considerandum est quod taeda est quoddam lignum quod accensum suavem odorem emittit; dicitur autem de ceto quod «quando multum esurit, vaporem odoriferum ad modum odoris ambrae ex ore suo emittit, in quo pisces delectati os eius ingrediuntur et sic ab ipso devorantur»: vapores ergo emissi ab ore ceti lampades dicuntur propter magnitudinem caloris qui ex interioribus eius egreditur, taedae autem accensae comparantur propter redolentiam, ut dictum est; per hoc autem designatur quod diabolus ad concupiscentiam peccati homines incendit per ostentationem alicuius boni quasi per redolentiam quandam. Quarto ponitur operatio narium eius: hoc enim animal habet pulmonem et respirat sicut delphinus, et ad hoc designandum subdit *De naribus eius*, quae scilicet sunt praecipua instrumenta respirandi, *procedit*, scilicet per respirationem, *fumus*, idest aer adustus ex multitudine caloris qui est necessarius huic animali ad tantam molem movendam; et ideo signanter subdit *sicut ollae succensae aquae ferventis:* aer enim qui respirando emittitur in pulmone continebatur, in quo calefiebat per calorem cordis qui pulmoni coniungitur, sicut aqua in olla calescit et fervet per hoc quod <ignis> apponitur. Et quia animal respirat non solum per nares sed etiam per os, ideo quinto subdit operationem oris dicens *Halitus eius*, idest exhalatio de ore procedens, *prunas ardere facit*, idest tam calidus et vehemens est quod sufficeret ad prunas accendendas: loquitur enim ad similitudinem eorum qui sufflando prunas accendunt, unde subdit *et flamma de ore eius egreditur*, quia scilicet tam calidus et ignitus est vapor de ore eius egrediens quod merito potest flammae comparari. Per haec autem omnia designatur quod diabolus sua occulta vel manifesta suggestione perversae cupiditatis ignem in homine accendit.

His igitur praemissis quae pertinent ad virtutem capitis Leviathan, accedit ad narrandum ea quae pertinent ad virtutem aliorum membrorum ipsius. Est autem considerandum quod, sicut Aristotiles dicit in II Animalium, «nullus piscis habet collum» nisi illi qui generant animalia, sicut delphini, et ex horum genere sunt etiam ceti; et ideo incipit describere fortitudinem colli eius cum dicit *In collo eius morabitur fortitudo*, quae quidem necessaria est tanto animali ad pondus capitis eius portandum; et quia per collum caput coniungitur corpori, possunt per collum Leviathan designari illi per quos diabolus in alios malitiam suam exercet, qui ut plurimum sunt potentes quos alii reverentur aut etiam timent. Est autem manifestum quod hoc animal cum sit magni corporis multo indiget cibo, et ideo cum in aliqua parte maris fuerit cetus absorbet multitudinem piscium ibi existentium, ut quasi mare in conspectu eius remaneat piscibus vacuum, et hoc est quod subdit *et faciem eius praecedet egestas*, quia scilicet attrahit ad se pisces, ut supra dictum est, et mare remanet a piscibus vacuum ante eum; per quod significatur quod egestas virtutum in hominibus causatur ante faciem diaboli, idest per suggestionem ipsius. Consequenter ostendit fortitudinem eius quantum ad alias partes corporis cum dicit *membra carnium eius cohaerentia sibi*, scilicet propter earum spissitudinem, per quod designatur consensus membrorum diaboli in malum.

His igitur praemissis de fortitudine Leviathan ad agendum, consequenter agit de fortitudine eius ad resistendum. Quamvis autem possit resistere virtuti humanae agenti, tamen virtuti actionis divinae usquequaque resistere non potest, et ideo primo

168 devorantur] hugutio. ambra. bre. est species valde cara et est multum odorifera. unde papias dicit quod ambrosium est odor divinus et ambrosius odor celestis *add.* π 179 scilicet *om.* γ δ π per respirationem] *post* adustus γ *post* aer δ π 180 fumus] *om.* pV^{a} *post* procedit F β^{1} (*sicut* γ δ π, *cf. nota praec.*) 187 <ignis> *coni. cum* sV^{a} Pd π] ei *post* apponitur Sv *om. cet.* 221 a *om.* F^{2} γ δ^{1} π vacuum] et hoc est quod subdit *add.* pN β^{1}

155 ratione suae levitatis: cf. Thomas *Super De sensu* 3 (437 a 29). 163 taeda: cf. Plinius *XVI Nat. hist.* cap. 10 (19). 165 Barthol. Anglic. *XIII De proprist. rerum* cap. 26. 177 respirat sicut delphinus: cf. Arist. *III De part. animal.* cap. 6 (669 a 8) et Albertus *XIII De animal.* tr. 1 c. 6 n. 45 (St 2,912). 204 *II De hist. animal.* cap. 13 (504 b 17) sec. transl. Guillelmi (ms. f. 9rb); cf. etiam Albertus *II De animal.* tr. 1 c. 7 n. 76 (St 1,256). 220 supra: lin. 167.

Mittet contra eum fulmina, et ad locum alium non ferentur. [15] Cor eius indurabitur quasi lapis et stringetur quasi malleatoris incus. [16] Cum sublatus fuerit, timebunt angeli et territi purgabuntur. [17] Cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit,

ostendit quid Deus contra ipsum agat cum dicit *Mittet contra eum fulmina:* manifestum est enim quod frequenter in mari fulmina cadunt quibus quandoque etiam naves periclitantur, unde etiam probabile est quod quandoque ceti fulmine feriantur, et hoc opus praecipue attribuitur Deo propter magnitudinem et terrorem huius effectus, unde supra XXXVIII[35] Dominus dixit «Numquid mittes fulmina, et ibunt» etc. Subdit autem *et ad locum alium non ferentur*, quod potest ad duas intentiones referri: primo quidem ad designandum magnitudinem corporis eius: solet enim fulgur ad aliquem locum percutiens per quandam repercussionem ad alia loca reflecti propinqua tamen, sed corpus Leviathan tam magnum est ut fulmen in ipsum percutiens extra corpus eius non reflectatur; alio modo potest referri ad infallibilitatem divinae operationis: sicut ergo sagittarius sapiens directe sagittas emittit <ita> quod non percutit nisi ad signum, ita cum Deus fulgura contra Leviathan sive quamcumque aliam creaturam quasi sagittas quasdam emittere vult, non ad alium locum pergunt nisi quo ipse emittit, secundum illud Sap. V[22] «Ibunt directe emissiones fulgurum». Per quod designantur divina flagella, quae Deus immittit contra diabolum et membra eius ita quod contra alios non feruntur: nam si quandoque boni per temporales adversitates flagellantur a Deo, hoc tamen cedit in glorificationem sanctorum et in maiorem damnationem diaboli et impiorum.

Secundo ostendit qualiter se habeat Leviathan ad ea quae Deus contra ipsum agit, cum dicit *Cor eius indurabitur quasi lapis;* durum autem significat potentiam naturalem ut scilicet aliquid non facile corrumpatur ab exteriori agente: per hoc ergo designatur virtus naturalis quae est in corde ceti ut non de facili corrumpatur ab exteriori actione inferente aliquod nocumentum. Et ad istam duritiam designandam sufficiebat exemplum lapidis quantum ad leves percussiones, non autem quantum ad graves: lapis etsi non confringatur manu confringitur tamen malleo ferreo; et ideo ad designandam virtutem ceti etiam contra gravia nocumenta subdit *et stringetur quasi malleatoris incus*, quae scilicet ex percussione malleorum non confringitur sed magis solidari videtur: per hoc ergo significatur obstinatio diaboli et membrorum eius, quia nulla percussione divina a sua malitia emolliuntur.

Tertio ostenditur finalis effectus divinae percussionis: quantumcumque enim flagellis divinis resistere videatur, oportet tamen quod finaliter ab eis superetur, unde subdit *Cum sublatus fuerit*, scilicet virtute divina de loco suo, *timebunt angeli* admirando divinam virtutem; in qua admiratione multi effectus divinae virtutis eis innotescunt, et ideo subdit *et territi purgabuntur:* ut enim Dionysius dicit VI cap. De divinis nominibus, angeli purgari dicuntur non ab immunditia sed a nescientia. Sed quia omnis creatura corporalis modicum aliquid est in comparatione sanctorum angelorum, non videtur principaliter hoc esse dictum ad significandum quod caelestes angeli multum admirentur de occisione alicuius corporalis ceti, nisi forte per angelos sanctos homines intelligamus; sed melius est ut principaliter referatur ad spiritualem Leviathan, scilicet diabolum, qui sublatus fuit virtute divina quando de caelo cecidit per peccatum: et tunc angeli admirantes divinam maiestatem sunt purgati per separationem ab eius societate. Similiter etiam in die iudicii quando diabolus cum omnibus membris suis detrudetur in infernum, angeli et omnes sancti admirabuntur divinam potestatem et erunt de cetero purgati per totalem separationem a malis, et hoc significatur Apoc. XII[10], ubi postquam proiectus est diabolus auditur magna vox in caelo dicens «Nunc facta est salus et virtus et regnum Dei nostri».

Sic igitur ostenso qualiter se habeat ad impugnationem Dei, ostendit qualiter se habeat ad impugnationem creaturae, et primo qualiter se habeat ad impugnationem hominis. Impugnat autem homo et de propinquo et a remotis: de propinquo quidem munitus gladio et hasta ad percussionem, et thorace ad sui munitionem, et quantum ad hoc dicit *Cum apprehenderit eum*, scilicet Leviathan, *gladius*, scilicet hominis, *subsistere non poterit*, scilicet gladius,

234 quid] quod F γ(-As) δ π 241 fulmina] flumina β¹ δ¹ fulgura *Vulg.* (*cf. Praef.* § 132) 251 <ita> *suppl.*] *ante* directe Pd π *om. cet.* (*def.* Sv) 252 fulgura *om.* F² δ¹ π (*def.* Sv) 253 creaturam] fulgura (—rat Va) *add. codd. praeter* V¹ γ(*def.* Sv), *et delevimus* 267 exteriori] —re N V¹ V² δ¹ π 273 lapis] enim *add.* sV² γ δ¹ π 277 confringitur] constringitur F N F² 285 admirando] scilicet *praem.* V² γ δ π 292 non] modo N V² Va ideo non δ¹ π

289 Rectius *De ecclesiast. hier.* cap. 6 pars 3 § 6 (PG 3,537 B; Dion. 1404) sec. Thomam *I Pars* q. 106 a. 2 ad 1; vel *De cael. hier.* cap. 7 § 2 et 3 (PG 3,207 B et 209 D; Dion. 845 et 859) ut refert etiam Thomas *De verit.* q. 9 a. 3. 298 de caelo cecidit: Is. XIV[12].

neque hasta neque thorax. [18] Reputabit enim ferrum quasi paleas et aes quasi lignum putridum. [19] Non fugabit eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundae. [20] Quasi stipulam aestimabit malleum et deridebit vibrantem hastam. [21] Sub ipso erunt radii solis et sternet sibi aurum quasi lutum. [22] Fervescere faciet quasi ollam profundum mare et ponet quasi cum unguenta bulliunt.

quin frangatur propter duritiem corporis eius, *neque hasta*, scilicet subsistere poterit, *neque thorax*, quo scilicet munitur pectus, subsistere poterit contra Leviathan. Et huius rationem assignat subdens *Reputabit enim ferrum quasi paleas*, quia scilicet sicut homo non potest laedi a paleis et de facili eas frangit, ita Leviathan non potest laedi a ferro gladii vel hastae, sed de facili huiusmodi frangit; et similiter reputabit *aes*, scilicet thoracis, *quasi lignum putridum*, quod scilicet resistere non potest percussioni. Per hoc autem significatur quod nulla virtus humana efficax est ad diabolum laedendum vel ad resistendum ei, sed omnis virtus humana pro nihilo a diabolo reputatur.

Impugnat etiam homo a remotis per sagittas et lapides fundae, sed nec ista contra cetum valent, unde subdit *Non fugabit eum vir sagittarius*, scilicet emissione sagittarum, quas non timet utpote ab eis laedi non valens. Sicut autem sagittae de longinquo emissae laedunt interius vulnerando, ita lapides fundae laedunt exterius atterendo; sed cetus sicut non potest perforari sagittis, ita non potest conteri lapidibus in eum proiectis, unde subdit *in stipulam versi sunt ei lapides fundae*, quia scilicet sicut stipula propter suam levitatem nullum conterere potest, ita nec cetus potest lapidibus fundae aliquod nocumentum pati. Per hoc autem significatur quod sicut diabolus non potest laedi virtute humana quasi quadam percussione propinqua, ita etiam non potest laedi hominis astutia quasi quadam percussione a longinquo. Sicut autem per lapides fundae aliquis atteritur a remotis, ita etiam per malleum aliquid atteritur de propinquo, sed nec sic etiam cetus ab homine laedi potest, unde subdit *Quasi stipulam aestimabit malleum*, quod etiam referri potest ad eandem significationem cum praemissis, nisi quod mallei est gravior percussura quam lapidum fundae: unde potest significari quod quantumcumque intendatur hominis fortitudo et conatus, a diabolo contemnitur.

Solent autem homines aliquos superare non solum percutiendo sed etiam percussionem comminando, sed nec cetus nec diabolus aliquam hominis comminationem timet, unde subditur *et deridebit vibrantem hastam:* vibratio enim hastae videtur esse quaedam comminatio percussurae. Sicut autem homo quandoque alium superat comminando, ita etiam promissis alliciendo; maxime autem solent aliqua dona promissa allicere hominem propter pulcritudinem vel propter pretiositatem. Nihil autem videtur esse pulcrius in corporalibus rebus quam radii solares, quorum pulcritudine Leviathan vel corporaliter vel spiritualiter intellectus non allicitur, et ad hoc significandum subditur *Sub ipso erunt radii solis*, quia scilicet non appretiatur eos tamquam aliquid magnum; et per consequens datur intelligi quod nihil aliud praeclarum in rebus humanis appretiatur. Aurum autem reputatur valde pretiosum inter res quae in usum hominis veniunt, et quantum ad hoc subdit *et sternet sibi aurum quasi lutum*, idest quasi vile aliquid ipsum contemnet. Et sic patet quod ab homine allici non potest.

Sic ergo ostenso quod non potest superari ab homine, consequenter ostendit quod non potest superari neque a mari neque ab aliquo pisce maris, et hoc per fortes operationes quas in mari exercet. Dicit autem Plinius quod «quaedam beluae sunt in mari orientali tantae magnitudinis ut ab imo vertant maria» et faciant tempestates in mari, quae quidem beluae ad naturam ceti pertinere videntur; et ad hoc significandum subdit *Fervescere faciet quasi ollam profundum mare:* sicut enim quando olla fervet aqua fervens in ea commovetur, ita ex violentia huius piscis fluctus maris commoventur; et incipit haec commotio a profundo et pervenit usque ad aquae superficiem, unde subdit *et ponet quasi cum unguenta bulliunt*, quae scilicet faciunt maiorem spumam et commotionem in superficie quam simplex aqua in qua non tantum de aere continetur; per hoc autem significatur turbatio quam diabolus concitat in hoc mundo. Et sicut facit magnum effectum quando movetur in fundo maris, ita etiam facit

322 enim] eum N pV^2 344 quod *om.* N V^2 Va 349 aliquid] aliquis γ (*def.* F^2 Va) 359 etiam *om.* V^2 δ 361 subditur] —dit γ δ π 368 radii solares] radius solaris Va quorum *scripsi. cum* δ^1 π] cuius *cet.* 369 pulcritudine] pulcritudinem F N γ(-Sv) Va π 399 fundo] profundo β^1 sV^2 profundum As (*def.* pV^2 F^2 Sv)

384 Ex Thoma Cantimpr. *VI De nat. rerum* (ms. f. 107rb); cf. Plinius *IX Nat. hist.* cap. 3 (2).

[23] Post eum lucebit semita, aestimabit abyssum quasi senescentem. [24] Non est potestas super terram quae ei comparetur. Qui factus est ut nullum timeret, [25] omne sublime videt: ipse est rex super universos filios superbiae.

magnum effectum quando movetur in superficie, et ad hoc significandum subdit *Post eum lucebit semita:* sicut enim quando navis movetur per mare, ad longum spatium vestigium navis transeuntis relinquitur propter commotionem et spumam generatam in aqua, ita etiam contingit ex motu istius piscis prae sua magnitudine; per hoc autem significatur quod effectus perturbationis <quam> diabolus in mundo concitat non statim aboletur sed quandoque diutius durat. Ex hoc autem quod tam fortes operationes cetus in mari operatur, in nullo timet maris profunditatem, unde subdit *aestimabit abyssum*, idest profundum maris, *quasi senescentem*, idest quasi finem habentem et quasi impotentem ad absorbendum ipsum: nam quod senescit, et debile est et fini propinquum; ex hoc autem significatur quod diabolus damnationem inferni non tantum aestimat ut propter eam desinat contra Deum niti ac si eius damnatio esset terminanda. Et sicut Leviathan non potest superari ab homine nec a mari aut ab aliqua creatura maris, ita etiam non potest superari a quacumque alia creatura terrestri, unde subdit *Non est potestas super terram quae ei comparetur:* non enim est in terra aliquod animal tam magnum sicut cetus maris, unde et Plinius dicit quod in mari sunt «maiora animalia terrestribus, et causa evidens est humoris luxuria»; per hoc autem significatur quod nulla virtus corporalis potest adaequari potestati daemonis quae est potestas spiritualis naturae.

Quia igitur multa praemiserat de proprietatibus Leviathan in figura diaboli, consequenter praedictam metaphoram exponit. Et sicut dictum est, omnes praedictae proprietates ad duo pertinere videntur, quorum unum est quod ipse ab alio laedi non potest, et quantum ad hoc exponens subdit *Qui factus est ut nullum timeret*, idest hoc habet diabolus ex condicione suae naturae in qua factus est a Deo ut neque hominem timeat neque aliquam creaturam corporalem; aliud autem est quod Leviathan habet facultatem ad magnas et fortes operationes exercendas, et hoc exponens subdit *omne sublime videt*, idest intentio diaboli est ad quaecumque sublimia aggredienda. Et quia haec videntur ad superbiam pertinere, ostendit consequenter quod diabolus non solum in se superbus est sed omnes in superbia excedit et est aliis superbiendi initium, unde subdit *ipse est rex super universos filios superbiae,* idest super eos qui superbiae subiciuntur, qui omnes sequuntur eius ducatum. Ubi considerandum est quod Dominus operationem suam quam exercet in malos circa superbos manifestare incepit et in superbis narrationem terminat, ut ostendat hoc praecipue Iob fuisse timendum ne diabolus, qui eum expetierat ad tentandum, praecipue eum ad superbiam inducere conaretur ut sic transferretur in regnum ipsius, et ideo cavere debebat affectum et verba quae superbiam saperent.

407 <quam> *suppl. cum* β^1 F^3 δ^1 π] *om. cet.* (*def.* Sv) 414 et^2] et est β^1 est V^2 Va (*def.* Sv) 446 universos] omnes F^2 γ δ π 450 circa] contra F β^1 δ(-Pd) 451 incepit] incipit γ(-F^2) δ π 455 cavere *scripsi. cum* F^2 Sv] orrere F tacere N V^1 As carere V^2 F^3 Va abicere δ^1 π

424 *IX Nat. hist.* cap. 2 (1). 451 incepit: cap. XL^6.

CAPITULUM XLII

[1] Respondens autem Iob Domino dixit: [2] Scio quia omnia potes et nulla te latet cogitatio. [3] Quis est iste qui celat consilium absque scientia? Ideo insipienter locutus sum et quae ultra modum excedunt scientiam meam. [4] Audi et ego loquar, interrogabo te et responde mihi. [5] Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. [6] Idcirco ipse me reprehendo et ago paenitentiam in favilla et cinere. [7] Postquam autem locutus est Dominus verba haec ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus est furor meus in te et in duos amicos tuos, quoniam non locuti estis coram me rectum sicut servus meus Iob.

Respondens autem Iob Domino dixit etc. Postquam Dominus redarguit Iob de incauta locutione quae superbiam sapere videbatur, quia scilicet se intantum iustum asserebat quod hoc quibusdam videbatur in derogationem cedere divini iudicii, Iob humiliter se convictum reputans respondet: primo quidem confitendo divinam excellentiam quantum ad potentiam, unde dicit *Respondens autem Iob Domino dixit: Scio quia omnia potes*, et etiam quantum ad scientiam, unde subdit *et nulla te latet cogitatio*. Per quorum primum confitebatur quod Deus poterat adversitatem removere a diabolo inductam, quem Dominus sub figura Vehemot et Leviathan descripserat; per secundum autem recognoscit se interius fuisse aliqua cogitatione superba pulsatum, quod Deum non latuisse recognoscit, et ideo consequenter invehitur contra eos qui divinam providentiam negant dicens *Quis est iste qui celat consilium absque scientia?*, idest quis est tam praesumptuosus et stultus qui dicit humanum consilium posse celari a Deo absque hoc quod Deus illud cognoscat?

Ex consideratione autem divinae excellentiae procedit ad considerationem propriae culpae cum subdit *Ideo insipienter locutus sum*, scilicet debitam reverentiam non exhibens divinae excellentiae in meis verbis, *et quae ultra modum excedunt scientiam meam*, scilicet discutiendo divina iudicia. Et quia «insipienter locutus sum», de cetero loquar sapienter, unde subdit *Audi et ego loquar*, meam scilicet culpam confitendo; et quia «locutus sum quae excedunt scientiam meam», de cetero de ea non audeo loqui sed solum de his te interrogare, unde subdit *interrogabo te*, scilicet petendo, orando, pulsando, *et responde mihi*, scilicet interius instruendo. Quare autem sic mutatus sit ostendit subdens *Auditu auris audivi te*, scilicet olim cum insipienter loquerer, *nunc autem oculus meus videt te*, idest plenius te cognosco quam prius, sicut id quod videtur oculis certius cognoscitur quam quod aure auditur: profecerat enim tum ex percussione tum ex revelatione divina. Quanto autem aliquis magis Dei iustitiam considerat tanto plenius culpam suam recognoscit, unde subdit *Idcirco ipse me reprehendo*, propriam scilicet culpam considerando. Et quia non sufficit culpam confiteri nisi sequatur satisfactio, ideo subdit *et ago paenitentiam in favilla et cinere*, in signum scilicet fragilitatis naturae corporeae: convenit enim humilis satisfactio ad expiandam superbiam cogitationis.

Quia ergo superius Dominus redarguerat Eliud et etiam Iob, nunc tertio redarguit amicos eius, inter quos praecipuus erat Eliphaz — quod patet ex hoc quod primo loqui inceperat —, unde dicitur *Postquam autem locutus est Dominus verba haec ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus est furor meus in te et in duos amicos tuos*, scilicet Baldath et Sophar. Ubi considerandum est quod Eliud ex imperitia peccaverat, Iob autem ex levitate, et sic neuter eorum graviter peccaverat: unde nec Dominus dicitur iratus fuisse contra eos, sed contra tres amicos Iob graviter dicitur fuisse iratus quia graviter peccaverant perversa dogmata asserendo, ut supra habitum est, unde subdit *quoniam non locuti estis coram me rectum*, idest fidelia dogmata, *sicut servus meus Iob*, qui scilicet a veritate fidei non recessit. Pro gravibus autem peccatis expiandis antiqui con-

2 incauta] tanta F V^2 16 recognoscit] cognoscit N pV^2 26 excedunt] —derent *cum Vulg.* Pd π (*def.* pR) 45 ideo] et *praem.* N V^2 64 idest] scilicet β^1 γ

33 petendo...pulsando: Matth. VII[7]. 50 superius: cap. XXXVIII[2s3]. 62 supra: cap. XIII[4]. 66 antiqui...offerre: cf. supra cap. I 161 nota.

[8] Sumite igitur vobis septem tauros et septem arietes, et ite ad servum meum Iob et offerte pro vobis holocaustum. Iob autem, servus meus, orabit pro vobis. Faciem eius suscipiam ut non imputetur vobis stultitia. Neque enim locuti estis coram me rectum sicut servus meus Iob. [9] Abierunt ergo Eliphaz Themanites et Baldath Suites et Sophar Naamathites, et fecerunt sicut locutus fuerat Dominus ad eos, et suscepit Dominus faciem Iob. [10] Dominus quoque conversus est ad paenitentiam Iob, cum oraret pro amicis suis. Et addidit quoque Dominus omnia quaecumque fuerant Iob duplicia. [11] Venerunt autem ad eum omnes fratres sui et universae sorores suae et cuncti qui noverant eum prius, et comederunt cum eo panes in domo eius, et moverunt super eum caput. Et consolati sunt eum super omni malo quod intulerat Dominus super eum, et dederunt ei unusquisque ovem unam et inaurem auream unam.

sueverunt sacrificia offerre, unde subdit *Sumite igitur vobis septem tauros et septem arietes*, quia scilicet ipsi erant duces populorum; septenarius autem est numerus universitatis, unde septenarius sacrificiorum competit ad gravium delictorum expiationem. Sed quia infideles per fideles Deo reconciliari debent, subdit *et ite ad servum meum Iob*, ut scilicet eo mediante mihi reconciliemini, *et offerte pro vobis holocaustum*, ut scilicet vos satisfaciatis qui peccastis. Sed vestra satisfactio indiget fidelis viri patrocinio, unde subdit *Iob autem, servus meus, orabit pro vobis*, qui scilicet dignus est exaudiri propter suam fidem, unde subdit *Faciem eius*, scilicet deprecantis, *suscipiam*, scilicet exaudiendo eius orationem, *ut non imputetur vobis stultitia*, scilicet infidelis dogmatis; et hoc exponit subdens *Neque enim locuti estis coram me rectum sicut servus meus Iob.*

Accepta autem spe veniae, impleverunt quod eis fuerat mandatum, unde sequitur *Abierunt ergo Eliphaz Themanites et Baldath Suites et Sophar Naamathites, et fecerunt sicut locutus fuerat Dominus ad eos.* Et ita per oboedientiam et humilitatem suam digni facti sunt ut pro eis oratio Iob exaudiretur, unde sequitur *et suscepit Dominus faciem Iob*, rogantis scilicet pro amicis suis. Nec solum humilitas amicorum efficaciam praestitit eius orationi sed etiam humilitas propria, unde subditur *Dominus quoque conversus est*, scilicet a furore in clementiam, *ad paenitentiam Iob, cum oraret pro amicis suis:* dignum enim erat ut qui pro suo levi peccato humiliter paenitebat etiam aliis graviter peccantibus veniam impetraret.

Plus autem prodest unicuique sua paenitentia quam aliis, unde si oratio et paenitentia Iob meruit amotionem indignationis divinae ab amicis, multo decentius fuit ut etiam ipse ab adversitate liberaretur. Et quamvis Iob spem suam non referret ad prosperitatem temporalem recuperandam sed ad consequendam futuram felicitatem, Dominus tamen ex abundanti etiam prosperitatem temporalem ei restituit, secundum illud Matth. VI[33] «Primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis». Et hoc quidem tempori congruum erat propter statum Veteris Testamenti in quo temporalia bona promittebantur, ut sic per prosperitatem quam recuperaverat aliis daretur exemplum ut converterentur ad Deum; erat etiam congruum personae ipsius Iob, cuius apud aliquos opinio laesa erat propter multiplices adversitates quae supervenerant ei, et ideo ut ei famam restitueret, ad statum maioris prosperitatis eum reduxit, unde sequitur *Et addidit quoque Dominus omnia quaecumque fuerant Iob duplicia.* Inter adversitates autem Iob quasi praecipua erat quod fuerat ab amicis suis desertus, et ideo huius adversitatis primo remedium ponitur cum dicitur *Venerunt autem ad eum omnes fratres sui et universae sorores suae et cuncti qui noverant eum prius*, in quo designatur recordatio pristinae amicitiae, *et comederunt cum eo panes in domo eius*, in quo designatur reditus ad antiquam familiaritatem, *et moverunt super eum caput*, scilicet compatiendo afflictioni ipsius. Et quia non solum oportet afflictis compati sed etiam eorum afflictioni remedium praebere, primo quidem praebuerunt remedium eius interiori dolori per consolatoria verba, unde subditur *Et consolati sunt eum super omni malo quod intulerat Dominus super eum;* secundo autem adhibuerunt subventionis remedium contra exteriorem inopiam, et quia amiserat et animalia in campis et supellectilia in subversione domus, ideo in utroque ei subveniunt, sequitur enim *et dederunt ei unusquisque ovem unam*, quantum ad animalia, *et inaurem auream unam*, quantum ad supellectilia.

Haec autem modicum fuissent ad reparationem

140 reparationem] recuperationem N γ

69 septenarius: cf. supra cap. 5 321 nota. 120 ab amicis suis desertus: cf. cap. XIX[13].

[12] Dominus autem benedixit novissimis Iob magis quam principio eius. Et facta sunt ei quatuordecim millia ovium et sex millia camelorum et mille iuga boum et mille asinae. [13] Et fuerunt ei septem filii et tres filiae. [14] Et vocavit nomen unius Diem et nomen secundae Cassiam et nomen tertiae Cornustibii. [15] Non sunt autem inventae mulieres speciosae sicut filiae Iob in universa terra, deditque eis pater suus hereditatem inter fratres earum. [16] Vixit autem Iob post flagella haec centum quadraginta annis, et vidit filios suos et filios filiorum suorum usque ad quartam generationem, et mortuus est senex et plenus dierum.

ipsius, sed Dominus manum suam adhibuit ut ex his in maiora proficeret, unde sequitur *Dominus autem benedixit novissimis Iob*, scilicet multiplicando ea, *magis quam principio eius*, idest quam primae eius prosperitati: est enim «potens plus facere quam intelligimus aut petimus», ut dicitur Eph. III[20]. Desideraverat autem Iob supra XXIX[2] ut esset «iuxta menses pristinos», sed Dominus ei maiora restituit et in duplo, ut supra dictum est, unde sequitur *Et facta sunt ei quatuordecim millia ovium:* supra enim dictum est quod «fuit possessio eius septem millia ovium»; *et sex millia camelorum:* nam primo habuerat «tria millia camelorum», ut supra dictum est; fuerant etiam ei «quingenta iuga boum», unde hic duplum ponitur cum dicitur *et mille iuga boum;* supra etiam dictum est quod habuerat «quingentas asinas», sed hic duplum ponitur cum sequitur *et mille asinae.*

Amiserat autem non solum <possessiones sed etiam> filios, qui ei restituuntur sed non in duplum, sequitur enim *Et fuerunt ei septem filii et tres filiae*, cuius ratio duplex esse potest: una pertinens ad futuram vitam, quia scilicet filii quos habuerat non totaliter ei perierant sed reservabantur in futura vita cum eo victuri; alia ratio potest esse quantum ad vitam praesentem, nam si duplicatis ceteris rebus etiam numerus filiorum esset duplicatus, non videretur fortuna domus augmentata fuisse, quia eandem quantitatem in bonis eius unusquisque filiorum habuisset quam prius; et ideo decentius fuit ut proles ei augeretur non numero sed magis in valore. Quod occulte insinuatur in filiabus quae pulcerrimae fuisse leguntur, quarum pulcritudini etiam nomina conveniunt, sequitur enim *Et vocavit nomen unius Diem*, scilicet propter claritatem eius, *et nomen secundae Cassiam*, quae est species aromatica, propter suavitatem ipsius, *et nomen tertiae Cornustibii:* est autem stibium quo mulieres utuntur ad ornatum oculorum, secundum illud IV Reg. IX[30] «Depinxit oculos suos stibio et ornavit caput suum», quod quidem stibium in cornu a mulieribus conservatur ut habeant ipsum paratum cum opus fuerit, unde vocavit eam Cornustibii ad designandam abundantem pulcritudinem oculorum; unde et de pulcritudine earum subditur *Non sunt autem inventae mulieres speciosae sicut filiae Iob in universa terra.* Per quod etiam datur intelligi quod filii eius erant in virtute praecellentes, sequitur enim *deditque eis pater suus hereditatem inter fratres earum*, scilicet ad designandum convenientiam virtutis in utrisque.

Et quia Iob etiam in proprio corpore fuerat flagellatus, additur ei ad prosperitatis augmentum longitudo dierum, unde sequitur *Vixit autem Iob post flagella haec centum quadraginta annis.* Et ut intelligatur toto hoc tempore in prosperitate vixisse, subdit *et vidit filios suos et filios filiorum suorum usque ad quartam generationem.* Et ista prosperitas datur intelligi durasse usque ad mortem, unde sequitur *et mortuus est senex*, quod pertinet ad diuturnitatem vitae, *et plenus dierum*, quod pertinet ad vitae prosperitatem, unde supra ad designandum suam adversitatem dixit «Sic et ego habui menses vacuos»; unde et per plenitudinem dierum designatur abundantia ipsius et quantum ad bona fortunae et quantum ad bona gratiae, quibus perductus est ad futuram gloriam quae durat per omnia saecula saeculorum. Amen.

146 intelligimus] –gamus δ π petimus *scripsi. cum* F[2] Sv] peccamus N F[2] petamus *cet.* 159 <possessiones sed etiam> *suppl.*] possessionem sed etiam π hec sed etiam sAs *om. cet.* 161 enim *om.* F β[1] R

149 supra: vers. 10. 151 Cap. I[3]. 153 Ibid. 154 Ibid. 156 Ibid. 176 species aromatica: cf. Isid. *XVII Etymol.* cap. 8 (PL 82,622 C). 203 Cap. VII[3].

INDICES

Numeri in his indicibus occurrentes hoc modo interpretandi sunt:

12_{14} 209: cap. 12, vers. 14, linea 209

$4\,(5_1)$ 582: cap. 4 (iuxta Vulgatam Clementinam = cap. 5, vers. 1), linea 582

INDEX RERUM ET VERBORUM

A

abditus: quae in abditis fiunt homo non cognoscit 10_4 139

abiectio: quidam totaliter destruuntur per omnimodam abiectionem quantum ad esse civile 12_{14} 209

abominatio, abominari, abominabilis: omnia abominamur per quae in odiosum devenimus 3_3 101; cibus comestus quandoque extra eicitur cum abominatione 20_{15} 153; per festinam mortem redditur humanum cadaver abominabile quasi stercus 20_7 59; hypocritae videntur maxime esse abominabiles apud Deum 27_8 103; impii in abominatione post mortem 11_{20} 287

aborsus, abortivus; formatio fetus concepti et perductio ad perfectum impeditur per aborsum 21_{10} 85; ab abortivis fetibus ante infusionem animae rationalis nihil perpetuum remanet 3_{16} 395

abscondere: timentes se abscondent a facie eorum quos timent 13_{20} 297; a Deo non sunt abscondita quae in tempore aguntur 24_{13} 121; in sinu absconditum 19_{27} 347. – Abscondere se in cavernis lapidum: *amplexari lapides* 24_8 89

absorbere: dulcem cibum comedens non cito illum absorbet 20_{12} 126; cetus si magnum animal integrum absorberet 41_4 64; homines terra absorpti 38_{13} 294

abundantia, abundare: superbia ex abundantia temporalium rerum oriri solet 15_{24} 255, et contemptus Dei 12_4 108; qui in temporalibus abundant maxime solent irridere in eis deficientes 12_4 65; abundantia praedonum consequens est eis a Deo 12_6 131; pinguedo ex abundantia humorum causatur 15_{24} 258. – Abundantia: *flumen* 20_{17} 187, *pinguedo* 15_{24} 258, *plenitudo dierum* 42_{16} 204, *pluvia* 20_{33} 268

abyssus: profundum maris 41_{23} 411

acceptio, accipere: collatio datorum et acceptorum 22_3 20; est personarum acceptio si aliquis iustitiam alicuius contemnit aut negat propter magnitudinem alterius 13_6 94, si in respondendo veritatem relinquit ut homini deferat 32_{21} 191, *vide* veritas; acceptio personarum iustitiam iudicantis excludit 13_6 93; apud antiquos acceptissimi erant boves propter agriculturam 21_{10} 81

accidere: omnia quae accidunt in corporali creatura in utilitatem hominum redundant 38_{12} 270

accidia: peccatum accidiae est cum aliquis tristatur de spirituali labore 1_5 210, e.g. cum frequens cultus Dei in fastidium venit 1_5 208

accipiter: est avis nota 39_{13} 165 et boni volatus 39_{13} 165, solis animalibus vivis pascitur 39_{30} 321; tempore mutationis pennarum expandit alas ad austrum 39_{26} 288

accusare: non potest iudex interiorem conscientiam accusati cognoscere 10_4 131. – *Vide* iudex

acquirere: homines de his quae de novo acquirunt magis gaudent 31_{25} 280; tendens in finem acquirit illa per quae ad finem perveniat $9_{26}612$; male acquisita interdum de facili consumuntur 15_{34} 325. – Acquirere rapaciter: *devorare* 20_{15} 159

actio, agere: facultas non sufficit ad agendum nisi homo ab aliquo incitetur 32_{18} 167; actio iusti a suo principio quod est voluntas et fine intento non discrepat 1_7 372; prudentia ad actionem pertinet 12_{19} 185, *vide* consilium; contingit aliquem errare in agendis dupliciter, scilicet per ignorantiam et propter passiones 12_{25} 387; fervens desiderium peccandi compellit peccatorem contra suam sententiam agere 18_9 123; loquens ex impetu passionis agitur passione 3_1 31; tenebrae impediunt actionem 23_9 139; bona quae agimus non referuntur ad prosperitatem terrenam quasi ad praemium 1_{10} 518; disciplina sumitur quandoque pro instructione agendorum et vitandorum 33_{16} 189. – Actiones: *viae* 4_6 104. – *Vide* agens, facere, operatio

actus: id quod secundum se actus est omnino immobile est 4_{18} 425; causa immutabilitatis est actus 4_{18} 422; per solam rationem nostri actus domini sumus 3_1 33; actus spirituales maxime impediuntur per delectationem veneream 31_2 28

adeps: propter superabundantiam nutrimenti generatur 21_{34} 244. – *Vide* pinguedo

adinventio: *adinventiones*: peccata sollicite excogitata 20_{15} 207

adiumentum, adiutorium, adiuvare: homo per rationem proprio labore potest sibi necessaria adiumenta conquirere 5_7 120; adiuvare videtur aliquem qui eius operationem defendit 26_2 19; liberationem sperare per adiutorium amicorum 15_{22} 209

admiratio, admirari, admirabilis, admirative: insolita admirationem inducere solent 4_{15} 298; quasi admirative quaerere 10_8 193. – Admirabilia quaedam: terraemotus 38_{13} 262; dispositio terrae sub aquis 38_{16} 310; aqua in aere suspensa 26_8 115; abundantia pluviarum 36_{28} 302; dispositio inferiorum secundum superiora 38_{33} 583; leaena capiens sufficientem praedam 38_{39} 671; caelestium corporum ordo, situs et motus 38_{32} 550, 38_{33} 580; terreni hominis ad spiritualia et caelestia promotio 37_1 45; divina maiestas 41_{16} 299; divina potestas 41_{16} 301; divina virtus 41_{16} 285. – *Vide* mirabilis

adolescentia, adolescens: adolescentia est magis praeceps ad peccandum 20_{11} 121; adolescentis patris filios pueros esse oportet 29_5 53. – *Vide* iuvenis

adulterium, adulter: adulteriis peccatur in proximum 1_1 21; in adulterio homo uxori proximi dolose insidiatur 31_9 120, cf. 24_{15} 157; si consideretur humana iustitia, adulterium est iniquitas maxima 31_{11} 138, detrahens viro uxorem, prolem certam et totam patrimonii successionem 31_{12} 143; adulterium est

contra statutum Dei 31_{11} 136; iuste puniri videtur qui alienam uxorem adulterio polluit quod etiam eius uxor ab aliis polluatur 31_{10} 129

Adulter observat caliginem 24_{15} 160, 24_{16} 164, 24_{18} 193, ei tempus breve videtur 24_{17} 171, 174; adulteri ex concupiscentia ducuntur 24_{17} 180, cf. 31_{9} 121, inconsiderate se periculis ingerunt 24_{17} 180, cf. 24_{18} 196, ex re modica et fragili fiduciam capiunt 24_{18} 186

adversari, adversarius, adversum: nullus suis rebus adversatur 41_{8} 30; efficax disputator adversarium ducit ad inconveniens 12_{17} 287; ab adversario dicta non audire 6_{26} 307; homo adversum se loquitur quando vita privari optat 10_{1} 24. – Adversarius: *Satan* 1_{6} 255

adversitas, adversa: adversitas est ex periculis multis 5_{20} 346, *vide* amaritudo, tristitia; adversitas ex se amara est et contristans 1_{31} 849; adversitatem et boni et mali abhorrent 3_{9} 275; maiori adversitate oppressus minorem non sentit, sed post minorem sentitur maior 1_{18}623; praecogitata adversa facilius tolerantur 1_{13} 632, 4_{6} 106; aliqui nesciunt adversis uti ad virtutem 4_{9} 41; quidam primo in adversis virtuose agunt sed adversitate durante deficiunt 4_{3} 43; aliqui parvam adversitatem sustinerent sed sub magna deficiunt per impatientiam 4_{4} 50; ex magna adversitate iustorum interdum corda commoventur, sed simulate iusti ex modica adversitate turbantur 1_{11} 534; adversitas levius fertur quando a pluribus portatur 2_{12} 246; in futurum adversa prospiciens quandoque adminicula parat 8_{16} 243; interdum homo licet adversa patiatur ita se tuetur ut parvum vel nullum inde dolorem concipiat 6_{13} 173; in adversitatibus remedium invenitur multipliciter 19_{7} 55, *vide* auxilium; a statu adversitatis resurgens homo per filios et familiam 15_{30} 300; in statu prosperitatis magis recogitat prudentior quae in adversitatis tempore sibi accidere possunt 3_{25} 524; homines stulti in adversitatibus non inveniunt adiutorem 5_{4} 73; mens triplex hominis ad adversitates mundanas 5_{19} 332; quorundam animus adversitatibus non nimium molestatur et hoc ad fortitudinem pertinere videtur 4_{6} 87, quidam gravem tristitiae passionem patiuntur sed ab ea non abducuntur et hoc ad patientiam pertinet 4_{6} 93, cf. 1_{11} 534

Videmus et iustis et peccatoribus adversitates esse communes 10_{15} 321, 13_{7} 65, cf. 5_{19} 339; adversitas temporalis non est proprie poena peccatorum 1_{10} 522, 6_{2} 18, 6_{3} 39, 10_{14} 296, 10_{15} 318, 21_{14} 141, 36_{12} 111; apparet multos sceleratos leves adversitates sustinere 6_{3} 38; aliqui adversitates patiuntur quorum peccata non apparent 36_{12} 117

Adversitas impii gravior est quam iusti 21_{17} 166; interdum perfectissimi viri gravissimas adversitates patiuntur 5_{19} 341; durum videtur quod innocentes praeter mortem communem multiplices adversitates sustinent in hac vita 9_{23} 523, 528; si quandoque boni per temporales adversitates flagellantur, hoc cedit in glorificationem sanctorum et maiorem damnationem diaboli et impiorum 41_{14} 259, cf. 7_{1} 50

Adversitas: *amaritudo* 13_{26} 394, *aqua* 24_{18} 197, *dolor* 5_{6} 108, *ignis* 22_{20} 222, *plaga* 23_{2} 15, *tempestas* 27_{20} 231; adversitas immissa: *sagitta Dei* 34_{6} 59, cf. 15_{22} 214, 15_{30} 294; adversitas subita et inopinata: *nox* 34_{25} 295; gravis tempestas adversitatis: *inundatio* 21_{17} 174

Vide afflictio, flagellum, poena, punitio, tribulatio; iustus, impius; Deus, Iob

advertere: non advertere quid ex praemissis sequatur 27_{12} 145. – *Advertere*: cognoscere per certitudinem 23_{13} 215

aedificium, aedificator: fundamentum est infima aedificii pars 38_{4} 86; fundatio aedificii fit secundum aedificatoris rationes 38_{4} 102; artifex in aedificii fundatione quatuor disponit 38_{4} 109; homo fundamentum aedificii collocat propter necessitatem habitationis 38_{7} 138; cum artifex, dissoluto aedificio, ex eadem materia non intendit iterum aedificium reparare, de materia nullam curam agere videtur 14_{13} 162, sed si intendit, diligenter custodit eam ne pereat 14_{13} 165. – *Vide* domus

aegritudo, aegrotare: aliquis ex aegritudine moritur quam Deus immittit pro peccato 33_{18} 208, cf. 33_{19} 212, *vide* Deus; solent aegrotantium afflictiones remediis et deliciis alleviari 2_{9} 131

aeneus: sine sensu 6_{12} 156

aenigma: dicitur sermo obscurus qui aliud praetendit in superficie et aliud interius significat 13_{17} 249

aequalitas, aequalis, aequaliter: in aequalitate consistit iustitia 1_{1} 33; si fuerint duo aequales, si oporteat alteri culpam imponi 40_{4} 37. – Aequaliter: *simul* 21_{26} 261. – *Vide* vita, mors

aequinoctialis: transit per utrumque polum 9_{9} 254; si aliqui sub aequinoctiali habitant, eis uterque polus conspicuus est 9_{9} 251. – *Vide* polus

aequitas: simulata aequitas est duplex iniquitas 27_{8} 102. – *Vide* iudicium

aer: sublimius corpus 37_{16} 246, cf. 1_{20} 781; manifestum est naturaliter aeri aquam subiacere, aerem autem igni 5_{10} 207; aer continetur sub caelo 38_{17} 316, cf. 37_{18} 270, cum quo secundum aspectum continuatur 38_{28} 228; ex omni parte circumdat terram et aquam 38_{8} 175; sub superiori hemisphaerio caeli apparet spatium aere plenum quod vulgares reputant vacuum 26, 95; est corpus molle 37_{18} 273; non tantum de aere continetur in simplici aqua quantum in unguentis 41_{28} 394

Aeris prima dispositio communis est variatio noctis et diei 38_{12} 229; perturbationes aeris, puta venti, pluviae, nives, grandines, tonitrua, (pruina, ros) etc. 37_{16} 241, cf. 36_{27} 295, $37(36_{28})$ 2, 38_{28} 427, *vide haec verba*; aqua in aere suspensa vaporabiliter elevata 26_{8} 115; aeris perturbationes ex solo motu vaporum ex terra et aqua fieri possunt 1_{19} 718; ad omnes aeris permutationes virtus caelestium corporum operatur 37_{18} 260, cf. 38_{17} 347; circulatio fit in dispositione aeris secundum motum solis annuum 7_{9} 197; mare maxime ex immutatione aeris commovetur 28_{26} 322; diversae dispositiones aeris congruunt diversis hominum operibus 37_{7} 115; Deo permittente possunt daemones turbationem aeris inducere 1_{19} 706

Cum aer serenus fuerit, diversificatur intentio caloris, non claritatis 38_{24} 457; aer in maiori nobilitatis altitudine consistit dum subditur luci 1_{20} 781; lumen in aere ex radiis solis ante ortum et post occasum 37_{11} 171; qui habitant terram illustrantur lumine aeris eam operientis 10_{21} 469; aer tenebrosus vel clarus secundum nubes 37_{15} 233, cf. 37_{21} 322, 9_{7} 182; vapores aerem obscurantes super maris superficiem 38_{9} 203

Ventus auster aerem calefacit 37_{17} 253; in serenitate praeparatur

claritas et calor aeris 38_{24} 447; ex aeris calore vestimenta magis calefaciunt 37_{17} 254; venti septentrionales causant frigus in aere 37_{9} 132; in aere glacies ex frigore causatur ad pruinam pertinens 38_{29} 513; propter aeris frigiditatem frequentiores et graviores sunt pluviae 24_{8} 82; propter circumstans aeris frigus, calor recurrit ad interiora terrae 37_{22} 336; frigus aeris irrumpere non potest usque ad maris profundum 38_{30} 526

Aerem corruptum ex abundantia sulphuris vitant homines et animalia bruta 28_{7} 102; aer emissus respirando calefiebat in pulmone 41_{11} 183; aer adustus de naribus ceti exiens dicitur fumus 41_{11} 180

aes: aurum videtur purissimum inter metalla et post hoc argentum et sub hoc aes 28_{1} 23; aes invenitur ut incorporatum lapidibus 28_{1} 31; quod est de natura aeris in lapidibus per calorem ignis eliquatur 28_{2} 52; aere utebantur homines ad fundamenta 37_{18} 281

aestimatio, aestimativa: aestimatio naturalis in gallo 38_{36} 631; bonitas aestimativae naturalis in elephante 40_{10} 306; secundum aestimationem vulgarium hominum loqui 26_{7} 98

aestus: propter vehementiam aestus messores quandoque in agro consistere non possunt 29_{19} 182; imber serotinus refrigerium praestat post aestum diei 29_{22} 221, cf. 40_{17} 440

aetas: homo per aetatis processum tendit in mortem 16_{22} 313; senes propter gravitatem aetatis maturius loquuntur 32_{7} 68; aetas non est sufficiens causa sapientiae 32_{9} 78, 32_{9} 88; pupillorum misereri propter defectum aetatis 24_{9} 34

aeternitas, aeternus: quidam posuerunt motum caeli et hunc statum mundi in aeternum duraturum 19_{25} 285; illi qui sunt in tempore modum aeternitatis Omnipotentis comprehendere non valent 24_{1} 15, 21, 36_{26} 291, *vide* Deus

aether: totum superius corpus 35_{5} 55

affectio, affectus: cuiuslibet affectionis est amor principium 1_{8} 439; homo non deprehendit ad liquidum motus sui affectus 9_{21} 499; ad salutem requiritur interior humilitatis affectus 22_{30} 304; spiritualibus affectibus mens Deo coniungitur 1_{8} 435, *vide* Deus; quandoque infectio terrenae affectionis in bonis operibus admiscetur 9_{21} 683; affectiones terrenae a remotis imitantur spirituales affectus 1_{8} 434; ab amore Dei deficit omnis affectio terrena 1_{8} 437, *vide* Deus; inordinatus affectus ad divitias contingit dupliciter 31_{24} 267; affectus sensualitatis 39_{35} 372, cf. 3_{15} 383. – Affectus: *pes* 23_{11} 188, 31_{5} 75

affinitas: homo affinitatem cum parentibus contrahit ex origine 17_{14} 191

afflictio, affligere: afflictionem cordis animalia ore exprimunt 6_{5} 70, 76; cordis afflictio ex fervore doloris procedit 30_{27} 270, *vide* dolor; de amissis vel passis homo afflictus sine timore 11_{16} 227; affligitur homo cum ab amicis deridetur 10_{16} 351, cf. 42_{11} 119, senectutis tempore propter invaliditatem 30_{27} 272; afflictiones hominum verbis consolatoriis relevantur 2_{9} 147, cf. 42_{11} 128, spe melioris status 6_{4} 59, remediis variis 2_{3} 131, 7_{12} 296, cf. 42_{11} 129, *vide* consolatio; cum afflicto afflictio additur, prior ad memoriam revocatur 23_{8} 12; homo in magna afflictione constitutus ex levi memoria suae miseriae provocatur ad rugitum 3_{24} 510; non decet ut homo afflicto afflictionem addat 19_{22} 205; sustinet homo non virtuosus ut alii potius corpore affligantur quam ipse 2_{4} 91; iustorum afflictio videtur providentiam Dei circa res humanas impugnare Prol. 60, 66, 1_{1} 6, est tamen divinae providentiae conformis 27_{8} 86, *vide* Deus; afflictus homo si perciperet causam quare Deus eum affligit 9_{17} 430, cf. 9_{16} 413; affligi nimia sollicitudine 20_{22} 254. – *Afflictio*: corporalis dolor 30_{16} 188; afflictio corporis: *sanguis* 16_{19} 249; afflictio improvisa: *sagitta Domini* 6_{4} 50. – *Vide* adversitas, flagellum, poena, punitio, tribulatio; iustus, impius

agens: omne agens in suo effectu bonum intendit 10_{16} 371, cf. 369; principali agenti attribuuntur ea quae per causas secundas aguntur 10_{10} 239

ager: dimittuntur animalia fortia ad agrorum custodiam 39_{11} 138; circa principium humani generis agrorum possessio non ita pretiosa erat sicut animalium 1_{3} 69

agricultura: apud antiquos acceptissimi erant boves propter agriculturam 21_{10} 81

ala: instrumenta congrua ad volandum scilicet alae 5_{7} 119; per alas iuvatur strutio ad velociter currendum 39_{18} 207; accipiter expandens alas ad austrum 39_{26} 289

alienus: homines aliena rapiunt ut filiis divitias congregent 31_{8} 113, *vide* rapere; per aliquos alienus transiens 15_{19} 177

alimentum: sicut semen est superfluum alimenti ita et lac 10_{10} 244; radix arboris attrahens alimentum 14_{8} 75

aliqui: *vide* quidam

allicere: alium superare promissis alliciendo 41_{21} 363, 365; potenti favere quasi allectus ab eo blanditiis 41_{3} 41

alteratio: loca per alterationem subversa 28_{6} 87

altus: quanto aliqua sunt altiora tanto humano respectu sunt minus perceptibilia 4_{12} 223; ad altum statum quandoque sublimatur hypocrita 20_{6} 48

amaritudo, amarus, amaricatus: amaritudinem medicinae gustus percipit 3_{2} 92; amaritudo animae pertinet ad interiores dolores de corporalibus nocumentis vel ex infortunatis eventibus 21_{25} 252, nascitur ex miseria 3_{35} 515, 518, ex propria culpa 3_{26} 535, suspirium est eius signum 3_{34} 500; amara non potest cor hominis libenter acceptare 6_{4} 87; si anima in amaritudine sit, vivere redditur amarum 3_{30} 447; homines amaricati inquirunt de causis suae amaritudinis 7_{12} 265; per multas amaritudines ad infernum descendebant quidam ante Redemptoris adventum 21_{13} 117. – *Amaritudines*: adversitates hominum 13_{26} 394; amaritudo: *tenebrae* 30_{26} 263. – *Vide* dolor, tristitia, etc.

ambra: vapor ad modum odoris ambrae 41_{10} 166

ambulare: in luce ambulant quibus omnia prospere succedunt ad votum 18_{5} 62; in vacuum ambulant qui a fine ambulationis deficiunt 6_{18} 238. – *Ambulare*: procedere 24_{17} 185, 29_{3} 38

amicitia, amicus: est amicorum idem velle et nolle 1_{21} 833; delectabilissimum est videre amicum et ei convivere 2_{11} 227, experimentum sumere de amicitia alicuius 2_{12} 249; amicorum compassio consolativa est 2_{12} 245; multa per nos ipsos non possumus quae possumus per amicos 6_{12} 187, cf. 15_{22} 209, 20_{9} 97; in potente amico homo confidit sicut in suo brachio 38_{15} 301; de amicis

mortuis non dolere duri et insensibilis cordis est 1_{30} 757, virtuosi est hunc dolorem non immoderatum habere 1_{30} 758; est tolerabile si semel aliquis contra amicum loquatur 19_3 13, sed multiplicare verba est malitiae confirmatae 19_3 14; maxime homo affligitur cum ab amicis deridetur 10_{16} 351, et deseritur cf. 42_{11} 119; qui in amicis nihil nisi propriam utilitatem quaerunt 6_{18} 231, in tempore prosperitatis amicitiam simulantes 6_{18} 233; carnes gratis distribuere amicis 40_{25} 608. – Amicus potens: *brachium excelsum* 38_{15} 300

amissio, amittere: quod in manibus portatur de facili amittitur 13_{14} 212; quae aliquis amittere timet diligenter abscondit 13_{14} 214; tria gradatim homo amittit 14_{10} 87; peccato homo amittit Deum 28_{28} 351, *vide* Deus, peccatum

amor: cuiuslibet affectionis est amor principium 1_8 439; homo appropinquat Deo per cognitionem et amorem 17_3 58, *vide* Deus; amor terrenus ab amore Dei deficit 1_8 437, *vide* Deus. – Ardor amoris: *ignis* 18_5 69

amplexari: *amplexari lapides*, idest abscondere se in cavernis lapidum 24_8 89

an est: cognoscere de Deo an est 36_{26} 288, *vide* Deus

angelus: superiores creaturae quae dicuntur angeli quasi a Deo missi ad alia dirigenda 4_{18} 446, angeli quia divina hominibus annuntiant 1_6 246; angeli natura incorporei sunt 4_{19} 497, facti sunt participes sapientiae divinae 28_{27} 332, per simplicem apprehensionem percipiunt sapientiam veritatis 28_{27} 339, assistere dicuntur Domino dupliciter 1_6 266, *vide* assistere; angeli in sua dignitate remanentes excellentiam habent supra hominum dignitatem 40_{10} 239, unde eis apparent in fulgentiori claritate 40_{10} 241; creatura corporalis modicum aliquid est in comparatione sanctorum angelorum 41_{16} 291; angeli caelestes non admirantur multum de occisione alicuius corporalis ceti 41_{16} 292

Omnes angeli creati sunt boni 4_{18} 412; si angelorum creatio duratione praecessit hominis productionem 40_{10} 296, cf. 38_7 155; Satan inter angelos factus creditur 40_{16} 291; ex vi contemplativa in angelis debuerit esse stabilitas 4_{18} 419, 433, ex vi activa nihil vel minimum de pravitate 4_{18} 440, 446, per naturam propriam possunt in peccatum deflecti 15_{10} 131; quidam angelorum per propriam culpam ceciderunt a rectitudinis statu 4_{18} 413, 26_{13} 166, 40_{10} 225, quod mirum videtur propter duo 4_{18} 416, *vide* daemon, diabolus; quidam angelorum ad maiorem gloriam pervenerunt 4_{19} 415, 26_{13} 181

Angeli boni sunt super terram idest in caelo 1_7 398, divina visione perfruuntur 1_6 274, hoc intendunt ut ea quae agunt referantur in Deum 1_6 303, nil agentes nisi ad quod divino iussu moventur 1_7 317; speciosi sunt angeli boni ex participatione divinae sapientiae et iustitiae 40_5 116, decor eorum redundat in ornatum Dei 40_5 119; non est in sanctis angelis timor poenalis sed reverentia ad Deum 26_{11} 161; purgantur non ab immunditia sed a nescientia (Dionysius) 41_{16} 288, cf. 285, per separationem a societate diaboli 41_{16} 299, a malis 41_{16} 301; angeli supremae hierarchiae collocantur in vestibulis deitatis (Dionysius) 38_7 165, angeli superiores magis intime divina visione perfruuntur Deo assistentes 1_6 276, nec ad exteriora exeunt sicut ministrantes 1_6 277, inde superioribus iubilatio attribuitur, inferioribus vero laus 38_7 167; angeli mali non intendunt acta sua referre in Deum 1_6 307, 1_7 320, eis nolentibus accidit ut quicquid agunt subdatur divino iudicio 1_6 308

Angelorum ministerio caelestia corpora moventur 38, 163, totus cursus rerum corporalium administratur 9_{13} 367; materia corporalis non oboedit ad nutum angelis 1_{19} 708; sunt angeli medii inter Deum et homines 33_{23} 254, qui iustitiam hominis Deo proponunt homines adiuvantes 33_{23} 255, 33_{24} 269, 33_{26} 290, non quasi Deum instruentes 33_{23} 255, executores divinae misericordiae apud homines 33_{24} 270; in die iudicii angeli et omnes sancti admirabuntur divinam potestatem 41_{16} 301, erunt de cetero purgati per totalem separationem a malis 41_{16} 304

Angeli: nuntii 1_6 246, sancti homines 41_{16} 295; *angelus loquens*: intercedens 33_{23} 261; angeli: *columnae caeli* 26_{11} 156, *sancti Dei* 15_{15} 130. – *Vide* creatura, spiritus, virtus; Deus

angularis: artifex primo iacet in fundamentum lapidem angularem ad quem diversi parietes congregantur 38_6 131

angustia, angustare, angustiari, angustus: in angustiis vivere taediosum est 10_1 18; tacendo interius magis a dolore angustatur homo 13_{19} 278; rex angustiatur timore ne perdat 15_{24} 239. – *Os angustum*: tribulatio 36_{14} 158; angustiae: *tempestas* 36_{14} 135

anima, animatio, animare: inferiores spiritus rationales mortalibus corporibus uniti scilicet animae 1_6 239; anima humana quantum ad aliquid est in corpore sicut homo in domo vel nauta in navi 4_{18} 473, cf. 10_6 172, unitur corpori etiam ut forma materiae 4_{19} 480, cf. 19_{27} 324; per animam est vita 33_{22} 232; una et eadem anima est quae per intellectum scientiam percipit et per alias vires corpus vivificat 26_4 48; anima est principalior pars hominis 4_{19} 488, cf. 2_1 4, transcendens totum genus corporalium 14_{19} 273; aliqui dixerunt quod anima non unitur corpori nisi accidentaliter sicut homo vestimento aut nauta navi 4_{19} 476; anima non est homo ut quidam posuerunt, dicentes hominem esse animam indutam corpore 4_{19} 485; Porphyrius: animae, ad hoc quod fiat beata, omne corpus fugiendum est 19_{27} 319

In generatione est animatio fetus 10_{23} 256; anima rationalis non infunditur nisi post organisationem 10_{12} 257, *vide* Deus, administratur per superiores spiritus incorporeos 1_6 239; secundum Manichaeorum haeresim hominis anima a Deo facta est, corpus vero a contrario auctore formatum 10_8 168

Solá animarum immortalis est anima rationalis 3_{16} 393, 30_{24} 239, cui attestatur virtus liberi arbitrii 14_{20} 299; intimae vires animae sunt intellectus et ratio 38_{26} 622, *vide* intellectus, ratio; animae bona substantiae hominis adveniunt 10_8 199, praecipue sunt sapientia et iustitia 18_4 38; est perversa intentio si quis bona animae ordinat ad prosperitatem exteriorum bonorum vel ad corporis salutem 2_1 5; circa passiones animae duplex fuit antiquorum opinio 3_1 2, *vide* tristitia; amaritudo animae ex miseria nascitur 3_{25} 515, *vide* amaritudo

Anima separatur a corpore (in morte) 14_{19} 88, *vide* mors; anima naturaliter appetit uniri suo cor-

pori 14_{16} 215, quod consequetur virtute divina 14_{15} 217, cf. 19_{26} 312; posuerunt Platonici quod animae hominum derivabantur ab animabus stellarum, revertendae ad illas 37 (36_{33}) 35; ad infernum animae omnium hominum descendebant etiam iustorum ante Christum 10_{21} 437; secundum fabulam animae malorum fluvio nomine Cocyto perducebantur 21_{33} 325

Duces suis exhortationibus animant milites 39_{25} 280. – *Anima*: vita 2_4 95; *animam perdere in furore*: a sapientia et iustitia excidere 18_4 37; anima: *spiritus hominis* 34_{14} 152; intimae vires animae: *viscera hominis* 38_{26} 622; animae quaecumque virtus est motionis principium: *pes* 31_5 75; deordinatio potentiarum animae: *corruptio* 33_{19} 201. – *Vide* caro, corpus, spiritus, mens, vita

animal: animalia terrestria communius animalia dicuntur 40_{19} 252, sexto die simul cum homine producta 40_{16} 286; inter diversas proprietates animalium praepollet cognitio 38_{26} 618, *vide* cognitio, sensus; longe sunt animalia a conversatione humana 39_2 33, *vide* homo; caro est infirmior pars animalium 19_{22} 213, *vide* caro; animal respirat non solum per nares sed etiam per os 41_{13} 187, *vide* respiratio; est in quolibet animali principium motus a dextro 23_8 83, *vide* motus; in animalibus apparent multa indicia naturalis prudentiae 38_{36} 627, industria naturalis 39_{17} 200, 39_1 22, 39_2 32, 39_4 42, *vide* industria, instinctus naturalis 37_9 124, cf. 39_{27} 298; solent plura animalia ex solo strepitu terreri 39_{22} 253; interiorem afflictionem animalia exprimunt voce 6_5 76, cf. 70; in cibo et coitu praecipuae delectationes animalium consistunt 40_{11} 323; in fructificatione animalium quatuor 21_{10} 84, *vide* coitus, generatio, semen; partus est animalibus poenosus 39_3 40; ad animalium usus res naturales contemperatae sunt 5_{10} 204; bonum et malum in brutis animalibus disponitur a Deo propter speciem tantum 7_{17} 383

Animalium terrestrium maximum est elephas 40_{20} 511, *vide* elephas; in mari sunt maiora animalia (Plinius) 41_{24} 424, *vide* mare, inter quae excellit cetus 40_{18} 248, 40_{20} 513, habens magnitudinis additamentum supra omne animalium genus 40_{10} 255, 41_{24} 422, *vide* cetus, Leviathan; eiusdem generis animalia domestica et silvestria 39_5 62, *vide* domesticus, silvester; quaedam animalia fetus deserunt propter timorem 39_{16} 191; fortia animalia ad agrorum custodiam dimittuntur 39_{13} 138; nobilioribus animalibus reservantur pascua meliora 39_8 110; animal emittens aquas 40_{20} 518; testiculi animalium gressibilium et generantium animal 40_{12} 342

In terra et animalibus humanae divitiae consistunt 12_{10} 155, *vide* pecus, butyrum; circa principium humani generis non ita pretiosa erat agrorum possessio sicut animalium 1_3 69; animalium captorum carnes dividuntur dupliciter 40_{25} 606; carnibus animalis delectabilis desiderant homines saturari 31_{21} 323

In effigie brutorum animalium frequenter daemones apparent hominibus 40_{10} 235, cf. 244; si sicut motum unius animalis imaginemur motum firmamenti 23_8 85. – Animal: *Vehemot* 40_{10} 250

animus: a subito supervenientibus animus magis commovetur 1_{13} 630; ex vehementi animi passione etiam caro immutatur 21_6 44, cf. 1_{20} 735, *vide* passio; vehemens delectatio magis animum ad se trahit 31_3 53, *vide* delectatio; exasperantia magis animum 16_2 12; dolorem exterius exprimens, quodammodo eius animus mitigatur 13_{19} 276; in die relevatur animus hominis 17_{12} 171

Animi constantia habenda est ut et bonis temporalibus in superbiam non elevemur et ut ex contrariis malis animus noster non deiciatur 2_{10} 182; animi firmitas duos gradus habet, quorum unus ad fortitudinem pertinet, alter ad patientiam 4_6 85, *vide* fortitudo; inordinatus animus sibi ipsi est poena (Augustinus) 24_{19} 221; quidam sunt magni et elati animi qui facile provocantur ad iram 5_2 8; ad parvitatem animi pertinet quod aliquis non se aestimet posse prosperari inter alios prosperantes 5_2 29; ex parvitate animi contingit quod homines sint simulatores 36_{13} 140; iuvenes ex fervore animi frequenter multa et inordinate proponunt 32_7 67; deliciose viventes solent vigorem animi amittere 5_5 85; quo animo Iob loquens 10_1 11

Animi commotio (ira) non est in Deo 32_{26} 551, *vide* Deus; equi in bello magnitudo animi 39_{20} 241, fervor animi 39_{24} 266; sardius accendit animum ad gaudium 28_{16} 202

Animus: *os* 29_{33} 218; superbia animi: *magnitudo* 36_{19} 197; propter animi virtutem nominati: *viri* 36_{24} 261

annulus: retinetur bubalus per annulum ferreum 40_{21} 547, 556

antarticus: *vide* polus

ante, anterior: ante, differentia positionis in caelo 23_8 80, *vide* caelum; anterius et postremum fluvii Cocyti 21_{33} 336

antiquitas, antiquus, antiquitus: in terraenascentibus est naturalis causa desiccationis propter antiquitatem 8_{12} 176; ea quae diuturnitatem temporis requirunt per antiquorum memorias maxime comprobantur 8_8 130; antiqui sunt sapientes quia multa audierunt 12_{12} 183, vide senectus, experientia; omnes antiqui ante Redemptoris adventum ad inferna descendebant 21_{13} 115, cf. 10_{21} 437; de rebus antiquis multa fabulose et scribuntur et narrantur 8_8 140

Secundum quosdam antiquorum species numerorum usque ad decem protenduntur 9_3 36; quidam antiquorum situm terrae et aliorum elementorum attribuebant necessitati materiae secundum quod gravia levibus succident 38_4 96; ab antiquis dogmata humanae instructionis multotiens carminibus comprehendebantur 35_{10} 106, 36_{24} 263; apud antiquos liberi instruebantur in musicis 21_{12} 103, divitiae praecipue in pecudibus erant 29_4 57, cf. 1_3 69, boves erant acceptissimi propter agriculturam 21_{10} 81; mulis maxime antiqui insidebant 1_3 84, aere ut plurimum ad fundamenta utebantur 37_{18} 281; colebant antiquitus idolatrae stellas caeli et praecipue luminaria 31_{26} 284; apud antiquos iudicia exercebantur in portis 29_7 74, cf. 5_4 73; pro gravibus peccatis expiandis antiqui sacrificia offerebant 42_8 66; apud antiquos corpora mortuorum igne comburebantur 34_{15} 165. – Antiqui: *gigantes* 26_5 63. – *Vide* quidam

antrum: domus onagri, puta aliquod antrum 39_6 91

anxietas: ex artatione viscerum sequitur anxietas 20_{22} 252

aper: duos dentes aliis longiores habet 41_5 75; aprorum carnes 40_{25} 606

apertura: apertura oris dentata in ceto 41_5 72

apis: mel officio apum ex floribus colligitur 20_{17} 180

apostatare: apostatare a Deo repugnat divino cultui 40_{7} 176

Apostolus: quonam sensu prohibeat maledicere 3_{1} 63

apparitio, apparere, apparentia: pulcritudo in exteriori apparentia consideratur 18_{12} 172; benedicere Deo ad apparentiam hominum 1_{11} 551; apparens sensibiliter 25_{5} 78, 26_{7} 83; apparens oculis 23_{8} 137; apparentia nobis luminaria 23_{9} 148; Saturnus, Iupiter et Mars incipiunt primo apparere in mane, luna semper in sero, Venus autem et Mercurius quandoque de mane quandoque de sero 38_{22} 557; apparens claritas diluculi 38_{12} 248; apparens bonum 11_{11} 179, *vide* bonum; non apparentia peccata 36_{12} 117; visiones apparent vigilanti ab usu exteriorum sensuum alienato 7_{14} 312; apparitiones fiunt a spiritu bono et malo 4_{14} 350; angeli in fulgentiori claritate apparent hominibus 40_{16} 239; in animalium brutorum effigie frequenter daemones apparent hominibus 40_{10} 235. – *Vide* revelatio, visus

appellare: unumquodque consuevit appellari id quod est in eo principalius 4_{19} 489

appetitus, appetibilis: appetitus intellectualis non quiescit nisi in bono intellecto 14_{21} 323, tendit ad bonum vel malum quod in seipso habet 14_{22} 328, *vide* bonum, voluntas; esse et vivere secundum se est appetibile 3_{2} 82, *vide* vita, desiderium

apprehensio, apprehendere: ex apprehensione mali inhaerentis provenit dolor interior sive tristitia 16_{8} 58, 6_{6} 92; homines non per simplicem apprehensionem percipiunt sapientiam veritatis sicut angeli 28_{27} 339; bonum quod ex miseria expectatur sola ratio apprehendit 3_{8} 89, cf. 1_{21} 849

appretiare: nihil praeclarum appretiari in rebus humanis 41_{21} 373

approbare: aurum approbatur quod potest ignem sustinere 23_{10} 165

appropinquare: homo Deo mente appropinquat per cognitionem et amorem 17_{3} 57, *vide* Deus

aptitudo: naturalis aptitudo ad reparationem: *spes* 14_{7} 71

aqua, aquosus, aquaticus: manifestum est naturaliter terram aquae subiacere, aeri vero aquam 5_{19} 207, 38_{8} 172, 38_{14} 310; aquae secundum naturalem elementorum ordinem deberent undique terram operire 26_{10} 137, 38_{9} 173; factum est divina virtute quod pars terrae remanet discooperta ab aquis 26_{10} 139, 38_{8} 176, cf. 7_{12} 282; *vide* mare

Aqua de facili movetur et murmuris sonum facit 3_{34} 509, 513; proprium est aquae quasi continue moveri 38_{8} 192; est aliquid molle 24_{18} 189, cf. 37_{18} 273; est maxime formabilis in res vivas 38_{8} 187, cf. 4_{19} 468; faciliter et cum refrigerio bibitur 34_{7} 70, cf. 15_{16} 145, sine observatione 15_{14} 142; elephas multum de aqua potat 40_{18} 451; arbores secus aquas radices habentes abundant in fructibus 29_{19} 174; carices requirunt loca aquosa 8_{11} 167; carectum manifestam aquam requirit 8_{13} 201, scirpus autem in terra occultatam et eam humectantem 8_{13} 203

Aquae nivis bene ablutivae dicuntur 9_{20} 669; aquae fluviorum citissime currunt 11_{16} 236; nubes ex vaporibus resolutis ex aqua generantur 38_{9} 198, *vide* nubes; in aere suspenditur aqua vaporabiliter elevata et guttatim cadit 26_{4} 115, 120, cf. 123, *vide* pluvia, ros; per vehemens frigus in glaciem condensatur 38_{30} 521, cf. 518, *vide* glacies, grando, nix, pruina

Lapides aquis excavantur 14_{19} 259, cf. 28_{10} 127; aqua in olla calescit et fervet 41_{11} 186, cf. 41_{22} 389, minorem spumam et commotionem in superficie faciens quam unguenta bullientia 41_{22} 394; inter animalia aquatica excellit cetus 40_{10} 248, *vide* cetus; balena altius ceteris animalibus emittit aquas 40_{20} 518, cf. 41_{9} 142; si totaliter aqua maris aut fluminis desiccaretur 14_{11} 102. – *Aqua*: quaecumque difficultas vel adversitas 24_{16} 197

aquila: est velocis volatus 9_{26} 627; ceteris avibus altius volat 39_{27} 295, cf. 303, naturali instinctu 39_{27} 298; in altis conversatur ex nobilitate naturae 39_{27} 303, ibi nidificans ut pulli consuescant in altis morari 39_{27} 305; aeris puritate gaudet in locis petrosis 39_{28} 307; ex longinquo videt cibum 39_{29} 312; potens est in praeda sicut leo inter quadrupedia 39_{30} 317; pascitur animalibus vivis et mortuis 38_{20} 321

aquilo, aquilonaris: per aquilonem Iob intelligit superius hemisphaerium quoad nos 26_{7} 91, *vide* caelum; ex parte septentrionali procedit aquilo qui causat frigus propter remotionem solis 37_{9} 146, qui quasi ab alto veniens nubes dispergit 37_{17} 258, cf. 37_{21} 326, *vide* ventus; nobis aquilonaris polus supra horizontem elevatur 26_{7} 92, *vide* polus; in regione aquilonari aurum abundat 37_{22} 340, cf. 334. – *Vide* septentrio

aratio, arare: boves ministerio arationis applicantur 39_{10} 127, cf. 39_{9} 115, trahentes rastrum terram aratam complanant glebam comminuendo. 39_{10} 132

arbitrium: sicut duces et principes ex suo arbitrio cuncta agere 25_{3} 51. – *Vide* liber

arbor: arboris cum radix fuerit firma, pulcritudinem habet in ramis et fructibus 5_{3} 51; secus aquas radices habens arbor abundat in fructibus 29_{19} 174; deficit vita arboris per violentiam et per naturam 14_{7} 67, *vide* mors; succisio arboris ex causa exteriori procedit 4_{20} 511, impediens erectionem 22_{20} 214, cf. 217; si ignis arbori succisae apponatur 22_{20} 219; arbor si extirpetur et iterum plantetur 15_{29} 290, si extirpetur et rami adhuc virentes plantentur 15_{30} 297, si rami comburantur 15_{30} 299; si radicibus terrae inhaerens praecisi fuerint rami eius 19_{10} 92; si evellantur eius radices de terra 19_{10} 94; arbores quandoque per terraemotum concutiuntur et non cadunt 38_{14} 288. – *Arbor*: regia dignitas 40_{15} 421. – *Vide* lignum

Arctos: in graeco dicitur pars septentrionalis 37_{9} 143. – *Vide* polus

Arcturus: constellatio in caelo circa polum septentrionalem, scilicet Ursa maior 9_{9} 240, 37_{9} 144, 38_{31} 546. – *Vide* stella

arcus: arcus in vagina 20_{25} 284; arcubus maxime Orientales utuntur ad bella 29_{20} 192; ferit arcus a remotis 20_{24} 278. – *Arcus*: potentia 29_{20} 192; *arcus ferreus*: poenae futurae vitae 20_{24} 278

ardor: ardor amoris: *ignis* 18_{5} 69; ardor tribulationis: *ignis* 22_{20} 225

arena, arenosus: caliditas arenae 28_{1} 29; aurum generatur in sua puritate inter arenas fluminum 28_{1} 26; ex multis arenis colliguntur granula auri 28_{1} 42; in arena strutio ova dimittens 39_{14} 168; in locis lapidosis et arenosis sunt olivae optimum oleum habentes 29_{4} 66

argentum: inter metalla videtur purissimum post aurum 28_{1} 23, inter cetera reputatur pretiosius post aurum 28_{15} 191, invenitur in venis terrae vel lapidum 28_{1} 29, in determinatis locis ex quibus vapores resolvuntur apti ad generationem argenti 28_{1} 36; ex argento pecunia fieri solet 22_{25} 276. – *Argentum*: omnes divitiae 22_{25} 275

ariditas: desertum habitari non potest propter ariditatem terrae 38_{26} 474. – *Vide* siccitas

arma, armare: manus armata contra principem 34_{20} 231. – *Arma ferrea*: poenae praesentes 20_{24} 275

aromaticus: cassia est species aromatica 42_{14} 176

arrogare, arrogans: superbi qui sibi arrogant id quod supra ipsos est, proprie dicuntur arrogantes 40_{6} 155, quorum propria poena est deiectio 40_{6} 159. – *Vide* superbia

ars, artifex, artificiatus: ars derivatur a mente artificis in opere eius 28_{22} 289; ratio artificis qui materiam condidit, tempore praecedit id quod fit ex materia 38_{4} 88; artifici attribuitur operatio serrae 10_{10} 239; artifex est causa fabricae ex materia praeiacente 37_{15} 265; in potestate artificis sunt artificiata 12_{10} 147. – *Vide* aedificium

artatio: homo qui superflua in suos usus expendit vel sibi acquisivit artationem patietur 20_{22} 246. – *Vide* viscera

arundines: umbram facientes 40_{17} 436, *vide* salix

arundinetum: circa fluvios 40_{16} 427

ascensio: sol in signo velocis vel tardae ascensionis 38_{12} 245

ascribere: insipientes et superbi quae ab aliis acceperunt sibi ascribunt 15_{18} 161

asinus: asinus domesticus totaliter videtur humanae servituti deputatus 39_{6} 67, servens ad vecturam 1_{3} 81, ad onera deferenda 39_{9} 113; signa servitutis asinorum sunt vincula quibus ligantur sicut camus 39_{6} 82, vel et frenum 40_{21} 551; asinis domesticis interdum dantur viliora pascua 39_{8} 110; pereunt asini domestici absque habitaculis ab homine praeparatis 39_{6} 86; de pullis asinorum 11_{12} 196; ex asinis muli generantur 1_{3} 83; asinus ex consueto videtur naturaliter servus, e contrario autem se habet 39_{5} 74; silvestris asinus est onager 11_{12} 196, 24_{5} 57, 39_{5} 69, 71, 39_{9} 113, *vide* onager

aspectus: primum in peccato luxuriae est aspectus oculorum 31_{1} 9, ex quo provenit concupiscentia 31_{1} 16; mortui humanis aspectibus subtrahuntur 20_{9} 95

aspis: mordendo interficit 20_{14} 167. – *Caput aspidum*: aliquis malefactorum princeps vel diabolus 20_{16} 168

assistere: qui alicui domino assistunt, et eum conspiciunt et ab eo conspiciuntur 1_{6} 272; inde angeli assistunt Domino uno modo inquantum Deus ab eis conspicitur 1_{6} 266, cf. 1_{18} 606, et hoc non convenit nisi angelis beatis, immo superioribus 1_{6} 273; alio modo inquantum ipsi angeli et eorum actus a Deo conspiciuntur 1_{6} 270, cf. 1_{18} 604, et hoc convenit omnibus bonis angelis, et etiam malis, et etiam hominibus 1_{6} 280. – *Vide* Deus

astringere: alienis legibus astringi 36_{23} 252; vinculo paupertatis multis miseriis astringi 36_{5} 77

astrologus: secundum astrologos, nativitas diurna est laudabilior, conceptio autem nocturna frequentior 3_{3} 120; secundum astrologos longitudo et latitudo terrae 38_{18} 354

astrum: ordine naturae caelum et astra priora sunt terra sicut incorruptibile corruptibili et movens moto 38_{7} 150; leguntur facta fuisse quarta die 38_{7} 148; secundum illos qui dicunt corpora caelestia animata, astra laudabant Deum laude mentali 38_{7} 160; apud nos astra matutina dicuntur quae in principio diei solent apparere 38_{7} 153. – *Astra matutina*: de novo condita 38_{7} 152

astutia, astutus: astuti in malo blandis verbis et fictis alios seducere solent 5_{15} 266; astutiis utuntur callidi ad iniustitiam 36_{18} 122; per astutiam alicuius sapientis interdum iustitia corrumpitur 8_{3} 50; astutias diaboli nullus homo sufficit aperire 41_{4} 60, *vide* diabolus

atramentum: solent quae atramento scribuntur per longinquitatem temporis deleri 19_{23} 233

attendere, attentus, attente: cum dicenda difficilia profitemur, auditores attentiores redduntur 13_{17} 246; audienda est attente disputatio de magna re 21_{5} 30; attendendum est quod homo imitetur divinae bonitatis operationem 23_{11} 180

attritio, atterere: exterius atterere 41_{19} 338; atteri a remotis, de propinquo 41_{19} 348. – *Atteri*: corrumpi 14_{12} 118; *caeli attritio*: mundi immutatio 14_{12} 131

auctor: auctor bonorum 38_{41} 698, *vide* Deus; contrarius auctor 10_{6} 170, *vide* Manichaei

auctoritas: excellunt principes in auctoritate 12_{21} 325; ad magnanimum pertinet ut apud magnos auctoritatem servet 29_{11} 103; homines rigidae auctoritatis solent a populo potius timeri quam amari 29_{11} 101; deferre honorem suae auctoritati 21_{6} 37; auctoritati divinae cedere 31_{23} 259. – Auctoritas: *pondus* 31_{23} 261

audacia, audax, audacter: faciens aliquid audacter hoc credit bonum 12_{6} 109; duces bellorum solent audaciores esse 29_{10} 93; audacter iudici respondere ex duobus contingit 9_{19} 455; audacia peccandi usque ad Dei contemptum 24_{23} 277; audacia equi in bellis 39_{20} 237

audientia: petens audientiam quasi grandia dicturus 13_{18} 188

auditus, audire, auditor, auris: auditus est perceptivus vocum 37_{3} 57, habet iudicare de verbis 34_{3} 21, est disciplinabilior inter sensus 12_{11} 175, post visum maxime deservit intellectui 37_{3} 55, plurimum ad scientias contemplativas valet 12_{11} 176; quod videtur oculis certius cognoscitur quam quod aure auditur 42_{6} 38; cum aliquis ea quae ab adversario dicuntur audire non vult 6_{28} 307, *vide* attendere; non est amplius audiendus de quo non speratur quod utile sit dicturus 32_{18} 117; ea quasi furtive audimus quae raptim et quasi pertranseundo ad nos perveniunt 4_{12} 265; voluptas carnalis praecipue impedit spiritualem auditum 38_{3} 63. – *Praebere aurem*: auscultare 6_{28} 305

augurium, auguralis: aliqui auguriorum sectatores credebant aves augurales effectum sapientiae participare supra homines 28_{21} 258, cf. 35_{11} 116; a caelestibus corporibus aves augurales moventur 28_{21} 266

aurora: sive diluculum 38_{12} 243, *vide* diluculum; est diurnae lucis principium 24_{17} 173; claritas aurorae diversificatur secundum ele-

vationem signorum quae sol perambulat 38_{12} 243; aurorae crepusculo diminuuntur noctis tenebrae 3_9 286; odiosam existimant auroram adulteri 24_{17} 174. – *Aurora*: pueritia 3_{10} 302

aurum: inter metalla purissimum 28_1 23, fulgidius 37_{22} 335, *vide* metallum; multum auri invenitur in septentrionalibus regionibus 37_{22} 334, 341, in regione aquilonari 37_{22} 340, calore intra terram efficacius operante 37_{22} 336; aurum invenitur generatum in sua puritate inter arenas fluminum 28_1 26, cf. 42; aurum approbatur quod potest ignem sustinere 23_{16} 165, 167, non quod fiat verum aurum ex igne 23_{10} 166; reputatur valde pretiosum 41_{21} 375, cf. 22_{24} 266, 28_{15} 191; habet pulcritudinem ex splendore 28_{17} 216; topazius in colore auri similitudinem praetendit 28_{19} 243. – *Aurum obrizum*: aurum purissimum 28_{15} 189, 31_{24} 271

auscultare: *praebere aurem* 6_{28} 305

auster, australis: nobis australis polus sub horizonte deprimitur 26_7 92, *vide* polus; ventus auster procedit a parte caeli quae semper deprimitur sub nostro horizonte 37_9 139, ab imo 37_{17} 257, ex regionibus calidis 37_{17} 253, est ventus calidus 39_{26} 290, aerem calefaciens 37_{17} 254, vapores congregando condensat nubes et eas movet 37_{17} 257, cf. 37_{21} 322, ex eo pluviae causantur 37_{10} 153, tempestas 37_9 139, *vide* ventus; ad austrum expandit alas accipiter, tempore mutationis pennarum 39_{26} 289

auxilium, auxiliari: homini convenire non potest ut non egeat alieno auxilio 40_9 212; radix spei est duplex, scilicet ex parte divini auxilii et humani 19_{11} 98, *vide* spes; in adversitatibus remedium invenitur per auxilium humanum dupliciter 19_7 55; interdum homo se suo et alieno auxilio contra adversa tuetur 6_{13} 173; ubi deest auxilium humanum ibi maxime adest auxilium divinum 12_4 47, cf. 19_{11} 98, qui ab hominibus despiciuntur auxilium habent a Deo 30_{29} 213, *vide* Deus; amici mortuorum amplius auxilium praestare non curant 20_9 97, *vide* amicus; per auxilium gratiae in gloriam novitatis exaltabitur homo resurgens 14_{15} 210, *vide* gratia; homines qui auxiliari nolunt confunduntur visitare illos a quibus aestimant sibi posse peti auxilium 6_{30} 252; auxilium daemonis homo alteri nec communicare nec vendere potest 40_{25} 617. – Auxilium dare: *manum porrigere* 8_{20} 305, *claudo pedem esse* 29_{15} 143

avis: oportuit avem habere ex sua natura instrumenta congrua ad volandum scilicet alas et pennas 5_7 117, *vide* volatus; accipiter est avis nota 39_{13} 165, *vide* accipiter; strutio est avis propinqua bestiis 39_{13} 160, *vide* strutio; aves deceptione capiuntur 40_{24} 590, ligantur et exhibentur ad ludum 40_{24} 594; antiqui avium garritus et motus observabant 35_{11} 116, *vide* augurium

avolare: avolans avis 20_8 73

B

Baldath: *vide* Iob

balena: cetus dicitur balena a 'balyn' quod est emittere, altius ceteris animalibus emittens aquas (Isidorus) 40_{20} 518, in fluctibus maris degens 40_{20} 523. – *Vide* cetus, Leviathan

balteum: cingulum militare 12_{18} 302

barbarus: in parte septentrionali habitabant barbarae nationes 30_{12} 124

beatitudo, beatus, beatificare: quidam sunt super terram, idest in caelo, ut angeli et beati omnes 1_7 398; animae, ad hoc quod fiat beata, omne corpus fugiendum est (Porphyrius) 19_{27} 319. – *Beatificare*: beatum reputare, beatitudinem optare 29_{11} 107. – *Vide* felicitas

bellum, bellicosus: bellum idest guerra in qua fit praeparatio ad pugnam 38_{23} 445, *vide* pugna; arcubus Orientales utuntur ad bella 29_{20} 192; duces bellorum solent audaciores esse et promptiores ad loquendum 29_{16} 93, cf. 39_{25} 281, *vide* dux; in bellis audacia equi 39_{20} 237, perspicacitas 39_{25} 277; in concertatione bellorum victoribus datur corona 29_{14} 133; in parte meridionali solent homines minus bellicosi et feroces habitare 30_{12} 127, cf. 124; pauperes bellicosi 5_5 87

belua: beluae in mari orientali ab imo vertunt maria et faciunt tempestates (Plinius) 41_{22} 384, ad naturam ceti pertinere videntur 41_{22} 386, *vide* cetus

benedicere: benedicere Deum de hoc quod homo peccavit significat voluntatem in peccatis quiescentem 1_5 193; benedicitur nomen Domini ab hominibus inquantum de eius bonitate notitiam habent 1_{21} 858; benedicere Dei est bonitatem rebus dare 1_{10} 510, *vide* Deus. – *Benedicere in facie*: ad apparentiam hominum 1_{11} 551

benefacere, beneficium: Deo unum solum opus est proprium suae bonitati conveniens scilicet benefacere et miserere 40_{14} 395, cf. 22_{17} 187, *vide* Deus; dies aliqui exiguntur a Deo ad celebritatem propter insigne beneficium, sicut sabbatum et dies Paschae 3_4 168

benigne: placidis oculis aliquem aliquis intuetur quando facta eius benigne interpretatur 16_{10} 118

bestia, bestialiter: bestia comminando dentes contra hominem parat 16_{10} 107; ad genus bestiarum appropinquat strutio 39_{13} 160; homo passiones sequens efficitur similis bestiis, et illius bestiae nomen sibi competit cuius passionem imitatur 4_{10} 169; homines bestialiter saevientes 40_{15} 418. – *Bestiae*: homines crudeles 5_{22} 397

bibere: aqua et faciliter et cum refrigerio bibitur 34_7 70; qui bibit vinum cum observatione bibit ne inebrietur 15_{16} 142; bibens elephas 40_{18} 451

blanditia: potenti favere quasi allectus ab eo blanditiis 41_3 41, cf. 40_{22} 568

blasphemia, blasphemare: blasphemia committitur directe contra Deum 1_1 23, 13_{33} 346, et dicitur scelus propter gravitatem 13_{33} 348; pia ora crimen blasphemiae per contrarium significant 1_5 202; murmurare contra Deum est Deum blasphemare 1_{11} 540; blasphemans est qui Dei iustitiam negat 15_5 46, 39_{25} 363; cum ratio a passione vincitur, homo quandoque usque ad blasphemiam procedit 10_3 40; convenienter pro peccato blasphemiae holocausta offeruntur 1_3 205. – *Linguam blasphemantis imitari*: cum Deo disputare de eius iustitia 15_5 47

Boetius: in principio *De consolatione* tristitiam aperuit ut ostenderet quomodo eam ratione mitigaret 3_1 41

bonitas: Deus est ipsa essentia bonitatis 17_3 55, 36_5 50, cf. 4_{18} 428, *vide* Deus; bonitatis signa et initia in impiis 20_5 40

bonum: Deus est ipsum bonum 4_{18} 428, cf. 17_3 55, 36_5 50, *vide* Deus;

in summo bono non potest aliquid mali esse 10_3 84; summum bonum non potest esse causa nisi bonorum 1_6 251; bonum hominis manifestum est ex hoc quod Deo inhaeret 8_{13} 191; perfectum bonum hominis finis 7_2 75, *vide* finis, quod hic non habetur 7_2 72, *vide* homo; non omnes omnia habent neque temporalia neque spiritualia bona 20_{17} 189; diversis naturis unum et idem potest esse bonum et malum 10_3 79; bona particularia in universo ordinantur ad commune bonum universi 7_{17} 366; quaedam bona homini proveniunt absque suo opere et intentione 1_{10} 514; bona advenientia substantiae hominis 10_8 199; ex bonis homo habet facultatem operandi 30_{12} 140; superbi ex bonis quae habent se super alios efferunt 40_6 143, *vide* superbia; quanto est maius bonum subreptum tanto est iniustitia maior 31_{11} 139; eo qui summum bonum in divitiis ponit intantum sunt aliqua magis bona quod magis prosunt ad divitias conquirendas 12_8 78, cf. 12_6 114

Homo per intellectum capit aeternum bonum 14_{21} 318, per intelligentiam discernit a bonis mala 28_{28} 352, per legem naturalem intelligit quid est bonum ex similitudine divinae bonitatis 23_{11} 178; bonum ex aliqua miseria expectatum sola ratio apprehendit 3_8 89; voluntas comparatur ad bonum ut potentia ad actum 4_{18} 427; appetitus intellectualis non quiescit nisi in bono intellecto 14_{21} 323, *vide* appetitus, desiderium; homo naturaliter aeternum bonum desiderat 14_{21} 319; illud unicuique pars esse videtur quod quasi potissimum bonum desiderat 24_{18} 203, *vide* hereditas, pars; bonum quod est in successione filiorum non satiat appetitum intellectualem 14_{21} 320; homo difficulter operatur bonum 15_{14} 124; qui vult ad verum bonum pervenire oportet ut conquirat virtutes ad illud 9_{26} 616, *vide* virtus

Sapientia et iustitia praecipue sunt bona animae 18_4 38, *vide* anima; in potestate hominis sunt quaedam bona, scilicet voluntaria virtutum opera 21_{16} 153; ratio tendit in spiritualia bona sicut in proprium finem 7_{20} 479, 1_7 386, *vide* spiritualis; differentia magnitudinis et parvitatis secundum spiritualia bona remanet in statu mortuorum 3_{19} 428; diabolus avertit se a supremis et intelligibilibus bonis 40_{10} 232

Circa corporalia bona opinio Stoicorum et Peripateticorum 1_{20} 735; bona praecipua corporis videntur esse pulcritudo et fortitudo 18_{13} 170, per mortem consumpta 18_{13} 168; corporalia bona non sunt amanda nisi propter spiritualia 2_{10} 179; pars sensualis non habet locum nisi ad corporalia bona vel mala 3_{15} 385. – *Vide* corpus

Exteriora bona non sunt homini connaturalia sed accidentaliter adveniunt 1_{21} 810, cf. 839, quaeruntur ad conservationem vitae 2_4 96; non debet homo tristitia absorberi propter eorum amissionem 1_{21} 808, cf. 843; homo cuncta exteriora dabit pro vita conservanda 2_4 94; bona exteriora sunt ad principale hominis bonum scilicet mentis 1_{20} 740

In statu Veteris Testamenti promittebantur temporalia bona 42_{10} 110; inter temporalia bona potissimum reputatur proles 27_{14} 169, cf. 14_{21} 320, 324; temporalia bona non sunt amanda nisi propter aeterna 2_{10} 179, 27_8 95; temporalia bona uni non adveniunt nisi alio amittente 17_5 84; bona temporalis prosperitatis non sunt in potestate habentium 21_{16} 159, *vide* prosperitas; temporalia bona quaerunt mali 21_{17} 170, accipiunt mali quasi suam partem et hereditatem 27_{13} 149, quae sunt caduca 28_{28} 364, quandoque etiam in hac vita amissa 20_{15} 155, 27_{20} 224, 24_{15} 207; temporalia bona si a Deo nobis dentur, si auferantur 1_{21} 834, 843, 2_{10} 182. – *Vide* tempus

Terrena bona homini competunt secundum carnem terrenam 1_7 387, ea sola honoranda putant stulti 19_{18} 172; bonis terrenis utuntur sapientes ad suum bonum, insipientes ad suum damnum 15_{18} 168, cf. 1_7 385; bona terrena quae mali homines possident 28_{28} 360

Indifferenter bonis et malis eveniunt et mala et bona Prol. 32; ex prima Dei intentione iustis semper bona tribuuntur 1_8 47, *vide* Deus; iustis dantur bona spiritualia tamquam meliora, malis autem bona temporalia tamquam caduca 28_{28} 363, 27_1 9, cf. Prol. 62. – *Vide* bonus, iustus; impius, malus, etc.

In rivulis bonorum distributio designatur 20_{17} 188. – Bonum delectans: *mel* 20_{17} 182, *butyrum* 20_{17} 184; abundantia bonorum fortunae et gratiae: *plenitudo dierum* 42_{16} 204

bonus: omnes boni speciosi sunt ex participatione divinae sapientiae et iustitiae 40_6 116, *vide* Deus; boni ex vita iustorum proficiunt 1_8 461; boni percipiunt quasi suam partem et hereditatem spiritualia bona 27_{13} 153, cf. 29_1 6; boni non semper temporali prosperitate florent 17_5 88; per daemones quandoque exercentur boni 1_7 329. – *Vide* iustus

bos: est animal comedens herbas 40_{10} 317, de facili domatur 39_9 120; apud antiquos acceptissimi erant boves propter agriculturam 21_{10} 81, cf. 1_8 79, nempe ad arandum propter suam fortitudinem 39_9 115, cf. 39_{10} 127, et ut terram aratam complanent 39_{10} 131; si quis furaretur bovem 31_{11} 141. – *Bos*: vacca 21_{10} 83

brachium: in brachiis praecipue attenditur fortitudo 18_{13} 173; in potente amico confidit homo sicut in suo brachio 38_{15} 301. – *Brachium*: potentia 22_8 68, 40_4 54, munitio vel amicus 38_{15} 300

brevitas, brevis: dies hominis breves sunt et ista brevitas cito finienda expectatur 10_{20} 397, *vide* homo; adulteri tempus breve videtur 24_{17} 171

brutus: bruta animalia, *vide* animal

bubalus: annulo ferreo naribus imposito retinetur et ducitur bubalus 40_{21} 547, 556

bucina: equus gaudens ad sonum bucinae 39_{25} 273

bullire: unguenta bullientia faciunt maiorem spumam et commotionem in superficie quam simplex aqua 41_{22} 394

butyrum: ministerio hominum ex lacte domesticorum animalium sumitur 20_{17} 180, est lactis pinguedo 29_6 60, inter fructus pecudum pretiosior videtur 29_6 59, 64, suave est ad edendum 20_{17} 178. – *Butyrum*: bonum delectans 20_{17} 184

C

cadaver: per festinam mortem redditur humanum cadaver vile et abominabile quasi stercus 20_7 59; pascitur aquila cadaveribus animalium mortuorum 39_{30} 321

cadere: diabolus, quasi deorsum cadens 1_6 255, cf. 41_{16} 298. – *Vide* pluvia

caducus: quasi terrenus 20_6 55, cf. 24_{24} 286; malis dantur bona temporalia tamquam caduca 28_{28} 362

caecus: palpare ad modum caecorum 12_{25} 391. – *Oculus esse caeco*: instruere simplices 29_{15} 139

caelestis: caelestium ordo indeficiens perseverat 22_{14} 144; ponebant aliqui solum caelestia a divina providentia regi 22_{14} 141; caelestium virtutum numerus ignotus est homini 25_3 48, *vide* virtus; in caelestibus civibus nihil malitiae potest esse 1_7 403; admirandum est quod homo promoveatur ad spiritualium vel caelestium possessionem 37_1 45; caelestium corporum immutabiles immutationes 38_{21} 529 (immobilis quasi caelestis 20_6 56), *vide* corpus; motus caelestes numquam requiescunt 38_{27} 660; caelestium motuum certa mensura et computatio ignota est homini 38_{21} 422; quidam caelesti fato humanos eventus attribuunt Prol. 39; contenta sunt elementa sub caelestibus creaturis 28_{24} 302; sapphirus est caelestis coloris 28_{16} 210

Caelestes virtutes: *milites Dei* 25_3 45; caelestes spiritus: *caeli* 26_{13} 183, *fines mundi* 28_{21} 298; caelestia corpora: *fines mundi* 28_{21} 298; proportio caelestium motuum: *caelorum ratio* 38_{27} 639; caelestium motuum convenientia: *concentus* 38_{27} 658

caelum: ordine naturae caelum et astra priora sunt terra 38_7 150, non autem caelum prius est factum quam terra 38_7 145; inter principales partes creaturae corporalis caelum computatur 38_{13} 258, 38_{36} 614, est unum extremorum in rebus naturalibus 26_7 79; caeli sunt materiales et corporei et mutabiles 15_{15} 135, tenent supremum locum puritatis inter corpora 15_{15} 133; caelum est incorruptibile 14_{12} 114; caelum non est ponderosum 26_7 105; non videtur aliquid caelum sustentans nisi virtus divina 26_7 89; multa mirabilia in caelo apparent 38_{17} 317; in primo caelo sunt stellae 5_9 198, *vide* stella; Arcturus plaga caeli 37_9 143; lux corporalis primo invenitur in caelis 37_2 80; ordo caeli ab homine comprehendi non potest 38_{33} 582, cf. 5_9 173, *vide* homo; caeli superiores a caelis aereis distinguuntur 37_{18} 270, cf. 38_{12} 228, 38_{17} 315; in caelo sex positionis differentiae secundum Aristotilem 23_8 79, secundum quosdam 23_8 96, vel et Iob 23_8 105, 23_9 150; sub superiori hemisphaerio caeli nihil apparet nisi spatium aere plenum 26_7 95, *vide* aer, hemisphaerium

De natura caeli est quod semper moveatur 9_7 172, motus eius continuus est 9_7 181, cf. Prol. 20; motu primo uniformi totum caelum et omnes stellae in eo semel in die et nocte super polos mundi revolvitur 38_{21} 539, cf. 9_7 177, 19_{25} 289, 38_{12} 240; motus caeli in parte orientali incipit 23_6 99, cf. 23_8 90; ex motu caelorum Pictagorici posuerunt sonitum harmonizatum provenire 38_{27} 651, *vide* sonus; quidam posuerunt motum caeli et hunc statum mundi in aeternum duraturum 19_{25} 285; creaturis spiritualibus administratur motus caelorum 26_{11} 154; supremum caelum est principale principium humani corporis inter causas corporales 38_{12} 240

Per nebulas nobis tegitur caelum 26_9 128, 133, *vide* nubes, et per pluviae multitudinem 38_{24} 600; caelum videtur sicut quoddam tabernaculum super terram, terra autem sicut tabernaculi pavimentum 26_7 83; terra est quasi caeli fundamentum 26_7 101; caelum idest tota universitas creaturarum 22_{18} 117, cf. 41_2 28; de caelo cecidit diabolus per peccatum 41_{16} 298

Ex caeli motu sicut ex quodam ostio providentia divina usque ad haec inferiora descendit 22_{14} 148

Caelum: universitas creaturarum 22_{18} 117, cf. 41_2 28; *caeli attritio*: mundi immutatio 14_{12} 131; *columnae caeli*: angeli 26_{11} 156, creaturae spirituales 26_{11} 154, caelestes spiritus 26_{13} 183; *caelorum ratio*: proportio caelestium motuum 38_{27} 639; caelum: *sedes Dei* 35_5 53, 36_{29} 315, 38_{24} 600, *solium Dei* 26_9 128, 132. – *Vide* corpus, firmamentum

calcare: viam calcare dicuntur qui frequenter et sine aliqua dubitatione et ex proposito viam terunt 22_{15} 166

caligo, caligare, caliginose: rupes excelsi montis caligine nebularum obtecta 28_3 69; per caliginem designantur vapores super maris superficiem aerem obscurantes 38_9 203; quod a remotis videtur quasi caliginose, quia percipitur esse homo sed non quis homo 22_{18} 127; caligat oculus rationis quando propter passionem iudicium eius in opere particulari decipitur 23_{17} 252, *vide* passio; sic vir iustus ex zelo caligat quod a iustitia non recedit 17_9 130, *vide* ira; peccatum originale est caligo inducens ad mortem 10_{21} 448

calliditas, callidus: callidorum est aliud praetendere et aliud intendere 1_7 375; callidi astutiis utuntur ad hoc quod sub colore iustitiae iniustitiam faciant 36_{13} 122, ex hoc ipso gravius peccant 36_{13} 124; aestimant se iustos sicut ab aliis laudantur 36_{13} 127, inde non de facili paenitent 36_{13} 126, 36_{14} 133; diabolus tortuosus dicitur propter calliditatem 26_{13} 189; recte callidi circuire dicuntur 1_7 378; calliditatem Deus magis detestatur 36_{13} 125, *vide* Deus. – Calliditas: *circuitus* 1_7 369. – *Vide* hypocrita, simulatio

calor, caliditas, calidus: calor est qualitas activa elementorum 38_{17} 322, masculina 38_{28} 509; in serenitate claritas et calor aeris praeparatur 38_{24} 447, *vide* aer, ad nos ex luce perveniens 38_{24} 456, cf. 28_3 72; in progressu a meridie usque in septentrionem diversitas caloris et frigoris est 38_{18} 365, 38_{24} 457; quidam omnia quae apparent in rebus mundi provenire dicunt ex necessitate caloris et frigoris 5_9 148

Calor in generatione pretiosorum, puta lapidum vel metallorum 28_6 94, 28_1 20, aeris 28_2 52, arenae 28_1 26, auri 37_{22} 336, *vide* aurum, grandinum 38_{22} 432, pluviarum et roris 38_{23} 507; ex calore temporis et loci ova strutionis vivificantur 39_{14} 174; in locis nimis calidis vineae aduruntur per calorem 24_{18} 213

Calor naturalis in humano corpore viget 34_{15} 167, cf. 17_1 13; ex artatione viscerum sequitur inordinatus calor et anxietas 20_{22} 252, ex inordinati caloris fervore procedit infirmitas interiorum viscerum 30_{17} 268; in ceto caloris magnitudo 41_{10} 168, multitudo 41_{11} 180, cf. 183. – *Vide* frigus

De frigido facere calidum est eius quod per se calidum est 13 (14_4) 481; tanto locus calidior est quanto magis appropinquatur ad meridiem in nostro habitabili 38_{18} 366;

in locis calidis moratur strutio 39_{14} 174; ex regionibus calidis procedit auster ventus 37_{17} 253; in terris calidis sunt pluviae rariores 37_{18} 217, habitat elephas 40_{17} 439; tempus calidum observat strutio 39_{14} 171; calidus et ignitus vapor de ore ceti 41_{12} 194

calumnia, calumniari, calumniose: per modum calumniae nocumenta proximis inferre sub praetextu iustitiae 22_{6} 47; per fraudulentiam calumniose laedere 29_{14} 149; qui innocentem calumniari volunt sunt impii 10_{3} 111; calumniari in hominibus malum est 10_{3} 90. – Calumnias praeparare: *dolores seminare* 4_{8} 142

camelus: in ore cameli imponitur frenum vel camus 40_{21} 551; cameli maxime deserviunt ad onera deferenda 1_{3} 76

camus: in ore equi aut asini vel cameli imponitur camus 40_{21} 551; cf. 39_{6} 82

candor: candor aquarum commotarum 41_{9} 142

canis: iracundum esse cani est bonum, homini malum 10_{3} 81; custodiuntur agri per canes feroces 39_{11} 138

canticum: inter signa gaudii cantica humanae vocis 30_{21} 295

cantilena: irrisoriae cantilenae 30_{9} 86

cantus: cantus vigilum 38_{27} 641; cantus galli 38_{27} 635

captio, captura, capere: aves deceptione capiuntur per retia vel viscum etc. 40_{24} 590; captae ligantur et exhibentur 40_{24} 594; cetus si quandoque capiatur toti regioni sufficit 40_{25} 613; de usu animalium terrestrium captorum 40_{25} 606; ille qui sponte ponit pedem in reti se praeparat captioni 18_{2} 103; cetus sperans piscium capturam 40_{22} 666

captivitas: in captivitatem trahi regem denotat maximum defectum potentiae 12_{18} 306

caput: per collum caput coniungitur corpori 41_{13} 210; capitis prima et principalior pars est cerebrum 41_{9} 138, inter alias partes capitis sunt praecipui oculi 41_{9} 152; fortiter commoto capite emicat splendor ignis 41_{9} 145; tondere caput est indicium doloris 1_{20} 773; capitis ceti magnitudo 40_{24} 638; in capite Tauri stellae Pliades 38_{21} 536; comparatur diabolus ad omnes malos sicut caput ad corpus 41_{4} 98. – *Caput*: mens 29_{3} 33; *caput aspidum*: aliquis malefactorum princeps vel diabolus 20_{16} 168

carcer: in carceris nervo positi 13_{27} 405. – In carcere: *in catenis* 36_{8} 75

cardo: in quo volvitur ostium 22_{14} 145

carectum: locus in quo crescunt carices 8_{11} 171; manifestam aquam requirit 8_{12} 201, per eius subtractionem arescens 8_{11} 174, 8_{12} 179

carex: carices sunt herbae latae et summitate acutae, quae non crescunt nisi in locis aquosis 8_{11} 168

carmen: humanae instructionis dogmata ab antiquis multotiens carminibus comprehendebantur 35_{10} 106, *vide* metrice

caro, carneus, carnalis: caro est infirmior pars animalis 19_{22} 213, *vide* anima, animal, corpus; immutatur ex vehementi animi passione 21_{6} 44, *vide* passio; organa a pelle et carnibus circumdantur 10_{11} 251; labia sunt carnea quae dentibus sicut ossibus adhaerent 19_{20} 191; ad praesentiam spiritus carnis pili inhorrescunt 4_{15} 294; carnium spissitudo in ceto 41_{14} 225; de esu carnium *vide* animal

Homo componitur ex natura spirituali et carne terrena 1_{7} 384, *vide* spiritus, terra; carne rebus terrenis coniungitur 1_{8} 426; ablato spiritu, deficit carnalis vita 34_{18} 157, *vide* vita; caro hominis est corruptibilis 19_{24} 308, in pulverem resolvitur 20_{11} 117, 34_{15} 163; uxor est una caro cum viro 31_{15} 145; carnibus humanis vesci dicuntur detractores 19_{22} 211

Virtus spiritus maior est quam carnis 4_{15} 293; defectus ex negligentia propter infirmitatem carnis 9_{21} 681; carnalis voluptas praecipue impedit spiritualem auditum 38_{3} 63, *vide* delectatio, voluptas; adulteri carnali delectationi vacantes 24_{17} 171; per concupiscentiam carnis homo nascitur de muliere 25_{4} 72, propter illam maxime daemones hominibus superant 40_{12} 361

Nullus in hac mortali carne vivens potest Deum videre 19_{26} 311; de carne quam anima in resurrectione resumet 19_{24} 312, 316

cartilago: cartilagines in organis interioribus motus 40_{13} 378

carus: quod in sinu absconditur carum reputatur 19_{27} 347

caseum: in generatione casei coagulum 10_{10} 248

castigare: ad correctionem per modum disciplinae pater castigat filium 20_{22} 273, *vide* correctio

castitas, castus: differentiam assignant philosophi inter continentiam et castitatem 4_{6} 96; sardonyx, ut dicitur, hominem castum reddit 28_{16} 207

casus: quidam casui attribuebant omnia Prol. 8, mundum et ea quae naturaliter generantur Prol. 10, plurima Prol. 15, res humanas Prol. 26, 37; stulti casui attribuunt quod res humanae non secundum dispositiones suas currant 5_{11} 226; mors violenta diversis casibus subiecta est 4_{20} 515

catholicus: Ecclesia catholica 40_{10} 226; fides catholica 4_{18} 411, 14_{12} 127

cauda: elephantes et similia animalia dum coeunt caudam inter tibias posteriores stringunt 40_{12} 337; de pelle solvere a lardo iuxta caudam 40_{24} 627

causa: omnes effectus ex determinatis causis procedunt 5_{6} 101; posita causa ponitur effectus 10_{14} 297; ratio ab effectibus procedit ad causam 11_{7} 121, quae perfecte cognoscitur quando effectus adaequant causae virtutem 11_{8} 128; principali agenti attribuuntur ea quae per causas secundas aguntur 10_{10} 239; inter causas corporales supremum caelum est principale principium humani corporis 38_{12} 240; sol et alia caelestia corpora sunt proxima causa efficiens generationis pluviarum 38_{28} 497; divina potentia naturales causas ad proprios ordinavit effectus 12_{16} 237, *vide* Deus; antiqui naturales ponebant solum causam materialem Prol. 10; causae interiores 4_{10} 509. 15_{19} 318; primordialis causa 19_{25} 276; vehementior causa 37_{6} 110; servus est qui non sui causa est 1_{9} 431. – *Vide* effectus

Deus est causa occultissima 28_{16} 235, *vide* Deus

Confidens de sua causa audacter respondet iudici 9_{19} 460; causae suae iustitiam demonstrare 23_{4} 43; defendens causam alicuius fraudulenter 13_{9} 109, sine ratione 26_{8} 29

Sine causa propria contingere quasi sine semine: *oriri de humo* 5_{6} 106; causae corruptionis quantum ad virtutes caelestium corporum: *portae mortis* 38_{17} 331

cavere, caute: ex providentia homo prudenter et caute singula disponit 18_6 74; homo ab omnibus sibi cavens, in multis actus eius impediuntur 18_{11} 143; cavere sibi a recidivo peccati 8_4 99

caverna: cavernae lapidum in locis montanis 24_8 89; caverna quaecumque, domus onagri 39_6 91. – Abscondere se in cavernis lapidum: *amplexari lapides* 24_8 89

cavillatio: per cavillationem subterfugere examinationem 9_{12} 329

cedere: quaedam corpora cedunt tangenti 37_{15} 273

celare: in corde celans non ostendit per effectum quod habet in cognitione vel affectione 10_{12} 282

celebritas: non est celebritas nominis nisi apud multitudinem 18_{17} 216. – *Vide* dies

centrum: terra est immobilis sicut centrum motus totius 9_6 149, *vide* terra

cerebrum: est prima et principalior pars capitis $4I_9$ 138; ex cerebri commotione causatur sternutatio animalis $4I_9$ 139

certitudo, certus: certus cursus in motu caeli et siderum et in aliis naturae effectibus Prol. 20; in eventibus humanis nullus certus ordo apparet Prol. 31; per certitudinem cognosci 38_{20} 394; certius cognosci 42_5 38; certissima et demonstrativa probatio 23_{15} 209; certitudo fidei 19_{25} 250. – Termini certi: *ostia* 38_8 180; per certitudinem cognoscere: *advertere* 23_{15} 215

cerva: cervae eligunt loca occulta in quibus pariant, ubi lupi accedere non solent 39_1 16; de cervarum mox natis 39_4 42, 51; cervarum carnes 40_{25} 606

cervix: potentia et dignitas 13_{12} 180

cetus: balena dicitur quia altius ceteris animalibus emittit aquas 40_{20} 518; Leviathan idest cetus 40_{10} 267, *vide* Leviathan; cetus in fluctibus maris deget 40_{20} 523, infra mare Oceanum 7_{12} 285; belnae in mari orientali ad naturam ceti pertinere videntur $4I_{22}$ 384; cetus excellit inter animalia aquatica 40_{10} 248, 40_{20} 513, non est in terra animal tam magnum sicut cetus maris $4I_{24}$ 422, cete grandia habent magnitudinis additamentum supra omne animalium genus 40_{19} 255, tanta est eius magnitudo quod si quandoque capiatur toti regioni sufficiat 40_{25} 613, nec totus nec una pars eius potest in gurgustio quantumcumque magno contineri 40_{26} 638

Cetus habet maximas squamas ad modum scutorum $4I_6$ 94, etiam compressas $4I_6$ 102; carnes eius spissae sunt $4I_{14}$ 225; ab eius magno capite quadraginta lagenae sagiminis effluunt 40_{26} 641; magnos oculos habet in quorum inspectione apparet claritas diffusa $4I_9$ 155; super oculos ceti sunt additamenta cornea $4I_4$ 51; de naribus ceti aer adustus $4I_{11}$ 180; habet cetus aperturam oris dentatam magnis et longis dentibus $4I_5$ 72, cf. 84, et praecipue duo dentes aliis longiores $4I_5$ 74, cf. 77; exhalatio de ore eius procedens (halitus) est calida et vehemens $4I_{12}$ 189, cf. $4I_{10}$ 168, $4I_{12}$ 194; collum habet $4I_{12}$ 204, forte ad pondus capitis portandum $4I_{12}$ 207; in gutture habet pellem multis meatibus perforatam $4I_4$ 60; pulmonem habet et respirat sicut delphinus $4I_{11}$ 176; est animal valde pingue 40_{26} 629

Cetus multo indiget cibo $4I_{12}$ 214, esuriens vaporem odoriferum (calidum et ignitum $4I_{12}$ 194) ex ore emittit, in quo pisces delectantur $4I_{10}$ 164, sic attrahens pisces $4I_{12}$ 220, quorum parvi descendunt in ventrem $4I_4$ 68; ubi fuerit absorbet multitudinem piscium ibi existentium $4I_{13}$ 215; cetus non eruens se de litore ubi pisces persequitur 40_{26} 666

Calor multus ceto necessarius ad tantam molem movendam $4I_{11}$ 180; ex violentia ceti fluctus maris commoventur $4I_{22}$ 390, $4I_{23}$ 398, cf. $4I_{22}$ 384; ex motu ceti vestigium sicut quando navis movetur per mare $4I_{22}$ 402; cetus in nullo timet maris profunditatem $4I_{22}$ 409; ceti maximi dormientes in rupibus 40_{25} 625; quandoque ceti fulmine feriuntur $4I_{14}$ 238

In corde ceti virtus naturalis ut non de facili corrumpatur ab exteriori actione $4I_{15}$ 268, cf. $4I_{22}$ 380; cetus a sagittis laedi non valet $4I_{19}$ 335, nec lapidibus in eum proiectis conteri $4I_{19}$ 338, cf. 343, nec per malleum ab homine laedi $4I_{20}$ 348; nullam hominis comminationem timet $4I_{20}$ 360; de modo quo maximi ceti capiuntur 40_{26} 624

Caelestes angeli non admirantur multum de occisione corporalis ceti $4I_{16}$ 294; describitur diabolus sub figura ceti 40_{10} 249, 40_{20} 512, 523

Chaldaei: erant feroces et potentes 1_{17} 675

Christus: in Christo omnia secundum perfectissimam excellentiam fuerunt 1_8 448; in eo omnis virtutis et sapientiae plenitudo $3_1$14; sacra Scriptura tristitiam in Christo ponit 3_1 13; ante Christi mortem omnes ad infernum descendebant 7_9 180, 10_{21} 437; a peccato primi hominis per Christum redimendum erat genus humanum 19_{25} 258; redemit nos Christus de peccato per mortem pro nobis moriendo 19_{25} 260, non sic quod eum mors absorberet quia mori non potuit secundum divinitatem 19_{25} 262; in Christo ex vita divinitatis etiam humanitas est reparata ad vitam resurgendo 19_{25} 265; vita autem Christi resurgentis ad omnes homines diffundetur in resurrectione communi 19_{25} 268; contra diabolum victoriam obtinere principaliter competit Christo 40_{19} 475; Christus diabolum superavit ostendens ei naturam infirmam et postmodum virtutem suam in eum exercuit 40_{19} 503. – Christus et sui ad diabolum: *venator capiens Vehemot* 40_{19} 484

cibaria: per terrae fecunditatem hominibus cibaria nascuntur 36_{31} 329

cibus: ad vitam subsidium est intrinsecum 3_{12} 340, 12_{11} 178; divinitus unicuique speciei ordinatus est proprius cibus 7_{17} 388, cf. $3I_{40}$ 405, 40_{10} 316; panis est cibus communis 33_{20} 223; dulcem cibum comedens diu tenet in ore 20_{12} 126; comedenti cibus quandoque in malum convertitur, sive interius manens convertatur in humores venenosos 20_{14} 144, sive per vomitum extra eiciatur 20_{15} 153; comedentis nimis viscera artantur ex nimio cibo compressa 20_{22} 245; ex superfluo cibo ad omnia membra dolor pervenit 20_{22} 255; gustus est perceptivus ciborum 12_{11} 177; multo cibo indiget leo 38_{39} 672, cetus $4I_{12}$ 214; animalia domesticata cibum libenter ab hominibus capiunt 39_9 123; in cibo et coitu praecipuae delectationes animalium consistunt 40_{11} 323

cingulum: in cingulo regis potentia designatur 12_{18} 303. – Cingulum militare: *balteum* 12_{18} 302

cinis: pulvis in quem caro hominis resolvitur cinis nominatur 34_{15} 163, *vide* pulvis; apud antiquos corpora mortuorum resolvebantur in cineres

34_{16} 165; cinis adhibetur ad recognoscendum propriam fragilitatem 16_{16} 212, cf. 42_6 46; cinis post consumptionem lignorum ad modicum durat 13_{12} 173

circa: res exteriores circa nos sunt quasi extrinsecae 16_{14} 168

circuitus: quod per circuitum vallatur ex nulla parte patitur insultum 1_{10} 506; in circuitu oris habet cetus dentes 41_5 84. – *Circuitus*: calliditas 1_7 369, *vide* calliditas

circularis: tam in corporibus corruptibilibus quam incorruptibilibus quidam circularis motus apparet, aliter et aliter 7_9 189, cf. 197

circulatio: in corporibus caelestibus secundum circulationem reiteratur idem numero 7_9 191; circulatio quaedam fit in dispositione aeris 7_9 197. – *Vide* reditus

circumdare: oceanus undique terram circumdat 26_{10} 142. – *Vide* aqua

citari: solent homines ter moneri vel citari 33_{29} 330

civis, civitas, civilis: fama hominis pertinet ad vitam civilem 5_{21} 363; aliqui homines totaliter destruuntur per omnimodam abiectionem quantum ad esse civile 12_{14} 211; quibusdam violenter laesis, multi ex civibus conturbantur 24_{12} 118; fortem civitatem expugnans 9_6 127; in caelestibus civibus nihil malitiae potest esse 1_7 403

clamor, clamose: ad audita clamose respondere 6_{29} 310. – Confusus clamor et strepitus: *ululatus* 39_{25} 283

claritas, clarus: dignitas diei est claritas eius 3_4 143, *vide* dies; claritas solis apparet ante ortum et post occasum 37_{11} 174; claritas diluculi est diffusa 41_9 158, diversificatur secundum elevationem signorum 38_{12} 243, cf. 248; non sensibiliter diversificatur claritatis intentio in diversis terris 38_{24} 457; aer nubibus rarescentibus redditur clarus 37_{15} 234, *vide* aer; in serenitate claritas aeris praeparatur 38_{21} 447, 456; in inspectione oculorum ceti apparet claritas diffusa 41_9 157; angeli in fulgentiori claritate apparentes hominibus 40_{10} 241; propter sui claritatem astra matutina erant materia divinae laudis 38_7 157; claritas lunae et stellarum quasi obscuritas est immensitati divini luminis comparata 25_5 81; colebant idolatrae luminaria propter maximam eorum claritatem 31_{26} 284; ad claritatem stellarum animae revertentes (secundum Platonicos) 37 (36_{22}) 38; claritas sanctorum nobis occulta 20_{26} 304; claritas prosperitatis 18_5 65, gloriae 18_{18} 217, iustitiae 20_{25} 292, famae 40_8 190. – Claritas prosperitatis terrenae: *fulgor* 11_{17} 250; claritas divinae cognitionis: *lux* 37_{21} 318

clipeus: clipeus dum movetur et ad arma colliditur sonum facit 39_{23} 260, cf. 257

coacervatum: coacervatum reservare esset contra innocentiam 27_{17} 204

coadhaerere: coadhaerentes scirpi 8_{17} 264

coagulum: sicut coagulum in generatione casei, ita semen maris ad materiam quam femina ministrat 10_{10} 248

Cocytus: de fabula quod in inferno esset fluvius nomine Cocytus 21_{33} 325; Cocytus interpretatur luctus 21_{33} 326; Cocyti postremum et anterius 21_{33} 336

coercere: coercere utrumque: *ponere manum suam in ambobus* 9_{23} 723

cogitatio: somnia plerumque sunt reliquiae praecedentium cogitationum 4_{16} 325, 7_{14} 314; malae cogitationes in homine 4_{20} 526; in peccato luxuriae cogitatio 31_1 11; convenit humilis satisfactio ad expiandam superbiam cogitationis 42_6 47

cognitio, cognoscere, cognoscitivus: inter diversas proprietates animalium praepollet cognitio 38_{26} 618; per cognitionem maxime viventia a non viventibus distinguuntur 12_{22} 345; in viventibus duo praecipua sunt, scilicet vivere et cognoscere 3_{29} 439; in homine cognitio perfectius invenitur quam in ceteris animalibus 38_{26} 619, cf. 14_{20} 283; cognoscere delectabilissimum et nobilissimum est 3_{20} 441; cognitio visus per lucem perficitur 37 (36_{22}) 21, *vide* visus, lux; intellectualis cognitio non potest convenire nisi substantiae incorruptibili 14_{20} 308; in cognitione primorum principiorum indita sunt seminaria sapientiae et scientiae 38_{26} 625; cognoscere occulta ad intelligentiam pertinet 12_{13} 193

Cognitionis humanae defectus triplex est, quia omnis cognitio procedit a sensu 10_4 128, 37 (36_{33}) 16, cf. 4_{12} 223, nec homo per sensus omnia corporalia conspicere potest 10_4 137, et humana cognitio est ex tempore dum homo de die in diem plura cognoscit 10_5 143, Prol. 1, ac per temporis longitudinem obliviscitur eorum quae novit 10_5 145; cognoscere in universali est cognoscere imperfecte 22_{13} 126, cf. 123, ut cum percipitur esse homo sed non quis homo 22_{13} 128; ad cognitionem aliquorum in mundo non pervenimus 5_9 166, *vide* homo; sapientia proprie est cognitio divinorum 1_{22} 867, 12_2 28, 28_{13} 239, cf. 28_{28} 348, *vide* sapientia, Deus; cognoscere ea quae affligunt hominem poenosum est 3_{20} 442

Universalem cognitionem non applicare ad agenda, ratione ligata passionibus 12_{25} 394; defectus cognitionis per ignorantiam affectatam 21_{14} 132

Cognitio: *lux* 12_{25} 390; cognitio intellectiva: *facies* 14_{20} 306; virtutes cognoscitivae: *facies* 40_8 204; per certitudinem cognoscere: *advertere* 23_{13} 215; cognitio in universali: *cognitio caliginosa* 22_{13} 127; impedimentum cognitionis: *experimentum faciei* 15_{27} 263

coitus: in cibo et coitu praecipuae delectationes animalium consistunt 40_{11} 323, ex libidine animalia commoventur ad coitum 40_{11} 326; equi iubarum decore ad coitum agitantur 39_{13} 223; patitur coitum femella elephantis considens (Aristoteles) 40_{11} 330; animalia in quibus figura coitus elephantis invenitur, dum coeunt caudam inter tibias posteriores stringunt 40_{13} 337; de coitu daemonum ad modum animalium 40_{13} 347

collateralis: ad collaterales opulentia derivata 15_{27} 264

collatio: cum eo qui deficit intellectu inutilis est collatio 18_2 19; ex mutua collatione aliquid occultum indagari 22_2 12; disputare vel ratiocinari ut fiat collatio datorum et acceptorum 22_3 20

collocare: collocare fundamentum 38_6 126, 38_7 138; angeli collocati in vestibulis deitatis 38_7 165

collum: per collum caput coniungitur corpori 41_{13} 210; nullus piscis habet collum nisi generans animalia: delphini, ceti (Aristoteles) 41_{13} 203. – *Erecto collo*: superbiendo 15_{26} 248

color: sub colore iustitiae 36_{13} 123; sine colore iustitiae 22_6 52

coluber: *coluber tortuosus*, idest diabolus 26_{13} 189

columna: domus stabilitas super columnas fundatur 9_6 163; montes sunt quasi columnae super terram

fundatae 9_4 156. – *Columnae caeli*: creaturae spirituales 26_{11} 154, angeli 26_{11} 156; *columnae terrae*: inferiores et intimae partes terrae 9_4 161

coma: comam nutrientes 1_{20} 773. – *Coma*: frondium 14_9 83

comburere: holocausta totaliter comburebantur ad honorem Dei 1_5 179; apud antiquos corpora mortuorum igne comburebantur 34_{15} 165

comestio, comedere: dulcem cibum comedens illum diu tenet in ore 20_{18} 126, *vide* cibus; nimis comedentis viscera artantur 20_{22} 244; animal delectabile ad usum comestionis 31_{31} 323

comminatio, comminare: comminando superare alium 41_{20} 358, 41_{21} 363; homo potenti favet timens comminationes ipsius 41_3 35; comminatio percussurae 41_{20} 362; comminationes in revelationibus 4_{14} 375; nec cetus nec diabolus comminationem hominis timet 41_{20} 360

committere: in pluribus peccat homo omittendo quam committendo 22_5 45, *vide* peccatum

commotio, commovere: a subito supervenientibus animus magis commovetur 1_{12} 630; ira per zelum etiam in corpore commotionem facit 17_7 112, *vide* ira; in tempore noctis quaecumque modica commotio perturbationem inducere solet 4_{15} 302; commotiones magnae in visionibus 4_{16} 368; homines quando facere aliquid volunt propter aliquem ab illo commoveri dicuntur 2_3 57

commutatio: pecunia est mensura commutationis rerum 27_{16} 188

compactio: compactio massae corporeae in utero mulieris 10_{10} 246

compago: compago corporis 14_{19} 93

comparabilis: aliquis provocatur ad disputandum vel contendendum cum aliquo quando videt eum comparabilem sibi in scientia 22_2 10. – Comparationes hyperbolicae: res parvae pulcritudinis ad res pulcerrimas 25_6 68; puritas hominis ad divinum examen 9_{30} 658, 664, ad puritatem divinam 25_4 86; iustitia hominis ad iustitiam divinam 25_4 65, 66, 25_4 85; sapientia hominis ad sapientiam divinam 37_{24} 373, cf. 22_2 13; creatura corporalis ad sanctos angelos 41_{14} 291; claritas lunae et stellarum ad immensitatem divini luminis 25_5 81

compassio, compati: ex compassione in adversis maxime sumitur experimentum de amicitia 2_{12} 249, *vide* amicitia; afflictis oportet compati 42_{11} 128, *vide* afflictio. – Signum compassionis: *movere caput super aliquem* 16_5 47, 42_{11} 127

complanare: complanare terram aratam 39_{10} 133

complexio: termini vitae humanae sunt praestituti ex corporalibus causis, puta ex complexione 14_5 20; animal siccae complexionis est elephas 40_{17} 438

compluere: pars terrae non compluta 36_{28} 312

comprehendere: pluviarum primam originem secundum quod a Deo sunt institutae scientia comprehendere non potest homo 37_{16} 228, *vide* homo; homines non comprehendentes mentes loquentium in duobus deficiunt 8_1 8. – Comprehendere sua virtute: *tenere* 38_{12} 266

comprimere: viscera artantur ex nimio cibo compressa 20_{20} 245

comprobare: hostes Iob impii comprobati 10_4 121

computatio: computatio caelestium motuum 38_{21} 423

conari: quandoque conatur homo ad aliquid obtinendum per sapientiam 18_7 97; hominis conatus a diabolo contemnitur 41_{20} 355

concentus: *vide* caelum, sonus

conceptio, concipere, conceptus: conceptio est primum in fructificatione animalium 21_{10} 84; in utero fiunt conceptus corporales 15_{35} 338, *vide* uterus; conceptio nocturna est frequentior 3_2 122; ex ipsa conceptione potest praestari impedimentum ne conceptus ad partum perveniat 3_{10} 307; nativitate sublata conceptio non aufertur 3_2 117

In corde fiunt conceptus spirituales 15_{35} 337; vocibus exprimimus interiores conceptus cordis 11_8 48, intellectuales conceptiones 37_2 57, *vide* verbum, vox; dicere quandoque refertur ad conceptum cordis 1_7 336. – Intellectus concipiens: *uterus* 32_{18} 169

concertatio: concertatio bellorum 29_{14} 133

concha: margaritae generantur in conchis marinis 28_{14} 180

conclusio, concludere: nostra habitabilis quasi undique oceano concluditur 26_{10} 147; nullo corporeo loco concluditur sapientia quia non est aliquid corporale 28_{12} 151; in speculativis, per ea quae homo intelligit, rationes deducit ad aliquas conclusiones cognoscendas 12_{13} 197

concordia, concordare: concordia est iustitiae effectus 25_4 63; superiores intellectuales substantiae in summa concordia vivunt 25_2 33, quae ex potestate divina procedit 25_2 35, 25_4 61; in multitudine malorum non omnes omnibus socialiter concordant sed quidam quibusdam 41_7 110; superbi ad invicem concordare non possunt 40_4 147. – *Vide* discordia

concupiscentia: ratio interdum ad modicum absorbetur per concupiscentiam et sic homo peccat 7_{20} 474, 23_{17} 247, *vide* ratio, peccatum; diabolus ad concupiscentiam peccati homines incendit per ostentationem alicuius boni 41_{10} 173, *vide* diabolus; semen hominis immundum est secundum concupiscentiae infectionem $13(14_4)$ 477; homo de muliere per concupiscentiam carnis nascitur 25_4 72; propter concupiscentiam carnis secundum luxuriam maxime daemones hominibus superant 40_{15} 361; ex oculorum aspectu provenit concupiscentia mulierum 31_1 16; cor a concupiscentia mulieris victum 31_9 124; de concupiscentia adulteri 24_{17} 180, 24_{18} 196, *vide* adulter; qui subiacet concupiscentiae passionibus equo vel mulo comparatur 4_{10} 172. – Concupiscentia: *ignis* 41_9 151

concutere: non tota terra simul concutitur in terraemotu 38_{13} 267, *vide* terraemotus; homo concutit vestimentum ut ex eo excutiat pulverem seu tineam 38_{13} 274

condemnatio, condemnare: sententia iudicis condemnantis est causa poenae condemnati 3_1 53, *vide* iudex, iudicium; non est rationi consonum ut maior potestas a minori de iniustitia condemnetur 36_{22} 239; ad hoc quod aliquis de iniquitate condemnetur requiruntur tria 36_{23} 252; homines iudicis potentiam et sapientiam allegantes contra condemnatum 26_1 9

condensare, condensus: aquae condensatae in glaciem 38_{30} 521; vapores condensati in nubes 37_{17} 257, cf. 38_9 203, *vide haec verba*; elephas umbram condensam quaerit 40_{17} 431

condere: tempore praecedit materiam ratio artificis qui eam condidit 38_4 89; Satan inter primas creaturas est conditus 40_{14} 390. – Astra de novo condita: *astra matutina* 38_7 152

condescendere: ad magnanimum pertinet ut minoribus condescendat 29_{11} 103

condicio: ratio condicionem naturae auferre non potest 3_1 7; naturaliter est eadem condicio omnium hominum 31_{15} 175, *vide* homo; homo secundum suam naturam est infimae condicionis 40_3 90; est humana condicio talis quod ex terrena materia corpus eius compactum est 4_{19} 465; sunt duae hominum condiciones, quidam sunt magni et elati animi, quidam vero sunt pusillanimes 5_2 8; ex fragilitate condicionis humanae nullus homo est immunis a peccato 6_2 13; non est aliqua condicio hominum cui non adsit pronitas ad aliquod peccatum 5_2 6, 32; ex fragilitate condicionis humanae homo difficulter et vitat peccatum et operatur bonum 15_{14} 121; ex communi condicione impii finaliter sentiunt mortem 21_{13} 111; absque differentia honoris et dignitatis similis est condicio mortuorum 10_{22} 488; diabolus ex condicione naturae habet ut neque hominem timeat neque aliquam creaturam corporalem 41_{24} 435; daemones tales figuras corporum sinantur assumere per quas eorum condicio designetur 40_{19} 235

confessores: confessores in Ecclesia 1_8 446

confidere: ille qui de nullo confidit sed de omnibus timet non potest sperare quod post oppressionem relevetur 15_{22} 211; in potente amico homo confidit sicut in suo brachio 38_{15} 301; nimis de divitiis confidens 31_{24} 267; aliquis confidit de sua causa quia habet multos excusatores vel innititur testimonio conscientiae suae 9_{19} 460; id in quo homo confidit locus eius dici potest 40_7 187

confingere: frequenter homines confingunt aliqua facta ad disputandum de eis Prol. 75

confinium: diluculum est quoddam confinium diei et noctis 38_{12} 235

confirmare: malitia confirmata 19_3 15, cf. 23_{17} 245

confiteri: non sufficit culpam confiteri nisi sequatur satisfactio 42_6 44

conflictus: *pugna*, idest actualis conflictus 38_{23} 444

conformare: unumquodque ostenditur rectum per hoc quod suae regulae conformatur 23_{11} 174; ratio divinae voluntati se conformans 6_{10} 132

confractio, confringere: ex percussione malleorum non confringitur incus 41_{16} 276. – *Confractio*: violentia 20_{19} 214

confugere: solent homines ad loca montana quasi munitiora confugere pro timore latronum vel hostium 24_8 80

confusio, confundere: homines propter confusionis timorem interdum contra iustitiam suam culpam occultant 31_{33} 334; superborum et arrogantium prima poena est confusio 40_7 166. – Confusus clamor et strepitus: *ululatus* 39_{25} 283

congaudere: iusti congaudentes divinae iustitiae 22_{19} 204

congelatio, congelare: pluviae congelatae sunt nives, ros congelatus est pruina 38_{29} 504; nix multum firmata per congelationem non statim dissolvitur ad primam calefactionem 6_{17} 221; quandoque in frigidissimis terris etiam maria congelantur 38_{30} 522. – *Vide* glacies

congregare: homines deliciosi pretiosa nituntur congregare 28_{13} 168; illi qui multa sibi inordinate congregant nimia sollicitudine affliguntur 20_{22} 254, his multiplex dolor exoritur 20_{28} 258; congregantur homines in nocte ad aliqua festa agenda 3_7 235; vapores congregati, *vide* vapor

congruus: omnia habent dispositionem naturalem congruam propriae operationi 5_4 112; congruum tempori et personae Iob 42_{10} 109

coniungere: rami hominis sunt filii et aliae personae coniunctae 15_{30} 300, cf. 1_2 56

conqueri: iniuriam passus conqueritur iudici 19_7 63, cf. 16_{19} 258

consanguineus: *fratres*, idest consanguinei 6_{15} 200

conscientia: testimonium conscientiae tres gradus habet 9_{20} 472, cf. 468; cum conscientia remordet de malo, non sine timore homo perpetrat malum 12_6 111; propter securitatem suae conscientiae non formidat aliquis contendere cum quovis iudice 9_{15} 393; non potest iudex humanus interiorem conscientiam accusati cognoscere 10_4 131, *vide* iudex, Deus. – Conscientiae remorsus: *vermis* 24_{20} 236

consecutio: consecutio finis, *vide* finis

consensus: diabolus se confidit de facili sibi incorporare per consensum homines instabiles 40_{18} 465; ad consensum malitiae non disiunguntur mali 41_7 123, cf. 41_8 128

conservare: unumquodque in suo loco conservatur 40_7 185; quaelibet res puritatem habet secundum quod in sua conservatur natura 4_{17} 402; vita per respirationem conservatur 27_8 31; potestate et virtute aliquis se et sua conservare conatur $13(14_2)$ 451; multiplici virtute aliquis in tribulationibus conservatur ne deficiat 4_6 78; ea quae signantur in sacculo diligenter conservantur 14_{17} 241; quod in sinu absconditur firmiter conservatur 19_{27} 347; Deus in summa pace superiores creaturas conservat 25_2 22, *vide* Deus

consideratio, considerare: philosophi excellunt in consideratione veritatis 12_{20} 313; cum est dolor vehemens in sensu, intentio animae avocatur ab intellectualium consideratione 16_8 70; quanto aliquis magis Dei iustitiam considerat tanto plenius culpam suam recognoscit 42_6 41; ex iubarum consideratione equus ad libidinem provocatur 39_{19} 231; per actualem suae sapientiae considerationem Deus res in esse produxit 28_{27} 331, *vide* Deus

Considerare: *videre* 6_{28} 306; vias alicuius considerare: *super eum oculos aperire* $13(14_2)$ 468; creaturas diligenter considerare: *eas interrogare* 12_8 140

considere: considens femella elephantis 40_{11} 331

consiliarius: consiliarii civitatis aut regni excellere videntur secundum prudentiam in consiliis 12_{19} 310

consilium: invenire in activis vias accommodatas ad aliquem finem pertinet ad consilium 12_{18} 194, cf. 12_{17} 270, 26_3 31, *vide* Deus; quidam dicunt res humanas casualiter procedere nisi quatinus providentia et consilio humano reguntur Prol. 37; temporalis prosperitas est in consiliorum prospero successu 21_{22} 239, *vide* prosperitas; profunditas alicuius in consiliis ex duobus perpendi potest 12_{17} 272; videtur aliquis alicui consilium dare quando eius causam sine ratione defendit 26_5 29; qui sapienti consilium dat videtur hoc facere ad sapientiam ostendendam 26_5 35; consilium sectandi voluntaria virtutum opera est acceptandum 21_{16} 158. – Consilium: *lux* 30_{24} 261; consilia excogitata: *viae* 4_6 106

consistentia: organorum consistentia est ex nervis et ossibus 10_{11} 252; bona consistentia personae propriae 1_2 54

consolatio, consolare(-ri), consolator, consolatorius: remediis quibusdam afflicti solent consolari, quorum unum est somnus, aliud est cum homines sapientes per deliberationem rationis se ipsos consolantur 7_{12} 295, *vide* remedium; afflictiones hominum verbis consolatoriis relevantur 2_{9} 147; solent afflicti ex spe melioris status consolari 6_{4} 59; cum post afflictionem aliquis similia vel maiora timet, nulla est consolatio residua 6_{4} 60; iustis deficiens temporalis consolatio in tempore tribulationis 27_{10} 118, iustis remanens consolatio in Deo $2I_{17}$ 167; cum a bono spiritu apparitio procedit, timor in consolationem finitur 4_{16} 353; consolatoris officium est ea dicere quibus dolor mitigetur 16_{2} 11; onerosus consolator ea loquitur quae magis animum exasperant 16_{3} 12, falso, inutiliter et prolixe verba prosequens 16_{3} 17. – Consolatio: *lux* 30_{26} 261

consonantia, consonus: consonantia sonorum 38_{27} 655; rationi consonum 36_{22} 239

consortium: a sapientia alieni consortio sapientum annumerari non possunt 15_{19} 174

conspicere: homo per sensus corporeos nec omnia corporalia conspicit 10_{4} 137, *vide* homo

constellatio: *vide* Arcturus, Orion

consuetudo, consuetus: consuetum apprehenditur ab hominibus quasi naturale 39_{6} 73; ex peccato praeterito inferioribus viribus est addita pronitas ad similes actus propter consuetudinem 7_{30} 483; est debitum ut qui superflua et inconsueta cupit etiam debita et consueta perdat $3I_{40}$ 400; antiqua sapientum consuetudo 36_{24} 262

consumptio, consumere: interdum ea quae mala acquisita sunt de facili consumuntur 15_{24} 325; homo per decursum praesentis vitae paulatim consumitur, et praecipue cum est infirmitati subiectus 13_{19} 267; dolens taciturnitate consumitur 13_{19} 278; consumptio humidi 16_{9} 85, *vide* humor. – *Consumi*: destrui 36_{12} 109

contemperare: radii solis contemperati per nubes 37_{11} 173

contemplatio: sapientia ad contemplationem pertinet 12_{12} 183; item orare et meditari 29_{4} 48; angeli Deum subtilius contemplantes 4_{16} 435, *vide* Deus. – Quies contemplationis: *nox* 35_{10} 109

contemptus, contemnere, contemptibilis: contemptus miseri est misericordiae impedimentum $3I_{19}$ 218; aliquis quandoque ex sola superbia aliis iustitiam facere contemnit 36_{19} 195; ex magno contemptu parentis provenit quod patrem oporteat suppliciter filium deprecari 19_{17} 159; proprium est in peccatis perseverare volentium ut divina contemnant iudicia 34_{8} 74, *vide* Deus; tanto aliquis gravius fert alicuius contemptum quanto fuerit persona contemnentis abiectior 30_{1} 7; cum mens totaliter mundum contempserit 5_{19} 337; hominis fortitudo et conatus a diabolo contemnitur $4I_{10}$ 355, *vide* diabolus. – Res contemptibilis et infirma: *lutus* 13_{12} 182

contentio, contendere, contentiosus: duplex est contentio: una per sapientiam qua contenditur disputando, alia qua per fortitudinem contenditur pugnando 9_{4} 54, *vide* disputatio; contentio in respondendo et obiciendo consistit 9_{14} 390; non est eiusdem contendere cum aliquo et eum rogare 15_{4} 36; aliquis provocatur ad disputandum vel contendendum cum aliquo propter tria 22_{2} 9; cum aliquis comparatione alterius iustus est, libere et secure potest cum eo contendere 9_{2} 25; qui timet aliquem non praesumit cum eo contendere 15_{4} 31; cum duo homines ad invicem contendunt, iudicem possunt habere qui utriusque dicta examinet 9_{22} 710; aliquis quandoque non formidat contendere cum quovis iudice 9_{15} 391; nulli homini tutum est cum Deo contendere 9_{2} 28, cf. 40_{1} 5, quod si aliqua creatura posset, hoc praecipue competeret primae et excellentissimae creaturae 15_{7} 60, *vide* Deus; contentio est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris ('Ambrosius') 6_{29} 312; more contentiosorum imponere verba non dicta vel aliter dicta 37_{24} 400

continentia: differentiam assignant philosophi inter continentiam et castitatem 4_{6} 96

continuare, continuum, continue: secundum aspectum aer caelo continuatur 38_{12} 228, *vide* aer; proprium est aquae quasi continue moveri 38_{9} 192; dolor exterior est dolor secundum sensum, puta ex solutione continui 16_{8} 61

contra: hoc est contra aliquem quod est peremptivum ipsius 10_{1} 22; solent homines loqui contra sententias non intellectas 8_{1} 7; solent disputantes contra dicta aliorum obicere 23_{6} 50

contrarietas, contrarius: contraria iuxta se posita magis elucescunt 1_{13} 637; naturale est quod unumquodque perdat suum contrarium 10_{3} 100; creaturae inferiores corporales sua contrarietate subduntur generationi et corruptioni 25_{2} 28; in superioribus corporibus nulla contrarietas reperitur, unde et incorruptibilia sunt 25_{2} 31; contrarii motus humanarum voluntatum 25_{2} 28; corpus hominis a contrario auctore formato secundum Manichaeos 10_{3} 168

contristare: contristantur homines cum eis falso crimina imponuntur 23_{2} 6

contritio, conterere: quod conteritur, quadam violentia fortioris corporis in minimas partes resolvitur 40_{7} 179; non conteruntur fruges in herba 24_{24} 298, cf. $4I_{19}$ 341; mors hominem in pulverem conterit 18_{14} 184, *vide* mors; conveniens poena superborum est quod conterantur 40_{7} 177; Deus exercens iudicia per contritionem 34_{29} 343, *vide* Deus

contumelia, contumeliose: ad audita contumeliose respondere 6_{23} 310; faciem conspuere in signum contumeliae 30_{10} 97

convalescere: convalescens arbor 15_{29} 290

convallis: ad locum umbrosum inter convalles montium vitalis calor solis numquam pertingit 28_{2} 72

convenientia: convenientia caelestium motuum 38_{27} 659

conversatio, conversari: conversatio humana maxime consistit in videre et videri 7_{8} 160; homines desistunt a nocumento eorum qui inter alios suaviter conversantur 24_{4} 47; tyrannus quandoque habet familiares et domesticos cum quibus secure conversatur 15_{22} 221; difficile est hominem terrena conversatione absque iniquitate peccati mortalis uti 16_{20} 263; animalia sunt longe a conversatione humana 39_{2} 33; aquila in altis conversatur 39_{27} 303

conversio: ad conversionem peccatoris tria requiruntur 8_{8} 91

convincere: quando homo efficaci ratione convincitur, non ipse a se aufert eloquium sed potius ei ab alio aufertur 32_{15} 151; hominem de sua ignorantia convincens Deus 38_{2} 76, *vide* Deus

convivere: amico convivere delectabilissimum est 2_{11} 227

convivium: in conviviis vix aut numquam homines vitare possunt quin vel per ineptam laetitiam vel per inordinatam loquacitatem aut etiam immoderatum cibi usum offendant 1_5 139, etiam gravioribus peccatis immerguntur usque ad Dei contemptum 1_3 164

coopertorium: coopertorium oculi in ceto 41_4 51

cor, cordatus: cor est principium vitae corporalis 34_{10} 104; vitales spiritus a corde ad omnia membra diffunduntur 17_1 10; vitalium operationum principium est cor quod sub costis continetur 18_{12} 166; quando virtus caloris naturalis debilitatur in corde, spiritus vitales minuuntur 17_1 13; virtus naturalis in corde ceti 41_{15} 268; aer in pulmone calefit per calorem cordis qui pulmoni coniungitur 41_{11} 183

In corde fiunt conceptus spirituales 15_{35} 337, *vide* conceptus; ex hoc est vanitas hominis quod cor eius in veritate non figitur 11_{11} 177, *vide* veritas; propter volubilitatem humanum cor non fixum in eodem perseverat 9_{21} 685; de amicis mortuis non dolere duri et insensibilis cordis esse videtur 1_{30} 757

Tendentibus ad finem primum necessarium est ut in nullo alio cor suum figant 9_{25} 599; dolus praecipue in intentione cordis consistit 31_4 85; ea quae non sunt delectabilia non potest cor hominis libenter acceptare 6_6 87, et multo minus amara et noxia 6_6 89

Ex magna adversitate iustorum interdum corda commoventur 1_{11} 534, *vide* adversitas; animalia afflictionem cordis ore exprimunt 6_5 70; cordis afflictio procedit ex fervore doloris 30_{27} 270; in insidiis apud uxorem proximi quaedam cordis deceptio praecedit 31_9 121

Hypocrita cor habet vanum et negligens ad spiritualia sed quantum ad temporalia sollicitum 8_{14} 223, circa Deum cor verum et firmum non habens 8_{14} 228; deliciosi homines cor habent deliciis occupatum 28_{13} 172; cor adulteri a concupiscentia mulieris vincitur 31_9 124

Deus est cordium scrutator et iudex 13_3 26, ei patet cordis intentio 31_6 87, *vide* Deus. – *Cor*: desiderium 31_7 102, intellectus 34_{10} 106; *viri cordati*: intelligentes 34_{10} 103; cor: *uterus* 15_{35} 337; in occulto cordis: *in sinu* 23_{13} 204

cornu, corneus: rinoceros, idest unicornis, habet unum cornu in media fronte 39_9 118; super oculos ceti sunt additamenta cornea 41_4 51; stibium in cornu a mulieribus conservatur 42_{14} 181

corona: in concertatione bellorum victoribus datur corona 29_{14} 133

corpulentia: quicquam corpulentia magnum 41_4 63

corpus, corporeus, corporalis: tam in corporibus corruptibilibus quam in corporibus incorruptibilibus quidam circularis motus apparet, aliter et aliter 7_9 187; totus cursus rerum corporalium qui per angelos administratur divinae subiacet voluntati 9_{12} 367, cf. 1_{19} 711; naturalibus virtutibus corpora in suis locis naturaliter continentur 26_7 108, cf. 28_{12} 152; nihil videtur pulcrius in corporalibus rebus quam radii solares 41_{21} 367; admirabilis est dispositio inferiorum corporum secundum superiora 38_{33} 583; determinatae magnitudinis corporum huius mundi ratio reddi non potest ex naturalibus principiis 5_9 153; homo per sensus corporeos nec omnia corporalia conspicit 10_4 137, *vide* homo

Caelestia corpora sunt excellentiores creaturae 28_{24} 299, *vide* creatio, ex materia praecedenti fieri non potuerunt sed simul fuit materia cum forma producta 37_{18} 268; in superioribus corporibus nulla contrarietas reperitur, unde et incorruptibilia sunt 25_2 31; in caelestibus corporibus non invenitur malum naturae 1_7 404; ponebant quidam corpora caelestia animata 38_7 160, immo Pictagorici 38_{37} 654; lux est quasi qualitas activa caelestium corporum 38_{17} 322, cf. 23_9 146; in caelestibus corporibus est uniformitas primi motus 38_{21} 539; per motum caelestis corporis fit solis et aliorum siderum ortus et occasus 9_7 177; ex motu caelestium corporum nullus sonitus procedit (Aristoteles) 38_{37} 656; a Deo movetur sol et alia caelestia corpora 38_{25} 496; ministerio angelorum caelestia corpora moventur 38_7 163; corpora caelestia per suam lucem agunt in ista inferiora 38_{17} 321, eorum motui subduntur corpora generabilia et corruptibilia 1_4 237, cf. 28_{21} 265; inter alios effectus caelestium corporum in istis inferioribus communior est generatio et corruptio 38_{17} 326; ad aeris permutationes et harum effectus in inferioribus operatur virtus caelestium corporum 37_{18} 260, cf. 38_{17} 347, sol et alia caelestia corpora sunt proxima causa efficiens generationis pluviarum 38_{28} 497, *vide* aer; secundum motus caelestium corporum mensurantur durationes inferiorum corporum et tempora generationis et corruptionis 38_{21} 407; virtus caelestis corporis a virtute divina superatur 9_7 174; admirabilis apparet in caelestibus corporibus motus planetarum 38_{28} 550, item ordo, situs et motus ipsorum 38_{33} 580, *vide* planeta; non possumus in corporibus caelestibus cognoscere propriam causam corruptionis cuiusque rei 38_{17} 337; secundum quoedam, homines resurgent resumendo quaedam caelestia corpora 19_{24} 295. – *Vide* caelum, sol, luna, stellae, etc.

Prima dispositio communis ad totum corpus quod superiacet aquae et terrae est variatio noctis et diei 38_{12} 229; dispositio lucis et tenebrarum communiter respicit totum superius corpus 38_{17} 319, cf. 37_{16} 246; terra est infimum corporum quod subiacet omnibus 38_4 86; apud nos quaedam corpora cedunt tangenti et a transeuntibus dividi possunt, sicut aer et aqua etc., quaedam non 37_{18} 273; inter corpora mixta maxime videntur firma et stabilia montes 9_5 90, quae Deus movet pro sua voluntate 9_5 88; pretiosa in corporibus cum sua principia locis corporalibus concluduntur 28_{12} 152

Supremum caelum est principale principium humani corporis inter causas corporales 38_{12} 240; est humana condicio talis quod ex terrena materia corpus eius compactum est 4_{19} 465, terra est praecipue materia humani corporis 38_1 88, 38_{12} 238; corpus humanum ex terra et aqua abundantius constat 4_{19} 468; corpus est propter animam 2_1 4, *vide* anima, caro; corpus videtur esse animae in circuitu sicut vestimentum vestito vel sicut domus habitatori 10_8 172; vita corporis est per vitales spiritus qui a corde ad omnia membra diffunduntur 17_1 10, *vide* cor; calor naturalis in humano corpore viget 34_{15} 167

Bona corporis substantiae hominis adveniunt 10_5 199, praecipua videntur pulcritudo et fortitudo 18_{13} 170, corporis sanitas 21_{22} 234,

vide bonum; infirmitas corporis ad hoc operatur ut perturbata phantasmata dormientibus appareant 7_{14} 318; ex infirmitatibus corrugatur corpus propter humidi consumptionem sicut et ex senectute 16_{8} 84; mors est corruptio corporis viventis 38_{17} 329, *vide* mors

Tremor corporis est indicium magnitudinis timoris 4_{14} 281; de corporalibus nocumentis interiores dolores concipiunt homines 21_{20} 252; gula et luxuria aliquis in proprium corpus peccat 18_{22} 156; Porphyrius: « animae, ad hoc quod fiat beata, omne corpus fugiendum est » 19_{27} 319

Omnis corporea creatura: *termini terrae* 37_{8} 82; caelestia corpora: *fines mundi* 28_{24} 298; virtutes caelestium corporum ut causae corruptionis viventium: *portae mortis* 38_{17} 331; totum superius corpus: *aether* 35_{6} 55; corpus hominis: *domus animae* 4_{19} 472; corporis afflictio: *sanguis* 16_{19} 249; corporalis dolor: *afflictio* 30_{16} 188

correctio, corrigere: correctio per modum disciplinae vel exterminii 20_{22} 273; ad correctionem scire causam suae punitionis necessarium est 10_{3} 58; propter negligentiam corrigendi interdum domini puniuntur 11_{14} 220; divina locutio corrigit hominem per aegritudinem corporalem 33_{19} 212, correctione indignos Deus futurae damnationi reservat 35_{15} 145, *vide* Deus. – Correctio pro peccatis: *virga Dei* 21_{9} 77

correptio, corripere: frequenter homo in somniis corripitur de peccatis commissis 33_{17} 193; si correptio ab homine salubris est, multo magis illa Dei omnipotentis et omnia scientis 5_{17} 295, *vide* Deus

corrodere: tinea vestimentum corrodens 4_{19} 507, 27_{18} 211

corruere: arrogantes periculose corruunt 40_{6} 161

corrugare: ex infirmitatibus corrugatur corpus propter humidi consumptionem sicut et ex senectute 16_{9} 84

corruptio, corrumpere, corruptibilis: corruptibili incorruptibile prius est ordine naturae 38_{7} 150, *vide* incorruptio; qui corrumpit aliquid vult illud non esse 10_{8} 187; per corruptionem res resolvuntur in sua principia 28_{3} 61; omnia quae generantur corruptioni subiecta sunt 14_{18} 252; creaturae corporales per suam contrarietatem generationi et corruptioni subduntur 25_{8} 28; quod naturaliter generatur etiam determinato tempore corrumpitur 9_{5} 105, ipso cursu mutabilitatis rerum 22_{14} 180; durum non facile corrumpitur ab exteriori agente 41_{18} 265, cf. 268

Communior effectus caelestium corporum in istis inferioribus est generatio et corruptio 38_{17} 326, cf. 1_{6} 237, *vide* caelum, corpus; quae sunt corruptibilia individuo, perpetua specie tantum, secundum speciem quidem propter se disponuntur a Deo, secundum individuum propter speciem tantum 7_{17} 380; eiusdem impossibilitatis esse videtur ut incorruptibilia corrumpantur et ut totaliter corrupta iterum reparentur 14_{13} 112, cf. 14_{18} 270; quorumcumque substantia est corruptibilis mota reiterantur eadem specie non eadem numero (Aristoteles) 19_{27} 335

Caro hominis secundum statum vitae praesentis corruptibilis est 19_{34} 308; propter interiorem corruptionem humorum cutis denigratur 30_{30} 288; uxori ex gravi corruptione horribilis redditur vir 19_{17} 155; mors est corruptio viventis 38_{17} 329, cf. 33_{34} 273, quandoque per interiorem corruptionem 33_{18} 207, *vide* mors; non corrumpuntur homines sicut aliae creaturae corporales 14_{19} 268, 14_{20} 287

Ex interiori corruptione vita iustitiae in homine consumitur 4_{20} 522; corruptio animae est per deordinationem potentiarum animae 33_{18} 202; corruptio fomitis 4_{20} 527

Maxime admirandum est quod homo terrenus et corruptibilis ad spiritualium vel caelestium possessionem promoveatur 37_{1} 45. – Corrumpi: *alteri* 14_{13} 118; causae corruptionis quantum ad virtutes caelestium corporum: *portae mortis* 38_{17} 331

corvus: per septem dies pullos ovis eductos non pascit 38_{41} 686

crastinus: non potest expectari firmiter etiam crastinus dies 7_{21} 517, *vide* homo

creatio, creare, creatura: omnes creaturae per sapientiam Dei fiunt 28_{22} 288, 35_{10} 98, cf. 41_{3} 28; creaturae conservatio non est nisi a Deo 11_{10} 152, cf. 12_{9} 145; omnis naturalis cursus rerum est quaedam motio creaturae ad praeceptum Dei 39_{27} 299, cf. 28_{27} 336, creatura Creatori oboedit 14_{15} 203, nec ei potest ab ulla resisti 23_{12} 217, 11_{10} 152; si aliqua creatura cum Deo contendere posset 15_{7} 60

Satan inter primas creaturas est conditus 40_{14} 390, 40_{19} 291, cf. 40_{19} 301, excellentior inter ceteras creaturas secundum quosdam 40_{14} 392, *vide* Satan, diabolus; angelorum creatio si duratione praecessit hominis productionem 40_{10} 296, cf. 38_{7} 158; creaturae corporales et spirituales distinctae sunt divina virtute 26_{12} 177, simul cum distinctione creaturae corporalis fuit distinctio creaturae spiritualis 26_{12} 170

Excellentiores creaturae sunt caelestia corpora et caelestes spiritus 28_{24} 299, quas Deus conservat in summa pace 25_{2} 22, in summa concordia 25_{2} 35, et constituit in perfectiori suae unitatis participatione 25_{2} 36; per superiores creaturas Deus disponit inferiores 4_{18} 444, 25_{2} 42, in quibus invenitur discordia multiplex 25_{2} 25; contenta sunt elementa sub caelestibus creaturis 28_{24} 302, *vide* elementum

Creaturae superiores quae dicuntur angeli 4_{18} 446; creaturarum spiritualium officio administratur motus caelorum 26_{12} 155; inferiores creaturae, scilicet homines 4_{18} 437; in creaturis rationalibus invenitur meritum et demeritum 7_{12} 274; propter malitiam creaturae rationalis Deus punit et adversitates inducit 40_{14} 397, *vide* adversitas; effectus Dei in rationabilibus creaturis 40_{4} 50; creaturae corporalis principales partes 38_{18} 258; creatura corporalis modicum aliquid est in comparatione sanctorum angelorum 41_{14} 291; virtus creaturae corporeae est determinata ad finitos effectus 14_{20} 296; creaturae irrationales nec merentur nec demerentur 7_{12} 277; omnia quae accidunt in corporali creatura in utilitatem hominum redundant 38_{18} 270, cf. 14_{20} 282; inferiores creaturae totaliter consumuntur absque spe reparationis 14_{18} 251, cf. 14_{19} 270

Universitas creaturarum est quasi secundarius sapientiae locus 28_{22} 292, cf. 28_{27} 327, 12_{9} 141, *vide* sapientia; nulla creatura potest Deum comprehendere 23_{12} 212, 217; creaturas totaliter et perfecte non cognoscit mens humana, et multo minus ipsum creatorem 11_{7} 115, 11_{8} 125, 11_{9} 142; creaturarum ordinem ad plenum comprehendere non possumus ut a providentia divina dispensatur 11_{6} 59; superio-

rum creaturarum multitudo homini est ignota 25_3 44, *vide* homo; quibusdam creaturis nomen Dei per participationem attribuitur 31_{28} 299; productio creaturarum a Deo quidam processus Dei intelligitur in creaturas 11_7 108; propter beneficium creationis exigebatur sabbatum in Veteri Lege 3_4 171

Occultae creaturae, 28_{25} 308; noxia creatura 41_1 8; creatura maris 41_{24} 419; creatura terrestris 41_{34} 421. – Tota universitas creaturarum: *caelum* 22_{12} 117; altissima creaturarum: *stellarum vertex* 22_{12} 118; creaturae spirituales: *columnae caeli* 26_{11} 154; super omnem corpoream creaturam: *super terminos terrae* 37_3 82; creationis opera: *viae Dei* 40_{14} 388. – *Vide* Deus, spiritus, angelus, corpus

credere: qui non credunt divinam providentiam, frequenter et secure et ex proposito iniustitiae opera agunt 22_{15} 168; creditur simul cum distinctione creaturae corporalis etiam creaturae spiritualis distinctionem fuisse 26_{12} 170; credimus mortem ex peccato primi hominis provenisse 14_{19} 152; qui nihil credunt nisi ista temporalia procedunt ad iniustitiae opera 22_{15} 163. – *Vide* fides

crepusculum: tenebrae aurorae diminuuntur crepusculo 3_8 287

crescere: quae in tempore generantur determinato tempore crescunt 24_{24} 291; non conteruntur fruges quandiu sunt in herba et crescunt 24_{24} 298

crimen: contristantur homines cum eis falso crimina imponuntur 23_3 6

crudelitas, crudelis: nullus in poenis alicuius delectatus ita crudelis invenitur qui vel non ad modicum ab affligendo cesset 10_{20} 394; ad crudelitatem pertinet quod aliquis dum vult tyranno favere patienter tolerat afflictiones multorum 41_3 33; per crudelitatem diabolus ab exteriori hominum nocumento non cessat 40_{13} 384, *vide* diabolus; crudelitatis animus 41_2 27. – Crudeles homines: *bestiae* 5_{23} 397

crus: tibiae et crura sunt exteriora organa motus 40_{13} 377; elephantes habent inflexibilia crura 40_{12} 372

cubicus: cubicus ex denario consurgens millenarius est 9_3 41

culmus: culmi cetorum 40_{26} 625

culpa, culpabilis: quae naturaliter sunt nulli imputantur in culpam 10_2 99, *vide* natura; poena per quandam convenientiam culpae respondebit 20_{18} 209; ad culparum graviorum punitionem poenae huius vitae non sunt sufficientes 21_{21} 311; homo liberatus a culpa, consequens est ut evadat poenam 33_{18} 197; non sufficit culpam confiteri nisi sequatur satisfactio 42_6 44; solet aliquis miseriam et amaritudinem pati ex propria culpa 3_{26} 535; homines propter confusionis timorem interdum contra iustitiam suam culpam occultant 31_{33} 334; quanto aliquis magis Dei iustitiam considerat tanto plenius culpam suam recognoscit 42_6 41; ad rectorem humanarum rerum pertinet ut culpabiles poenis subiciat 9_{11} 292; si fuerint duo aequales et oporteat alteri culpam imponi 40_4 37. – Obscuritas culpae ducens ad mortem: *umbra mortis* 34_{22} 251. – *Vide* offensa, poena, satisfactio; Deus

cultus, colere: divinus cultus pertinet ad pietatem 40_7 177, 34_{10} 111; Deo inhaerere ipsum colendo, quod est ei servire 4_{15} 438; a quibusdam divinus cultus devote perficitur si rarus sit, frequens autem in fastidium venit 1_5 208; apostatare a Deo repugnat divino cultui 40_7 176; maxime iniquum est ut cultus Deo debitus exhibeatur creaturae 31_{28} 295; colebant idolatrae stellas caeli et praecipue luminaria 31_{26} 284, cf. 25_3 51; homo cupidus per nimium cultum superfluos fructus a suis possessionibus extrahere nititur 31_{28} 388. – *Vide* Deus

cupiditas, cupidus: vitium superfluae cupiditatis dupliciter manifestatur 31_{33} 385; quaerit inanis gloriae cupidus ut si quid in se excellens est manifestet 32_{17} 162; quandoque iudices a iustitia declinant propter cupiditatem munerum 36_{18} 191; diabolus cupiditatis ignem in homine accendit 41_{19} 197

cura, curare: Deo est de hominibus cura 35_5 81, 22_{17} 187, aliqui ponebant Deum humanarum curam non habere propter distantiam a nobis 24_1 7, *vide* Deus; vulnera a principio curata ad sanitatem perveniunt 7_5 110. – Curis saeculi dediti: *fluvius* 40_{18} 472

cursus, currere, cursor: naturalis cursus rerum est motio creaturae ad praeceptum Dei 39_{27} 299; cursus rerum corporalium qui per angelos administratur divinae subiacet voluntati 9_{13} 367; certus cursus in motu caeli et in naturae effectibus non inveniretur nisi haec omnia gubernarentur Prol. 20; Omnipotens temporis cursum cognoscit 24_1 13; res temporales corrumpuntur ipso cursu mutabilitatis rerum 22_{14} 180; cursor sic tendit ad finem sui cursus quod in via non moratur 9_{25} 602; cursus strutionis 39_{18} 208; vehementia cursus imbris 38_{25} 466; qui Deum diligit in via eius currit 15_{26} 252, superbus autem currit contra Deum 15_{26} 254. – Cursus mutabilitatis rerum: *fluvius* 22_{14} 181. – *Vide* Deus, homo

custodia: ad agrorum custodiam dimittuntur animalia fortia 39_{11} 138. – Custodia: *protectio* 14_{13} 167

cutis: cutis aret et contrahitur quia humor naturalis iam consumptus est 7_5 117, denigratur propter interiorem corruptionem humorum 30_{29} 288; squamae ad invicem et cuti corporis stricte adhaerent 41_7 113

D

daemon: Satan dicitur primus daemonum 1_6 253, *vide* Satan, diabolus; ex angelica dignitate per peccatum corruerunt daemones 40_{10} 225, 1_6 253, cf. 28_{22} 279, sub terra sunt 1_7 401, a Deo damnabiliter elongati 28_{22} 280, quasi ex sola fama divinae sapientiae notitiam habent 28_{22} 280, eorum intentio semper est mala et a Deo aliena 1_7 331, excellentiam et principatum in malitia habent supra homines 40_{10} 243; nulla virtus corporalis adaequatur potestati daemonis quae est spiritualis naturae 41_{24} 427; facta per daemones procurata interdum ex divina voluntate procedunt 1_7 329; ad aeris perturbationes procurandas naturalis virtus daemonis sufficit 1_{19} 718, 706, qui interdum divina virtute prohibetur 1_{19} 722; secundum luxuriam maxime possunt daemones hominibus superare 40_{12} 361; terrorem daemon hominibus incutit ut eos impellat ad peccandum 41_5 86

Intentionem daemonis ad homines spiritualiter absorbendos nullus homo cognoscit 41_4 70; homo non potest auxilium daemonis vel gratis communicare vel vendere 40_{25} 617; nigromantici nituntur cum daemonibus pactum inire 40_{26} 650; in animalium brutorum effigie frequenter daemones hominibus apparent 40_{10} 235, cf. 244; daemones

corporaliter coeunt non quasi ipso coitu delectati sed ut homines ad peccata inducant 40_{18} 347. – *Dentes daemonis*: ceteri daemones vel mali homines 41_{5} 88

damnatio, damnare, damnabiliter: Deus non statim homines finaliter damnat 33_{39} 324, quos correctione indignos iudicat futurae damnationi reservat 35_{15} 145, *vide* Deus; si boni per temporales adversitates flagellantur, hoc cedit in maiorem damnationem diaboli et impiorum 41_{14} 259; Satan est principium damnationis humanae 40_{19} 277, *vide* Satan; diabolus damnationem inferni non tantum aestimat ut propter eam desinat contra Deum niti 41_{23} 415; quidam sunt sub terra ut daemones et damnati omnes 1_{7} 401, daemones sunt a Deo damnabiliter elongati 28_{22} 279, *vide* daemon; damnati patiuntur confusionem mentis 10_{21} 455; peccatori damnato delectatio peccati convertetur in vermem 24_{20} 235. – Ultio damnationis futurae: *arcus* 20_{25} 284; profundum inferni: *fovea* 40_{8} 206

damnum, damnificare: miseria consistens in damnis rerum vel personae 3_{25} 518; damnum peccati luxuriae est duplex: unum corporale, aliud est impedimentum a bonis operibus 31_{3} 45; poena damni 20_{26} 300. – In rebus exterioribus damnificari: *lanceis adversitatis circumdari* 16_{14} 170

Daniel: Noe et Daniel homines in rerum natura fuerunt Prol. 84

dare: datorum et acceptorum collatio 22_{9} 20

debilitare, debilis: ex nutrimenti subtractione debilitari 18_{12} 162; debilitas vitalis spiritus abbreviat dies vitae 17_{1} 17; quod senescit, et debile est et fini propinquum 41_{23} 414; debilitas cognitionis humanae 38_{21} 416; debile fulcimentum in proposito 24_{17} 179

debitum: iniquum est ut id quod est uni homini debitum alteri exhibeatur 31_{28} 293; debitum est ut qui superflua et inconsueta cupit etiam debita et consueta perdat 31_{40} 400

decem, decies: secundum quosdam species numerorum usque ad decem protenduntur 9_{3} 36; decies decem decies mille sunt 9_{3} 42

deceptio, decipere: homo potest decipi et decipere 32_{12} 136; discernere quomodo aliquis decipiatur a veritate declinans 12_{16} 245; deceptio cordis, dum scilicet ratio per concupiscentiam obtenebratur 31_{9} 121; inter peccata magnum locum obtinent deceptiones et fraudes 12_{16} 255, *vide* fraus; aves deceptione capiuntur 40_{24} 590

decidere: paulatim decidere a maxima prosperitate consuetum est in rebus humanis 16_{15} 145

decimae: ante Legem datam fuit decimarum oblatio 1_{5} 161

declinare: impius quandoque declinat ad unum extremum quandoque ad aliud 24_{16} 214; declinare a vera Dei cognitione 13_{4} 39, a iustitia 34_{34} 271, ad iniustitiam 22_{15} 172

decor, decorare: ipsa essentia Dei est decor 40_{5} 77, *vide* Deus; decor sanctorum angelorum et hominum redundat in ornatum Dei 40_{5} 119, cf. 125; homo non habet decorem nisi circumdatum 40_{6} 81; nox decoratur aspectu stellarum 3_{9} 279; herbae virentes ad decorem terrae 38_{27} 489. – *Vide* ornatus, speciositas

decursus: homo per decursum praesentis vitae paulatim consumitur 13_{19} 267, *vide* homo

deditus: dediti curis saeculi 40_{18} 472

defectus, deficere: in Deo defectus aliquis esse non potest 13 (14_{4}) 486, *vide* Deus; ea quae in terris sunt multis defectibus subiacent 22_{14} 141; semper in operibus humanis defectus invenitur 9_{21} 679; quandoque Deus spirituales defectus evenire permittit 9_{11} 312; ex multitudine poenarum homo quandoque deficit 20_{18} 197; multiplici virtute aliquis in tribulationibus conservatur ne deficiat 4_{6} 78; oculi deficientes 11_{20} 281, 17_{5} 92; derideri est deficientis 12_{4} 61. – A fine ambulationis deficere: *in vacuum ambulare* 6_{16} 238

defensio, defendere: adiuvare videtur aliquem qui eius operationem defendit 26_{2} 19; veritas sine mendacio defendi potest 13_{9} 123, 13_{7} 70, 74, *vide* veritas; qui alios in malitia defendunt 41_{6} 100; quandoque aliquis alicuius causam fraudulenter defendens ei placet etiam si sit iustus 13_{9} 109; causam sine ratione defendere 26_{2} 29; ad iniquitatem iudicis pertinet facultatem iustae defensionis auferre 33_{11} 82

deferre: in nullo Satanae defert Deus 41_{3} 32; contra iustitiam deferre magnatibus 34_{24} 270, multitudini 34_{23} 273, potentibus 36_{15} 200

defraudare: adulterium defraudat hominem in toto patrimonio 31_{12} 149

defunctus: memoria defunctorum 11_{18} 266, *vide* mors

deglutire: pauperes deglutire per rapinam 29_{17} 155

dehonoratio: dehonorationes provocant ad amaritudinem 3_{25} 518

deiectio, deicere: quae in tempore generantur postea incipiunt deici 24_{24} 291; arrogantium poena propria est deiectio 40_{6} 159, cf. 20_{7} 65, 22_{20} 221

delectatio, delectare, delectabile: unusquisque libenter respicit id in quo delectatur 22_{24} 282; ea quae non sunt delectabilia non potest cor hominis libenter acceptare 6_{6} 87; omnis tristitia ex admixtione delectationis alleviatur 2_{12} 248; homo cui delectabilis est sua vita optat se vivere 10_{1} 19; inter alia in quibus vivi delectantur, praecipuum est societas humana cum debito ordine 10_{22} 481; naturale est sensibili naturae ut convenientibus delectetur 3_{1} 8, *vide* gaudium; in lumbis est delectatio 16_{14} 177; vehemens delectatio magis animum ad se trahit 31_{3} 53; spirituales actus maxime impediuntur per delectationem veneream 31_{3} 28, 34, *vide* voluptas, adulterium; in cibo et coitu praecipuae delectationes animalium consistunt 40_{11} 323, *vide* coitus; iusti fruuntur delectatione divina et delectantur in laude Dei 27_{10} 118. – Delectari: *pasci* 40_{10} 319; delectatio peccati: *dulcedo* 24_{30} 235; delectabile bonum: *mel, butyrum* 20_{17} 182

delere: quae atramento scribuntur per longinquitatem temporis delentur 19_{23} 233

deliciae, deliciosus, deliciose: aegrotantium afflictiones deliciis alleviantur 2_{8} 131; homines deliciosi pretiosa congregare nituntur 28_{13} 168; deliciose viventes per vitae delicias vigorem animi amittunt et imbelles sunt 5_{5} 85; maxime a sapientiae perceptione impediuntur cor habentes deliciis occupatum 28_{13} 171. – Deliciae: *loca humentia* 40_{17} 448; deliciosi: *suaviter viventes* 28_{13} 170

delictum: omissiones proprie nominantur delicta 13_{23} 349, 33_{9} 63; pro familiarium delictis interdum domini puniuntur 11_{14} 220

delphinus: habet pulmonem et respirat 41_{11} 176; generat animal et habet collum 41_{18} 204

demergere: oculi ad terram demersi 29_{25} 229

demittere: deorsum mittere 38_{6} 135

Democritus: plurima casui attribuebat Prol. 15

demonstrativus: de divinis iudiciis certissima et demonstrativa probatio induci non potest 23_{13} 209

denarius: cubicus ex denario consurgens millenarius est 9_3 41

denigrare: cutis denigratur propter interiorem corruptionem humorum 30_{30} 288

denotatio: Iob denotatio 10_{16} 340

dens: labia dentibus sicut ossibus adhaerent 19_{30} 191; bestia homini comminando dentes contra ipsum parat 16_{10} 107; dentes ceti 41_5 72, 77, 84. – *Dentes daemonis*: ceteri daemones vel mali homines 41_5 88

deorsum: differentia positionis in caelo 23_8 79; septentrio 23_8 88; diabolus, quasi deorsum cadens 1_6 255. – Deorsum mittere: *demittere* 38_4 135

depraedatio: in culpa rapacitatis est violenta depraedatio 20_{19} 212

depravare: habentes sensum per malitiam depravatum 24_{12} 133

deprecari: ex magno contemptu parentis provenit quod patrem oporteat suppliciter filium deprecari 19_{17} 159

deridere: derideri deficientis est, deridere autem superabundantis 12_4 61; maxime homo affligitur cum ab amicis deridetur 10_{16} 351

descendere: ad infernum animae omnium hominum descendebant ante Christum 7_9 181, 10_{21} 437, 21_{13} 115

describere: ad scripturam servandam non solum per modum scripturae eam describimus sed per aliquam impressionem 19_{22} 234; sapientes metrice divina et philosophica describebant 36_{24} 262

desertum: habitari non potest propter terrae ariditatem 38_{26} 474; in desertis glandes 30_3 37

desiccatio: est duplex causa desiccationis in terraenascentibus: una naturalis propter antiquitatem, alia violenta quando evelluntur 8_{12} 176. – *Vide* corruptio, mors

desiderium, desiderare, desiderabilis: quod perfectius est desiderabilius est 1_2 62; quaelibet res desiderat suum finem 37_{11} 159; naturaliter homo desiderat ea de quibus gaudet 31_{30} 314; unumquodque naturaliter esse desiderat 14_{12} 142, vel et vivere 3_{10} 310, *vide* appetitus; homo naturaliter desiderat aeternum bonum 14_{21} 318; semper homo quasi non contentus praesentibus futura desiderat 7_2 62, propter afflictiones praesentis vitae et propter defectum perfecti et finalis boni 7_2 67; qui in gaudio est minus desiderat futurum, plus autem qui in tristitia 7_4 91; quaelibet res naturalis suo desiderio quasi intendit aliquid a Deo acquirere 38_{41} 695; fervens desiderium peccandi 18_9 123; desiderium cum completur gaudium parit 3_{22} 458, molestum est homini cum non implet quod desiderat 32_{19} 174; desideria quandoque sunt etiam impossibilium 14_{14} 170; homo naturaliter desiderium interius explicat verbis 31_{30} 314. – Desiderium: *cor* 31_7 102

desidia: circa virtutes Prol. 44

desolare: *terra desolata*, idest destituta humana procuratione 38_{27} 488

despectus, despicere: stultorum proprium est despicere quos in miseriis vident 19_{13} 172; ad timorem additur si homo a propinquis despiciatur 31_{34} 348; qui ab hominibus despiciuntur auxilium habent a Deo 30_{20} 213; consueverunt despici qui vilibus induuntur 31_{19} 220; in signum despectus faciem conspuere 30_{10} 97

desperatio: superabundans tristitia desperationem inducit 13_{14} 201; ex desperatione contingit quod homo salutem et corporis et animae parvipendit 13_{14} 202

destructio, destruere: si aliquis destruat quod prius fecit 10_9 188; quae in tempore generantur tandem totaliter destruuntur 24_{24} 291; poena superborum et arrogantium est eorum destructio 40_7 172. – Destrui: *consumi* 36_{12} 109

determinator: quaestionis determinator 38_1 13, cf. 38_2 38

detestari: lumen exterius detestari 24_{14} 143

detractio, detrahere, detractor: dicitur flagellum linguae detractio graviter infamantis 5_{21} 365; detractores carnibus humanis vesci dicuntur 19_{22} 211; quadrupliciter excusatur reprehensor a detractione 6_{25} 278; maxima perversitas videtur ut aliquis Dei iudiciis detrahat 34_7 66; impius detrahetur in infernum 20_{28} 334, *vide* impius

detrudere: diabolus detrudetur in infernum 41_{16} 301, *vide* diabolus

deturpare: *squalentes*, idest deturpati 30_2 41

Deus, Dominus, divinitas, divinus, divinitus: Dei sublimitas attenditur perfectione et virtute 40_5 85, ei convenit essentialiter 40_5 89; quicquid de Deo dicitur convenit ei in summo 40_5 87; in Deo nec potentialitas nec defectus aliquis esse potest 13 (14_4) 486, 9_{22} 708; puritas et munditia in Deo solo perfecte invenitur 13 (14_4) 485; Deus incorporeus est 11_9 134, nulla parte caeli localiter concluditur 23_8 107, 40_5 86; extra temporum mutabilitatem est 24_1 13; ipsa essentia Dei est decor 40_5 79, per quem intelligitur ipsa claritas sive veritas, et puritas sive simplicitas, et perfectio essentiae eius 40_5 79; Deus excellit hominem auctoritate maiestatis 9_{22} 700; Dei excellentia manifestatur ex eius effectibus 40_4 46, *vide infra*. – Deus: *Sanctus* 6_{10} 124; modus aeternitatis Dei: *dies ipsius* 24_1 21

Homines notitiam Dei qualemcumque habent vel naturali cognitione vel per fidem vel aliqua maiori sapientiae illustratione 24_1 18; tota hominis cognitio et sermo est de Deo per opera eius 36_{25} 267; nullus adeo in sapientia deficit quin aliqua divinorum operum percipiat 36_{25} 271; divinis operibus nos in Dei cognitionem ascendimus 26_{14} 200; ex vestigiis Dei in creaturis Deus aliquatenus cognosci potest 11_7 112; ad cognitionem divinorum per res humanas pervenimus 10_3 64; divinorum cognitio maxime sapientiae appropriatur 1_{22} 867, 12_2 28, 28_{18} 239; divinorum perscrutatio omittitur aliquando ex reverentia ad Deum 9_{24} 736; quandonam timor Dei revocet a perscrutatione divinorum 9_{25} 747; benedicitur nomen Domini ab hominibus inquantum de eius bonitate notitiam habent 1_{21} 858; in divinorum operum et iudiciorum cognitione consistit felicitas humana 16_{22} 295. – Deus per suam excellentiam excedit cognitionem hominis 36_{26} 280, 283, 286, 37_{22} 352; quantumcumque homines sint sapientes non possunt pertingere ad cognoscendam et enarrandam essentiam Dei 36_{25} 264, 272; propter Dei magnitudinem nec mente cogitare nec ore sufficienter de eo loqui possumus 37_{22} 364, cf. 37_{20} 296, 299; de Deo cognoscere an est, quod pertinet ad eius durationem, excedit hominis cognitionem 36_{26} 288; modum aeternitatis Dei comprehendere non valemus 24_1 15, 21, 36_{26} 291; ad divinam sapientiam non attingit homo 38_{25} 609, quae incomprehen-

sibilis est 9_{11} 299, 37_4 88, et imperceptibilis 21_{21} 305; daemones a remotis quasi ex sola fama divinae sapientiae notitiam habent 28_{22} 279; 'iudicia Dei incomprehensibilia sunt' propter excellentem iustitiam 37_{22} 361, de eis certissima et demonstrativa probatio induci non potest propter incomprehensibilitatem divinae voluntatis 23_{12} 209, ab ulla creatura 23_{13} 212; non potest comprehendi Dei ratio 38_5 118, dispositio 23_{11} 218, providentia 38_1 5, 38_4 103; opera Dei nullus perfecte cognoscit 11_6 54, 11_7 115, 36_{24} 258, 36_{25} 268, 279, cf. 37_{15} 228, 38_4 77; etiam creaturis perfecte cognitis, adhuc creator non perfecte cognoscitur 11_6 59, 11_8 125, 11_9 144, 37_{23} 356; aliqui credebant quod propter distantiam Dei a nobis nos eum cognoscere non valemus 24_1 9. – Deum videre nullus potest vivens in hac mortali carne 19_{26} 311; per lumen corporale videri non potest Deus 23_9 152; Deus ab angelis conspicitur 1_4 266; assistere coram Deo dicuntur qui Deum vident 1_{12} 606; in resurrectione caro non impediet Dei visionem 19_{26} 316, oculi corporis non divinam essentiam videbunt sed Deum hominem factum 19_{27} 327. – Ad plenam cognitionem iudiciorum Dei pervenire: *ad solium Dei pervenire* 23_3 42; signa in creaturis: *vestigia Dei* 11_7 112; Dei bonitatem considerare: *faciem videre* 33_{26} 299

disputatio, disputare, disputator: disputatio est inter duas personas scilicet opponentem (cf. 34_{34} 391) et respondentem (cf. 34_{34} 395) 13_{22} 307; est contentio per sapientiam 9_4 54, *vide* contentio; disputatio est vel ad contradicendum quasi de pari vel quasi ad addiscendum sicut discipuli cum magistro 33_{12} 115; aliquis provocatur ad disputandum vel contendendum cum aliquo propter tria 22_2 9; solent disputantes contra dicta aliorum obicere ut plenius veritatem intelligant 23_5 50; disputatori sufficit a principio falsam opinionem refellere et postmodum aperit quid de veritate sentiat 7_{21} 524; disputator loquitur secundum id quod adversarii sentiunt antequam veritas manifestetur 10_{21} 423; iustum est ut qui alium ad disputandum provocat, etiam ipse paratus sit respondere 39_{22} 339; efficax disputator adversarium ad inconveniens ducere potest vel propositum taliter firmare quod in contrarium nihil dici possit 12_{17} 287; veritatem loquens vinci non potest cum quocumque disputet 13_{20} 288; cum aliquis disputando verum dicere demonstratur, quasi in iudicio iustus invenitur 13_{18} 258; quomodo audienda sit disputatio de magna re 21_5 30

Disputare de aliquo videtur esse dubitantis de illo 15_5 48; frequenter homines confingunt facta ad disputandum de eis Prol. 75; ille potest cum aliquo de factis eius disputare qui cognoscit rationem qua ille cum quo disputat operatur 15_7 68, quod fit dupliciter 15_7 70; videtur inconveniens eum qui anhelat ad disputandum cum superiori revocare ad hoc quod cum inferiori disputet 33_{12} 103; magnae praesumptionis videtur quod aliquis maiorem se provocet ad disputandum 33_{12} 108; homo non est idoneus ad disputandum cum Deo 39_{21} 330, est etiam praesumptuosum quod hoc cupiat 33_{12} 112, *vide* Deus; veritatis inveniendae per disputationem tria sunt impedimenta 6_{29} 307; intendere ad gloriam et victoriam accidit in disputationibus litigiosis et sophisticis 6_{29} 315; potest impediri homo ne veritatem quam certissime novit disputando defendere possit 13_{21} 302. – *Vide* sententia

dissimulare: iudex dissimulans peccatum 11_{11} 184

dissipare: iustus non totaliter dissipatus 21_{17} 166

dissuere: verba dissuta 8_8 23

distantia: distantias stellarum non possumus cognoscere 5_6 166; aliqui ponebant Deum humanarum rerum notitiam et curam non habere propter distantiam eius a nobis 24_1 7

distinctio, distinguere: creditur simul cum distinctione creaturae corporalis etiam creaturae spiritualis distinctionem fuisse 26_{12} 170; 177, *vide* creatio

diuturnitas, diuturnus, diutinus, diu: experimentum tanto magis est efficax ad probandum quanto diuturnius est observatum 8_8 127; ea quae diuturnitatem temporis requirunt per antiquorum memorias maxime comprobantur 8_8 130; palma diutissime vivit 29_{18} 170; comedens dulcem cibum diu tenet in ore ut diutius delectetur 20_{12} 126; diutina revelatio 4_{12} 258

divitiae, dives: nomine argenti omnes divitiae significantur 22_{25} 275; quaedam sunt divitiae artificiales, scilicet pecunia, aliae vero naturales, quae hominum naturali necessitati subveniunt 27_{18} 187, *vide* pecunia; in terra et animalibus humanae divitiae consistunt 12_{16} 155; apud antiquos divitiae praecipue in pecudibus erant 29_6 57; ad divitias gubernandas multitudine famulorum indigent possidentes 1_3 88

Fraudibus et dolis plerumque divitiae acquiruntur 12_4 70; cf. 12_6 117, etiam praedonibus a Deo dantur 12_{10} 161; inordinatus affectus ad divitias contingit per hoc quod homo nimis de divitiis confidit vel gaudet 31_{34} 267; ad divitias congregandas intendunt qui in dignitatibus constituti sunt 3_{14} 365; qui finem ultimum in divitiis ponunt, omnia per quae hunc finem consequuntur aestimant bona 12_6 114, cf. 103

Plerumque divitiarum abundantia discordiam parit 1_4 99; frequenter homines stulti divitiis abundantes pauperes opprimunt 5_5 81; divitibus est contemptibilis iustorum simplicitas per quam divitiarum multiplicitas impeditur 12_5 81; puritatem frequenter divitiae obruunt vel etiam minuunt 1_5 128; stulti divitiis abundantes deliciose viventes solent per vitae delicias vigorem animi amittere et imbelles esse 5_5 85, *vide* deliciae; ex divitiis homo in superbiam erigitur 12_6 120, *vide* superbia

Quando aliquis dives filios sine disciplina nutrit, quod proprium est stulti 5_4 61; raro ad magnam paupertatem deveniunt divitum filii, sed circa nepotes et posteros frequenter contingit 27_{14} 174. – Multitudo divitiarum: *locus impii* 40_7 185

doctrina, docere: rationis investigatio ad veritatis terminum pervenire non potest nisi divinitus doceatur 10_2 56; doctrina catholicae fidei de angelis 4_{18} 411; doctrina spiritualis Dei 37_2 62; doctrina sapientiae Dei 37_4 87, 40_4 62. – Sapientiae doctrina: *vox Dei* 37_4 87, 95. – *Vide* Deus

dogma: carmina, idest humanae instructionis dogmata quae carminibus comprehendebantur 35_{10} 106; declinans a vera Dei cognitione sua falsa dogmata colit 13_4 39, cf. 42_7

60; dogmata scientiae 32_{10} 99. – Fidelia dogmata: *rectum* 42_7 64

dolor, dolere: est duplex dolor, scilicet interior et exterior 16_8 58, carnis et animae 14_{22} 332; dolor interior proprie dicitur tristitia 14_{22} 335, 16_8 59, *vide* tristitia; amaritudo animae pertinet ad interiores dolores 21_{25} 252, *vide* amaritudo; causatur dolor interdum ex his quae aliquis iam perpessus est, interdum ex his quae perpeti timet 6_4 47; est alicui magna causa doloris quando magnam sollicitudinem habet de re aliqua et tamen incidit in illud quod vitare studebat 9_{22} 641; his qui superflua congregaverunt multiplex dolor exoritur dum in pluribus dispendia patiuntur 20_{22} 258; de amicis mortuis non dolere duri et insensibilis cordis esse videtur 1_{20} 757; est naturale sensibili naturae ut et de nocivis doleat et tristatur 3_1 8; cum aliquis dolorem cordis exterius exprimit, animus eius mitigatur, sed tacendo interius magis a dolore angustatur 13_{19} 276; consolatoris officium est ea dicere quibus dolor mitigetur 16_2 11, *vide* consolatio

Dolor exterior est in apprehensione sensus 14_{22} 332, est secundum sensum, puta ex solutione continui proveniens 16_8 61 (ex aegritudine cf. 33_{19} 215); quantumcumque ratio mortalis hominis fortis sit tamen ex parte carnis experitur sensum doloris 6_{12} 156; cordis afflictio procedit ex fervore doloris 30_{27} 270, *vide* afflictio; cum est dolor vehemens in sensu, intentio animae avocatur vel impeditur ab intellectualium consideratione 16_8 70; ex superfluo cibo ad omnia membra solet dolor pervenire 20_{22} 255; cibus comestus quandoque extra eicitur cum dolore 20_{15} 153

Homines dolentes magis solent prosterni 1_{20} 765; mens dolore absorpta non recipit consolationis verba 2_{13} 264; tondere caput apud eos qui comam nutriunt solet esse doloris indicium 1_{20} 773. – *Dolores seminare*: calumnias praeparare 4_8 142

dolus, dolositas, dolosus, dolose: in proximum quis peccat occulte per dolum 1_1 28; simplicitas proprie dolositati opponitur 1_1 31, duplicitati dolositatis opponitur 31_6 89; dolus praecipue in intentione cordis consistit 31_6 85; a rectitudine iustitiae dolosus declinat 31_6 82; dolose rebus alienis insidiari contingit et in furto et in adulterio 31_7 95; fraudibus et dolis plerumque divitiae acquiruntur 12_4 71, *vide* fraus; in adulterio homo uxori proximi dolose insidiatur 31_9 120, cf. 124; homo per vias dolosas intendit velociter obtinere quod per viam veritatis cum magna difficultate obtineretur 31_5 78; hypocritarum est non manifeste sed dolose aliis nocumentum inferre 15_{28} 335, *vide* hypocrita; quidam dolose opprimunt per calumniam 35_9 84; solus potest de dolo iudicare Deus 31_6 86, *vide* Deus

domari: rinoceros non de facili potest domari sicut bos 39_9 119, cf. 142

domesticare, domesticus: domestici, patrono mortuo, luctum agunt et signa tristitiae demonstrant 18_{16} 190; contingit quod tyrannus habet domesticos cum quibus secure conversatur 15_{22} 221, a quibus quandoque timet 15_{28} 225; animalia domesticata cibum libenter ab hominibus capiunt 39_9 123; quaedam animalia dum sunt domesticata sustentari non possunt absque hominis cura 39_6 62; butyrum ex lacte domesticorum animalium sumitur 20_{17} 180, *vide* butyrum.–Domestici: *necessarii* 6_{13} 190. – *Vide* asinus, bos, elephas, gallus

dominium, dominus: homo est dominus sui actus per liberum arbitrium 14_{20} 279, cf. 21_{16} 155, per solam rationem 3_1 33; pro familiarium delictis interdum domini puniuntur propter negligentiam corrigendi 11_{14} 220; servus ad nutum oboedit domino 26_{11} 158; est poena multitudinis qua affligitur tyrannorum dominio 34_{29} 340. – Dominium: *venter* 20_{15} 161. – *Vide* Deus

domus: fundamentum primum est in constitutione domus 4_{19} 483; domus stabilitas super columnas firmatur 9_4 162; pertinet ad prosperitatem terrenam spatiositas domorum 27_{18} 206; domui qui minatur ruinam fulcimenta adhibentur 8_{15} 247; de domibus furtive subripientes latrones 24_{14} 151, 155; anima humana est in corpore sicut homo in domo 4_{19} 472, 10_8 172, *vide* anima; ad mortem tendunt homines sicut homo ad suam domum 30_{23} 238, *vide* homo, mors.– *Domus*: familiae cum necessariis rebus 21_9 73, cf. 8_{15} 236. – *Vide* aedificium

donum: maxime dona promissa alliciunt hominem propter pulcritudinem vel propter pretiositatem 41_{21} 365; donum divinae gratiae 15_{15} 132, 27_8 99; dona spiritualia 26_{13} 182, 184. – *Vide* Deus

dormire: homines maxime ordinata et significativa somnia vident quando quiete dormiunt 33_{15} 169; visa quae ex superiori causa oriuntur quandoque apparent dormientibus 4_{16} 334; ceti maximi quando dormiunt in rupibus 40_{26} 625. – *Dormire*: mortuum esse 14_{12} 110, 27_{19} 219

draco: per Leviathan significatur draco antiquus, scilicet diabolus 3_8 261. – *Vide* diabolus

dubitatio, dubitare, dubium: disputare de aliquo videtur esse dubitantis de illo 15_5 48, dubitans autem propinquus est neganti 15_5 50; dubitatio apud plurimos de actibus hominum, utrum res humanae casu procederent an gubernarentur Prol. 26; in adversis quidam in dubitationem incidunt an ex divino iudicio proveniant 4_4 47; quod impiis quandoque prospera quandoque adversa adveniunt facit apud homines dubitationem 21_{22} 208. – Dubia: *tenebrae* 24_{17} 183, 29_3 38, cf. 30_{26} 263

ductilis: metalla ductilia et liquabilia sunt 28_1 16

dulcedo: dulcedine peccati finaliter ligati 40_{12} 367. – *Dulcedo*: delectatio peccati 24_{20} 235

duplicitas: simplicitas duplicitati dolositatis opponitur 31_6 89, *vide* dolus

duratio, durare: cognoscere de Deo an est pertinet ad eius durationem 36_{26} 288, *vide* Deus; secundum motus caelestium corporum mensurantur durationes inferiorum corporum 38_{21} 407

durus: durum significat potentiam naturalem ut aliquid non facile corrumpatur ab exteriori agente 41_{15} 265. – Homines duri et rudes: *lapides* 5_{23} 396

dux, ducatus: secundum locum inter potestates humanas tenent duces exercituum 34_{19} 197; milites sub duce militant 7_1 39, 25_3 47, *vide* miles; duces suis exhortationibus animant milites 39_{25} 281; dux exercitus strenuis militibus non parcit a periculis aut laboribus sed post victoriam magis strenuos plus honorat 7_1 43; duces bellorum solent audaciores esse et promptiores ad loquendum 29_{19} 93, *vide* bellum; caelestes virtutes se habere sicut duces et principes aestimaverunt multorum deorum cultores 25_3 51; qui superbiae subiciuntur ducatum diaboli sequuntur 41_{25} 447; amici Iob erant duces populorum 42_8 68

E

Ebionitae: vita Filii Dei non sumpsit initium ex Maria, sicut Ebionitae dixerunt 19_{25} 277

ebrietas: passione ligatur ratio quasi quadam ebrietate 12_{25} 398, *vide* passio

Ecclesia, ecclesiasticus: ecclesiastica traditio circa incorporeos spiritus et homines 1_6 241; apud Iob et amicos eius eadem erat opinio de daemonibus quam nunc Ecclesia catholica tenet 40_{10} 225; Peripateticorum sententia circa corporalia bona et animi passiones ecclesiasticae doctrinae concordat 1_{20} 748; de singulis confessorum cantus in Ecclesia 1_8 446

eclipsare: claritas diei aufertur ex subtractione radiorum solis illuminantium terram, ut patet quando sol eclipsatur 3_4 187

edissere: particulariter alicui cuncta edissere 10_9 206

educatio: in fructificatione animalium est educatio prolis 21_{10} 92

educere: obstetrix educens infantem 26_{13} 193

effectus: videmus omnes effectus ex determinatis causis procedere 5_6 101; posita causa ponitur effectus 10_{14} 297; inconveniens videtur quod aliquis effectum producat ad hoc quod male se habeat 10_{18} 369; puritas effectus a sua causa dependet, nec suam causam in puritate superat 4_{17} 404; per inquisitionem ratio ab effectibus procedit ad causam 11_7 121; per effectus perfecte causa cognosci potest quando effectus adaequant causae virtutem 11_8 128, *vide* Deus; per effectus sensibiles in cognitionem intelligibilium devenimus 37 (36_{22}) 16; inter omnes effectus in rebus corporalibus universalior est et maior motus firmamenti 23_8 120; inter omnes sensibiles effectus spiritualior est lux 37 (36_{33}) 18. – *Vide* causa

effeminatus: effeminatis non est virtus ut se de manu opprimentium liberent 36_{14} 138

effigies: in animalium brutorum effigie frequenter daemones apparent hominibus 40_{19} 235

egestas, egere: Dei proprium est ut non egeat alieno auxilio 40_9 212; egestas virtutum in hominibus causatur per suggestionem diaboli 41_{18} 222

elatio, efferre: quidam ex bonis quae habent se super alios efferunt (superbi) 40_6 143, cf. 22_{20} 213; quidam sunt magni et elati animi qui facile provocantur ad iram 5_2 8; iactantia elationis 18_2 17

electus: Deus sanctorum vitam ab electis considerari vult ad profectum salutis 1_8 469

eleemosyna: pauperi eleemosynam petenti responsio triplex 31_{14} 186

elementum: contenta sunt elementa sub caelestibus creaturis 28_{24} 302, *vide* creatio; si quis in elementis gravitatem et levitatem consideret, manifestum est naturaliter terram aquae subiacere, aeri vero aquam, aerem autem igni 5_{10} 207, *vide haec verba*; naturalis ordo elementorum requirit ut aqua circumdaret terram sicut aer circumdat terram et aquam 38_8 173, 26_{10} 137; inter elementa firmissimum et stabilissimum videtur esse terra 9_6 148; terra et aqua, graviora elementa 4_{16} 469; medium elementum scilicet mare 38_{16} 304, cf. 38_{13} 259; elementorum qualitates activae sunt calor et frigus 38_{17} 322; res naturales contemperatae sunt ad hominum et animalium usum, licet naturalis elementorum ordo aliud requirere videatur 5_{10} 204, cf. 26_{10} 139, 38_3 176; quidam antiquorum situm terrae et aliorum elementorum attribuebant necessitati materiae 38_4 96

elephas: inter omnia animalia terrestria excellit elephas magnitudine et virtute 40_{10} 246, 251, 40_{20} 511, cf. 521; est animal melancholicum et siccae complexionis et habitat in terris calidis 40_{17} 438, in solitudinibus et maxime circa fluvios 40_{16} 425, quaerens umbrosa loca 40_{17} 431, 437; elephantes in naribus habent carnem magis sensibilem 40_{19} 501; dentes aliis longiores ad modum dentium elephantis 41_5 74; nervi testiculorum elephantis quasdam revolutiones habent 40_{12} 343; elephantes habent inflexibibiles pedes, tibias et crura, scilicet exteriora organa motus 40_{13} 371; interiora autem organa motus sunt cartilagines quaedam et nervi quae etiam in elephantibus non facile flectuntur 40_{13} 378; elephas non est animal comedens carnes sed herbas et alia huiusmodi ad modum bovis 40_{10} 315, cf. 40_{19} 491, et etiam multum de aqua potat 40_{18} 451; de coitu elephantis 40_{11} 330, 40_{12} 338; vestigium naturae intellectualis apparet in elephante, maxime enim domesticabile silvestrium est elephas 40_{10} 305; est unus modus venationis elephantum quod fit fovea subterranea etc. 40_{19} 485; et alius modus quod homines venatores domesticos elephantes equitant etc. 40_{19} 495

Dominus descripsit proprietates diaboli sub similitudine elephantis 40_{20} 510, 520; Vehemot, idest elephas 40_{10} 265, 250

elevatio, elevare: claritas diluculi sive aurorae diversificatur secundum diversas partes elevationis signorum quae sol perambulat 38_{12} 243, *vide* sol; nobis aquilonaris polus supra horizontem elevatur 26_7 92, *vide* polus; homines consueverunt examinari in elevatione lapidum 9_7 208

Eliphaz, Eliud: *vide* Iob

eliquare: per calorem ignis eliquatum 28_2 53

elongare: *proicere*, idest a se elongare 8_{20} 303

eloquium: quando homo efficaci ratione convincitur, ei ab alio aufertur eloquium 32_{15} 151; quando ratio occultos motus passionis in verba producit, tunc eloquium dimittere dicitur quasi prius retentum 10_1 30

emicare: emicans splendor ignis 41_8 146, 151

emittere: ut Isidorus dicit, cetus dicitur balena a 'balyn' quod est emittere 40_{20} 518

Empedocles: plurima casui attribuebat Prol. 15

ens: aliqui dicunt quod Deus res inferiores cognoscit in universali, puta cognoscendo naturam entis 22_{13} 121

epicyclus: quidam asserunt luminaria moveri per excentricos et epicyclos 38_{19} 383

equus: habet proprietates ad nobilitatem pertinentes 39_{19} 215, habet fortitudinem non solum corporis sed etiam animi 39_{19} 219, ex exteriori ornatu (iubis) ad libidinem provocatur 39_{19} 221, vehementer salit 39_{20} 232, audaciam habet in bellis 39_{20} 237, et perspicacitatem 39_{25} 277; solent equi hinnire propter libidinem 39_{19} 226, cf. 39_{24} 264; subicit homo sibi equum imponendo frenum vel camum in ore eius 40_{21} 551; quisubiacetconcupiscentiae passionibus equo vel mulo comparatur 4_{10} 172

erectio, erigere: arboris erectio per succisionem subito impeditur 22_{20}

214, *vide* arbor; erigens tabernaculum aliquid supponit quo tabernaculum sustentatur 26, 86; arrogantes volunt se erigere supra posse 40, 160. – *Erigi*: exaltari ad maiora 36, 70; *erecto collo*: superbiendo 15,6 248

error, errare: contingit multos a principio propter imperfectam cognitionem circa veritatem errasse Prol. 6; contingit aliquem errare in agendis dupliciter: per ignorantiam, propter passiones 12,5 387. – Errores: *tenebrae* 23,7 244

esca: gustus habet iudicare de escis 34,3 20

esse: est de ratione potentiae quod se habeat ad esse et non esse 4,8 422; qui facit aliquid vult illud esse, ad hoc enim facit ut sit 10,3 186; unumquodque naturaliter esse desiderat 14,8 142, esse et vivere secundum se appetibile 3,3 82, omnibus desiderabile est esse et vivere 3,10 310; esse et vivere in miseria est fugiendum secundum quod huiusmodi 3,3 83; aliqui totaliter destruuntur vel per mortem quantum ad esse naturae, vel per omnimodam abiectionem quantum ad esse civile 12,4 209

essentia: occultas essentias rerum cognitarum sapientia inquirit 28,8 237, *vide* sapientia; Deus est ipsa essentia bonitatis 36,5 50, *vide* bonum

esurire: esurientibus nihil magni auferre possunt depraedantes, sed id modicum quod habent eis subripere non verentur 24,10 104

evaporatio: evaporatio humida 28,6 101; multitudo evaporationis 28,1 28

evellere: in terraenascentibus causa desiccationis violenta est quando evelluntur 8,12 176, cf. 19,9 94

eventus: solent homines a suis operibus impediri quando non prospiciunt rei eventum 24,17 177; dolores concipiunt homines ex infortunatis eventibus 21,25 252; quidam caelesti fato humanos eventus attribuunt Prol. 39

evigilare: primo mane homines evigilare incipiunt 24,14 155. – *Evigilare*: quasi reviviscere 14,8 115

exaltari: *erigi*, idest ad maiora exaltari 36, 70

examinare: homines consueverunt examinari in elevatione vel proiectione lapidum, prostratione hominum etc. 9, 208; aliquis quandoque in examinando aliorum excessus remissus invenitur, timens ne et sui excessus versa vice ab aliis examinentur 9,12 343; ad rectorem rerum humanarum pertinet actus subditorum examinare 9,11 292; divina providentia actus humanos examinat 14,16 227, cf. 31,4 64, *vide* Deus

exasperare: onerosus consolator loquitur ea quae magis animum exasperant 16,2 12, exasperantia verba 16,2 15, 17

exaudire: solent exaudiri a Deo vota implere quae postulando promiserunt 22,17 287

excaecare: Deus aliquem indurat vel excaecat ex hoc quod gratiam non largitur per quam emolliatur et videat 7,20 462

excellentia, excellere, excelsus: quaerit inanis gloriae cupidus ut si quid in se excellens est manifestet 32,17 162; iubilatio excellentiam quandam laudis importat 38, 169; excellunt angeli 40,10 239, daemones 40,10 243, Satan 40,14 392, sacerdotes 12,10 307, philosophi 12,20 313, reges 12,18 300, principes 12,21 325, primarii et consiliarii civitatis aut regni 12,19 310, senes 12,20 320, elephas et cetus 40,10 246, *vide haec verba*; daemones sub figura excellentium animalium describuntur 40,10 244. – *Excelsi*: qui prosperantur in hoc mundo 21,22 220. – *Vide* Deus

excentricus: quidam asserunt luminaria moveri per excentricos et epicyclos 38,19 383

excessus, excedere: aliquis quandoque in examinando aliorum excessus remissus invenitur, timens ne et sui examinentur 9,12 343; in caelo et in terra aliquid humanas vires excedit 26, 81; diabolus omnes in superbia excedit 41,25 444, *vide* diabolus

excogitare: excogitata consilia quibus aliquis se evadere confidit: *viae* 4,6 106; peccata quae sollicite excogitavit impius: *adinventiones* 20,18 207

excolere: solent valles diligentius excoli 39,10 135

excusator: habere multos excusatores 9,19 462

execratio: iuramentum fit per execrationem dum homo si non est verum quod dicitur obligat se ad poenam 31,8 69

executio, exequi, executor: ad hoc pertinet fortitudo ut quis potenter exequatur ea quae iudicat esse facienda 12,13 201; angelus est executor divinae misericordiae apud homines 33,24 269, *vide* Deus; iustificatio pertinet ad iustitiae executionem 27,6 57

exhalatio: exhalatio sicca in generatione lapidum 28,1 17, 28,8 98. – Exhalatio de ore procedens: *halitus* 41,13 189

exhibere: aves captae exhibentur pueris et ancillis ad ludum 40,24 594

exoptare: adversum se loquitur homo quando se vita privari exoptat 10,1 24

experientia, experimentum: experimentum a sensu est 12,11 172, procedit a sensibilibus 12,14 204, eius virtus manifestatur per iudicium sensuum 12,11 173, in rebus particularibus maxime efficax est ad probandum et tanto magis quanto diuturnius est observatum et infallibile inventum 8,3 127; per experimentum longi temporis aliquis sapientior redditur 15,10 89; senes per experientiam longi temporis multa cognoscere potuerunt 32, 71, *vide* antiquitas, senectus; est experimento probatum quod dimensio terrae maior est ab oriente usque in occidentem 38,18 359

expiatio, expiare: tempore Iob aliquem ritum expiationis habebant quo delicta expiabantur 1,5 160; pro gravibus peccatis expiandis antiqui consueverunt sacrificia offerre 42,6 66

expressio: intelligibili expressione loqui 1,7 350

expurgere: expurgere se a culpa imposita 40,4 39

exquirere: ad exquirendam veritatem tormentis subicere 10,4 126

extensio: extensio caelorum 9,6 219, cf. 26,7 83, lineae mensuralis 38,8 122

exterior: res exteriores circa nos sunt quasi extrinsecae 16,14 168, *vide* res; id quod de homine videtur exterius 7,18 409, *vide* homo; exteriora hominis 9,21 696. – *Vide* bonum

exterminium: impii puniuntur ad exterminium 24,20 248; per modum exterminii hostes perduntur 20,22 274

extinguere: Deus homines subito posset extinguere 34,14 149, *vide* Deus

extirpare: arbor extirpata si iterum plantetur 15,29 290, cf. 15,30 297

extraneus: sapientes ab extraneis non suppeditantur 15,16 176; tyrannus ab omnibus extraneis timens 15,22 222; princeps ab extraneis ablatus 34,20 231

extremum: omne medium duorum eo magis ab uno extremo recedit quo magis alteri appropinquat I_8 426; rectum est cuius medium non exit ab extremis I_7 371; id quod demonstrant callidi ex suo opere exit ab extremis I_7 375; extrema in rebus naturalibus, scilicet caelum et terra 26_7 80; impius quandoque declinat ad unum extremum quandoque ad aliud 24_{18} 216

exultare: vah! est interiectio exultantis 39_{26} 275

F

fabricari, fabrica: artifex est causa fabricae 37_{18} 265; Deus orbem fabricatus est 34_{12} 140, *vide* Deus

fabula, fabulari, fabulosus: de rebus antiquis multa fabulose et scribuntur et narrantur 8_8 140; fabula vulgariter lata de Cocyto 21_{22} 325; ut Manichaei fabulantur, homines essent non a Deo sed a principio contrario 10_9 105

facere, factor, factum, factura: qui facit aliquid vult illud esse, ad hoc enim facit ut sit 10_8 186; tunc aliquis aliquid audacter facit quando credit hoc esse bonum quod facit 12_6 109; cum formidine homo facit illud quod scit se perfecte facere non posse 37_{22} 350; contingit, maxime in sapiente, quod ultra facere non potest 23_{14} 221; cum aliquis dicit 'quare hoc factum est' dat intelligere hoc inutiliter esse factum 3_{12} 344; Deus pro sua factura hominem recognoscens 10_{13} 285; ea quae facta sunt deficiunt a virtute factoris 11_6 54, *vide* Deus; frequenter homines confingunt facta ad disputandum de eis Prol. 75; qualiter universalia statuta humana sint factis singularibus applicanda 11_6 80; cum aliquo de factis eius disputare convenienter 15_7 68; etiam in praesumptionibus seu suspicionibus in meliorem partem facta interpretanda sunt 4_2 18. – Facta examinare: *quaerere* 31_{14} 170

facies: faciem habet homo valde diversam ab aliis animalibus 14_{20} 286, cf. 303, 306; facies hominis odientis aperta est quando rationem sui odii non occultat 13_{24} 366. – *Facies*: intellectiva cognitio 14_{20} 306, cf. 23_{17} 251, 40_8 204; *in facie*: ad apparentiam hominum 1_{11} 552; *in faciem*: manifeste 1_{11} 532, 545, cf. 13_{24} 366, 16_{11} 124; *operimentum faciei*: impedimentum cognitionis 15_{27} 263

facultas: facultas non sufficit ad agendum nisi homo ab aliquo incitetur 32_{18} 167; ex bonis homo habet facultatem operandi 30_{12} 140. – Facultas operandi: *pedes* 30_{12} 141, 30_{13} 149; facultas sibi necessaria procurandi: *via* 24_4 45

faeculentus: in terra faeculenta ferrum 28_1 32

falco: herodius, idest nobilissimus falco qui girfalcus dicitur 39_{15} 164; solum animalibus vivis pascuntur falcones 39_{30} 321

falsitas, falsus, falsarius: falsitas iudicii est condemnatio iudicantis qui iniquum iudicium profert 40_3 31; hypocritae, falsarii virtutis 27_6 103. – Falsitas: *vanitas* 31_3 71; falsitas iudicii: *mendacium* 34_6 48; falsum: *irritum* 40_3 30

falx: in figura magnae falcis 41_4 52

fama: fama hominis pertinet ad vitam civilem 5_{21} 363, diu non durat 13 (14_2) 448, post mortem cito pertransit 13_{12} 173, cf. 40_8 190, *vide* homo; de antiquis quaedam per famam feruntur 8_8 139; daemones quasi ex sola fama divinae sapientiae notitiam habent 28_{22} 279

fames: bona corporis per famem attenuari incipiunt 18_{13} 168

familia, familiaris, familiariter: pro familiarium delictis interdum domini puniuntur 11_{14} 220; habet quandoque tyrannus familiares cum quibus secure conversatur 15_{28} 221; non erudiret Deus homines ad bonum familiariter nisi bonum ei placeret 35_{10} 110. – Familiares et domestici: *necessarii* 6_{13} 190; familia: *tabernaculum* 5_{24} 399; familia cum necessariis rebus: *domus* 21_8 73

famulari, famulus: non ex indigentia famulantium Deus terram fundavit 38_7 143, *vide* Deus; homines multas divitias possidentes multitudine indigent famulorum 1_3 88

fascia: puer natus quibusdam fasciis involvitur 38_8 201

fatigatio, fatigare: in quocumque labore fatigationem aliquis patitur sua fortitudine operando 3_{17} 412; quasi recta actione fatigatus 4_2 43

fatum: quidam caelesti fato humanos eventus attribuunt Prol. 39

favilla: remanet ligno combusto 21_{18} 180

favor, favere: adhibetur favor alicui personae propter defectum potentiae vel sapientiae 26_5 12; homo alicui potenti favet timens comminationes ipsius, vel quasi allectus ab eo blanditiis 41_8 35; de favore impii ex simulatione 20_3 43; tyranno favere 41_3 34

febris, febricitare: in febricitantibus solent accidere somnia perturbata et instabilia 4_{16} 315. – Febris: *ventus urens* 27_{21} 237

fecunditas: pluviae sunt utiles ad terrae fecunditatem 36_{21} 329, 37_{11} 162; valles diligentius excoluntur propter maiorem fecunditatem 39_{10} 135

felicitas, felix: dicitur felix apud quosdam cui omnia succedunt ad votum 21_{22} 241, *vide* optare, prosperitas; hominem gravi infirmitate detentum nihil in hac vita facit esse felicem 7_5 105; felicitas spiritualis est verum hominis bonum 8_{12} 195; prosperitas terrena organice deservit ad veram hominis felicitatem 8_{13} 196; Deo praesens existere et rationes divinorum operum et iudiciorum cognoscere, in hoc felicitas humana consistit 16_{22} 295; in statu ultimae felicitatis impugnationes iam pati non potest homo 17_8 62; quidam posuerunt in hac vita ultimam felicitatem esse, et hanc sententiam videntur sequi dicta Eliphaz 7_1 12

femella: femella elephantis 40_{11} 331

femina, femininus: mares comparantur ad feminas sicut perfectum ad imperfectum 1_8 63; semen maris ad materiam quam femina ministrat se habet sicut coagulum in generatione casei 10_{19} 248; per feminam primum hominem deiecerat diabolus 2_9 152; frigus est qualitas feminina 38_{29} 507

ferocitas, ferus, ferociter: frequenter ferocitas viro additur ex suggestione uxoris 4_{10} 182; tyrannus ferociter acquirens 4_{10} 187; in parte meridionali habitant homines minus bellicosi et feroces 30_{13} 127, cf. 124; rugitus est leoninae ferocitatis indicium 4_{10} 181; rinoceros, idest unicornis, est animal ferus 39_9 118; propter ferocitatem vel iram homo nominatur leo aut ursus 4_{10} 175

ferrum: infimum est ferrum inter metalla 28_1 23, inventum quasi in terra faeculenta nondum perfectam digestionem habente 28_1 32, 28_2 48; in ore equorum, asinorum et camelorum ponitur ferrum 40_{21} 554, cf. 547, 556. – *Arma ferrea*: poenae praesentes 20_{24} 275

fervere, fervor: quando olla fervet aqua fervens in ea commovetur 41_{22} 389; infirmitas viscerum ex

inordinati caloris fervore 30_{27} 268; fervens desiderium peccandi 18_{9} 124; cordis afflictio procedit ex fervore doloris 30_{27} 270; iuvenes ex fervore animi frequenter multa et inordinate proponunt 32_{7} 67; interior fervor equi in bello 39_{24} 266

festinus: festina mors 20_{7} 59

festus: dies festi 3_{4} 174

fetus: fetus formatio et perductio ad perfectum 21_{10} 85, animatio 10_{12} 256; fetus abortivi 3_{16} 395; animalia fetus deserentia 39_{16} 191, 30_{23} 284. *vide* strutio

fides, fidelis: infideles per fideles Deo reconciliari debent 42_{8} 72, cf. 42_{9} 76; transferre montes videtur firmitati fidei repromissum 9_{5} 98; fidelium congregatio in nocte Resurrectionis 3_{7} 240; fides catholica de angelis 4_{18} 411, de statu mundi perituro 14_{12} 127; multi in tormentis fidem negaverunt 4_{20} 539. – Fidelia dogmata: *rectum* 42_{7} 64

fiducia: impedit misericordiam fiducia propriae potestatis 31_{21} 236

figurare: figuratae locutiones sunt quasi venae ab ipsa veritate per similitudinem derivatae 4_{12} 255

filius: rami hominis sunt filii et aliae personae coniunctae 15_{30} 300, *vide* nativitas; filiorum est solo nutu parentis voluntatem implere 19_{17} 158, *vide* parens; patri oportet a filio reverentiam exhiberi 19_{17} 160, *vide* pater; quando aliquis dives et potens filios sine disciplina nutrit, filii eius in multa pericula incidunt 5_{4} 61; raro contingit quod divitum filii ad magnam paupertatem deveniant 27_{14} 174; solent homines aliena rapere ut filiis divitias congregent 31_{8} 113, iustum est ut filii eorum moriantur 31_{8} 116, cf. 21_{20} 197, 22_{20} 221, 27_{14} 170; a culpa immunes non sunt filii tyranni dum in rapina patris delectantur 4_{10} 187, cf. 21_{16} 189; bonum quod est in successione filiorum 14_{21} 320; adulterium filiorum successionem facit incertam 31_{12} 152, *vide* adulterium; de filiis cervarum mox natis 39_{4} 44; est primordialis causa resurrectionis humanae vita Filii Dei 19_{25} 276, *vide* Deus; spiritus boni interdum Filii Dei dicuntur 1_{6} 247. – Filii: *semen* 21_{8} 60; filii oppressi: *lumbi* 16_{14} 178; filii remanentes: *reliquiae* 22_{20} 227; filii relicti: *reliqui* 4_{21} 562

finis: quaelibet res desiderat suum finem 37_{11} 159, *vide* desiderium; natura agit propter finem 9_{5} 113, *vide* natura; quod ad finem certum ordinatur vel se ipsum dirigit in finem vel ab alio dirigente in finem ordinatur 9_{5} 114; quod senescit, et debile est et fini propinquum 41_{22} 414; est proprium voluntatis ut propter finem operetur 36_{21} 324, *vide* voluntas; tendentibus ad finem tria sunt necessaria 9_{25} 597

Finis ultimus est quasi terminus motus 18_{21} 259; quaelibet res adepto ultimo fine quiescit 7_{2} 57; perfectum bonum est hominis finis 7_{2} 75, *vide* bonum; praesens vita non habet in se ultimum finem 7_{1} 21, cf. 7_{2} 63, *vide* vita; ibi est ultimus finis hominis ubi expectat finalem retributionem 7_{1} 14; peccator in rebus terrenis ultimum finem constituit 24_{18} 204; qui finem ultimum in divitiis ponunt aestimant bona omnia esse per quae hunc finem consequuntur 12_{6} 114, cf. 103; frustra laborat qui ad finem tendit et non pertingit 9_{29} 655. – *Fines mundi*: excellentiores creaturae 28_{24} 298; *finis universorum*: terminus resolutionis rerum 28_{2} 63

firmamentum: universalior et maior effectus corporalis est motus firmamenti 23_{8} 120, cuius principium manifeste apparet in oriente 23_{8} 82, 122; motus planetarum est ex adverso motus firmamenti 23_{8} 130, *vide* planeta; si imaginemur motum firmamenti sicut motum unius animalis 23_{8} 85. – *Vide* caelum

firmitas, firmiter: quod in sinu absconditur firmiter conservatur 19_{27} 347; aliqui conservantur ne deficiant animi firmitate, quae duos gradus habet, scilicet fortitudinem et patientiam 4_{6} 85

flagellare, flagellum: scire causam suae punitionis necessarium est homini ut patientius flagella sustineat 10_{2} 58; tres rationes tetigit Iob quare aliquis in hac vita flagellatur a Deo 7_{21} 528; si quandoque boni flagellantur a Deo, hoc tamen cedit in glorificationem sanctorum et in maiorem damnationem diaboli et impiorum 41_{14} 259; detractio graviter infamantis dicitur flagellum linguae 5_{21} 365. – *Vide* adversitas, Deus

flamma: lux corporalis ex flamma ignis procedens 18_{5} 65

flatus: *flatus hominis*: corporalis vita ex anima subsecuta 34_{14} 153

flos: mel officio apum ex floribus colligitur 20_{17} 180; gloria transiens ad modum floris 13 (14_{2}) 445. – *In flore*: in iuventute et vigore 8_{12} 181

fluctus, fluctuatio: fluctus maris inordinatissimi videntur 9_{6} 228, terram sive navem et subito cooperiunt et totaliter absorbent 30_{18} 147, cf. 38_{11} 224, ex violentia ceti commoventur 41_{22} 390; fluctuatio interiorum motuum 40_{20} 525

flumen: fluminibus terra irrigatur, quorum principium sub terra est 5_{10} 218; aurum inter arenas fluminum 28_{1} 26. – *Flumen*: abundantia 20_{17} 187

fluvius: aquae fluviorum citissime currunt 11_{16} 236, trahunt glareas 21_{23} 328; circa fluvios solent esse arundineta et salices et loca umbrosa 40_{16} 427, manentes elephantes 40_{16} 425; fluvius Iordanis 40_{18} 469; in inferno fluvius inter alios nomine Cocytus 21_{33} 325. – *Fluvius*: cursus mutabilitatis rerum 22_{16} 181, curis saeculi dediti 40_{18} 473

folium: humana condicio folio comparatur 13_{25} 373

fomenta: subsidium extrinsecum, ut sunt fomenta 3_{12} 338

fomes: iustitia hominis consumitur ex his quae in homine sunt sicut corruptio fomitis 4_{20} 526, *vide* iustitia

fons: fontibus terra irrigatur, quorum principium sub terra est 5_{10} 218

foramen: tribulatio est sicut foramen angustum per quod homo in latitudinem diversarum miseriarum intrat 36_{16} 159

forinsecus: despici a forinsecis 19_{18} 170

forma, formatio, formabilis: materia comparatur ad formam ut potentia ad actum 4_{18} 427, *vide* materia; formatio fetus concepti in ventre 21_{10} 85; aqua est maxime formabilis in res vivas 38_{8} 187

formido: cum formidine homo facit illud quod scit se perfecte facere non posse 37_{23} 350

fortitudo, fortis: bona praecipua corporis videntur esse pulcritudo et fortitudo 18_{13} 170; fortitudo in ossibus consistit 33_{13} 220, *vide* os; robur alicuius fortitudinis ostenditur ex hoc quod potest aliqua a suo statu mutare 9_{7} 206; in brachiis praecipue attenditur fortitudo 18_{13} 173, *vide* brachium; per propriam fortitudinem homo nititur ad effectum suae operationis pervenire 18_{7} 92; non convenit quod aliquis fortissimus suam potentiam velit ostendere in re debilissima 13_{25} 371

ut ea quae aliquis iudicat esse facienda potenter exequatur, ad hoc pertinet fortitudo 12_{13} 201; quantumcumque ratio fortis sit, ex parte carnis experitur sensum doloris 6_{12} 156, cf. 153, *vide* dolor; ira per zelum facit hominem cum maiore animi fortitudine insurgere contra mala 17_9 135, 139; ut animus adversitatibus non nimium molestetur, ad fortitudinem pertinere videtur 4_6 87, cf. 90; inter patientiam et fortitudinem differentia qualem assignant philosophi inter continentiam et castitatem 4_6 96; servit bos ad arandum propter suam fortitudinem 39_9 115; equi est fortitudo non solum corporis sed etiam animi 39_{19} 219; fortitudo lapidum sine sensu est 6_{12} 153. – Fortitudo: *ossa* 21_{24} 248

fortuna: abundantia quantum ad bona fortunae: *plenitudo dierum* 42_{16} 204. – *Vide* casus

fovea: fovea subterranea in via elephantis 40_{19} 487. – *Fovea*: profundum inferni 40_8 206

fragilis, fragilitas: propter fragilitatem sexus homines miserentur viduarum 24_2 39, cf. 13 (14_1) 437; ex fragilitate condicionis humanae homo et difficulter vitat peccatum 15_{14} 121, 13_7 82, et difficulter operatur bonum 15_{14} 124, immo nullus homo est immunis a peccato 6_2 13; cinis adhibetur ad recognoscendum propriam fragilitatem 16_{14} 212, cf. 42_6 46; ex re fragili magnam fiduciam capiunt adulteri 24_{18} 186

frater: sorores frequenter despiciuntur a fratribus 1_4 116. – *Fratres*: consanguinei 6_{15} 200

fraus, fraudulentia, fraudulentus, fraudulenter: iustus a fraudibus et dolis abstinet quibus plerumque divitiae acquiruntur 12_4 70, *vide* dolus; per fraudulentiam calumniose aliquos laedere 29_{16} 149; fraudulentas vias adinvenire ut mendacium fraude coloretur 13_7 77; causam fraudulenter defendens 13_9 109; inter peccata magnum locum obtinent deceptiones et fraudes 12_{16} 255, *vide* deceptio; qui fraudulenter propriam utilitatem quaerunt plerumque a sua spe deficiunt 6_{18} 235

fremitus: est proprie leonum 39_{24} 265

frenum: subicit homo sibi equum aut asinum vel camelum imponendo frenum in ore eius 40_{21} 551, 557

frigus, frigidus, frigiditas: frigus est qualitas activa elementorum 38_{17} 323, qualitas feminina 38_{29} 507; frigus est causa glaciei 38_{29} 506, tum in aere 38_{29} 513, tum in inferioribus aquis, in qua maior vis frigoris apparet 38_{29} 518, intantum quod in frigidissimis terris etiam maria congelantur 38_{30} 521, non tamen frigus aeris irrumpit usque ad maris profundum 38_{30} 526; venti septentrionales causant frigus in aere 37_9 132, cf. 142; frigore ad interiora nubis expulso a circumstante calore generantur grandines 38_{22} 434; in locis montanis propter aeris frigiditatem et frequentiores et graviores sunt pluviae 24_8 82; in progressu a meridie usque in septentrionem diversitas caloris et frigoris est 38_{18} 364; laesio vineae in primo flore ex frigore solet accidere 15_{33} 316, in locis nimis frigidis vineae destruuntur per glaciem 24_{18} 212. – *Vide* vapor, nubes; glacies, grando, nix, pruina

frondium: *coma* 14_9 83

fructus, fructificatio: in fructificatione animalium est primum conceptio, secundum formatio fetus et perductio ad perfectum, tertium partus, quartum educatio prolis 21_{10} 84, *vide haec verba*; strutio quantum est in se perdit fructum generationis 39_{16} 188, *vide* generatio; pretiosius videtur butyrum inter fructus animalium 29_6 64, oleum inter fructus terrarum 29_6 66; quandoque homo propter impedimenta fructus multiplicatos non potest colligere 29_{19} 177; superfluos fructus a suis possessionibus extrahere nitens 31_{33} 388. – *Vide* arbor

fruges: non conteruntur fruges quandiu sunt in herba et crescunt 24_{24} 298

frumentum: seminatur ad victum hominum 31_{40} 402; nubes ordinantur duobus modis ad frumentum sicut utiles ad quendam finem 37_{11} 157

frustra: illud frustra facere dicimur ex quo id quod intendimus assequi non possumus 1_9 492, 9_{22} 655, cf. 12_{24} 385. – *Frustra*: sine ratione 35_{18} 128, 35_{16} 150

fugitivus: est fugitivorum consuetudo quod loca occulta et inhabitata quaerunt 15_{25} 280, 284

fulcimentum: domui quae minatur ruinam fulcimenta adhibentur 8_{15} 247; habentes in suo proposito debile fulcimentum 24_{17} 177; remanens iusto fulcimentum virtutis 21_{17} 167, malis autem nullum 21_{17} 170, cf. 21_{18} 183. – Ea quae rationis fulcimentum non habent: *vana* 27_{12} 143. – *Vide* fundamentum

fulgidus: aurum est inter metalla fulgidius 37_{22} 335, cf. 341

fulgor: claritas prosperitatis terrenae 11_{17} 250

fulgur: de nubibus procedunt fulgura propter collisionem venti 36_{26} 317; fulgur de supernis et subito et cum violentia et claritate venit 20_{25} 290; solent motus fulgurum repercuti ab uno loco in alium 38_{35} 604, 41_{14} 245. – *Vide* nubes, ventus

fulmen: frequenter in mari fulmina cadunt quibus quandoque etiam naves periclitantur, unde probabiliter ceti fulmine feriuntur 41_{14} 236

fumositas: propter nimiam commotionem fumositatum vel omnino non apparent somnia, aut apparent perturbata et instabilia 4_{16} 312, cf. 319

funda: piscator excitans cetum lapidibus fundae 40_{26} 632; impugnat homo a remotis per sagittas et lapides fundae 41_{19} 332, cf. 41_{20} 354

fundatio, fundamentum: dicitur materia fundamentum formae 4_{19} 481; terra in imo ponitur sicut in fundamento 38_{28} 664, *vide* terra; est uniuscuiusque hominis fundamentum id cui principaliter spes eius innititur 22_{18} 177. – *Vide* aedificium, domus

fundere: lapides et alia quae non malleantur neque funduntur generantur ex sicca exhalatione infra terram retenta 28_1 17

funditus: montes quandoque funditus diruuntur 28_9 125

funis: cui hamus appenditur 40_{20} 541

furor: est ira accensa 19_{11} 106, 21_{30} 300; solet furor quo vehementior est eo citius transire 19_{11} 106; nomine furoris acrior vindicta significatur 21_{30} 300, cf. 20_{28} 329, 40_6 154

furtum, furari, furtive: sunt quaedam peccata in proximum, sicut furta 1_1 21, 13_{23} 338, *vide* iniquitas; in furto aliquis dolose insidiatur rebus possessis a proximo 31_7 96, cf. 24_{16} 151; si quis furaretur bovem, maior esset iniquitas quam si furaretur ovem 31_{11} 141; ea quasi furtive audimus quae raptim et quasi pertranseundo ad nos perveniunt 4_{12} 265

futurus: semper homo quasi non contentus praesentibus futura desiderat 7_2 62, 7_4 88, qui in gaudio est minus, plus autem qui in tristitia 7_4 91, *vide* homo, vita; quidam

credebant ex avibus auguralibus ad homines pervenire cognitionem futurorum 28_{21} 258; aliqui a mortuis futurorum cognitionem exquirebant 28_{22} 266

G

gallus: animal notum et domesticum 38_{26} 630; in gallo apparent indicia naturalis prudentiae 38_{36} 627, intelligentiae similitudo 38_{37} 635, scilicet naturalis aestimatio 38_{36} 631

garritus: antiqui avium garritus observabant quasi divinitus instructarum ac si rationem haberent 35_{11} 116

gaudium, gaudere: est naturale sensibili naturae ut convenientibus delectetur et gaudeat 3_1 8, *vide* delectatio; desiderium cum completur gaudium parit 3_{22} 458, cf. 31_{20} 316; solent homines de his quae de novo acquirunt magis gaudere 31_{25} 280; risus gaudii signum est 3_{24} 500; risus et iubilum ex magnitudine gaudii proveniunt 8_{21} 317; signa gaudii sunt vel musica instrumenta vel humanae vocis cantica 30_{21} 295; gaudium est materia gratiarum actionis 1_{21} 855; qui in gaudio est minus desiderat futurum 7_4 91; sardius accendit animum ad gaudium 28_{16} 202; interius gaudet equus bellum percipiens 39_{21} 246, ad sonum bucinae 39_{25} 273. – Inexplicabile gaudium: *iubilum* 33_{26} 302

Gemini: claritas stellarum quae dicuntur esse in Tauro et Geminis 9_9 244

gemitus: ex prioribus afflictionibus ad memoriam revocatis praesens gemitus aggravatur 23_2 13, *vide* afflictio

generatio, generare, genitalis: per suam contrarietatem creaturae corporales generationi et corruptioni subduntur 25_2 28; communior effectus caelestium corporum in istis inferioribus est generatio et corruptio 38_{17} 326, cf. 1_5 237, 38_{21} 407, *vide* caelum, corpus; priores ea quae naturaliter generantur casui attribuebant, sic antiqui naturales Prol. 10; in rebus quae naturaliter generantur paulatim ex imperfecto ad perfectum pervenitur Prol. 1; hoc habet naturae ordo ut omne quod naturaliter generatur etiam determinato tempore corrumpatur 9_3 104, 24_{21} 291, cf. 14_{13} 252, ipso cursu mutabilitatis rerum 22_{14} 180; dispositione divina factum est ad generationem hominum, animalium et plantarum ut pars terrae discooperta remaneret ab aquis 38_8 176; in hominis generatione quinque occurrentia 10_{10} 242, *vide* fructus; in lumbis est generationis origo 16_{14} 177, ex lumbis sive renibus semen ad membra genitalia derivatur 40_{11} 328, *vide* semen. – *Vide* corruptio

genu: tremunt genua homini magnum pondus portanti 4_4 54

genus: anima humana totum genus corporalium transcendit 14_{19} 273; circa principium humani generis, agrorum possessio non ita pretiosa erat sicut animalium 1_3 69; quibusdam morientibus alii succedunt et quibusdam a prosperitate decidentibus alii sublevantur, ut sic quodammodo uniformitas in genere humano appareat 34_{24} 286; a peccato primi hominis per Christum redimendum erat genus humanum 19_{25} 258

gesta: considerare antiquorum gestorum scripta 8_8 139

gigantes: antiqui 26_5 63

girfalcus: herodius, idest nobilissimus falco qui girfalcus dicitur 39_{13} 164, est avis boni volatus 39_{13} 166

glacies: glaciei causa est frigus 38_{29} 506; ex frigore duplex glacies causatur: una in aere, quod pertinet ad pruinam de caelo cadentem, alia quae generatur in inferioribus aquis 38_{29} 513; vineae destruuntur per glaciem 24_{18} 213. – *Vide* vapor, nubes, frigus, congelatio, pruina

gladius: homo munitus gladio et hasta ad percussionem 41_{17} 313. – *Gladius diaboli*: eius noxia operatio 40_{14} 406

glans: grossi cibi in deserto, puta glandes 30_3 37

gleba: boves trahentes rastrum terram aratam complanant glebam comminuendo 39_{10} 132

gloria, gloriari, glorificatio: gloria importat notitiam de bonitate alicuius 40_5 95, est clara cum laude notitia ('Ambrosius') 40_5 97; homo gloriari posset de corporis pulcritudine, de fama, de potestate et virtute 13 (14_3) 443; quaerit inanis gloriae cupidus ut si quid in se excellens est manifestet 32_{17} 162; intendere ad victoriam et gloriam, ut accidit in disputationibus litigiosis et sophisticis 6_{29} 315; quidam desiderant gloriam habere etiam post mortem 18_{17} 208; iustum est ut qui gloriae pompam quaerebant ab hominum memoriis deleantur 40_8 192, cf. 18_{16} 217, 20_9 95; diabolus superbiens est sua gloria privatus 26_{12} 181, cf. 26_{13} 185; si quandoque boni flagellantur a Deo, hoc tamen cedit in glorificationem sanctorum 41_{14} 259; per auxilium gratiae in gloriam novitatis exaltabitur homo resurgens 14_{15} 210. – Gloria mundana: *lux* 18_{18} 220; ad gloriam captandam verba componere: *in ventum loqui* 15_2 13

glutire: salivam glutire 7_{19} 429

graecus: Arctos in graeco dicitur pars septentrionalis 37_9 143

grandis: cete grandia 40_{10} 255; petens audientiam quasi grandia dicturus 13_{18} 188

grando: ex vaporibus sursum elevatis nives et grandines generantur 38_{22} 430, cf. 37_{12} 193, 37_{18} 241; grandines grossioris substantiae sunt quam nives et in loco magis propinquo nobis generantur, frigore ad interiora nubis expulso a circumstante calore 38_{22} 432, unde magis visui subici possunt 38_{22} 436. – *Vide* vapor, nubes, frigus, congelatio, nix

granulum: ex multis arenis colliguntur granula auri 28_1 42

gratia: aliqui spiritus creati per gratiam assecuti sunt ut immobiliter Deo inhaereant 4_{18} 455, aliquibus hominibus per gratiam conceditur quod sint a pravitate peccati mortalis immunes 4_{18} 457, cf. 16_{20} 263; per liberum arbitrium gratia Dei iuvatum homo est dominus operum virtutum 21_{16} 154; aliquando Deus obnubilat philosophorum mentem per subtractionem suae gratiae 12_{20} 316; per auxilium gratiae in gloriam novitatis exaltabitur homo resurgens 14_{15} 210; gaudium est materia gratiarum actionis 1_{21} 855. – Abundantia quantum ad bona gratiae: *plenitudo dierum* 42_{16} 204. – *Vide* Deus

gratiosus: Iob erat gratiosus, quia cum erat absens eius praesentia desiderabatur 29_{23} 213

gratis: gratis distribuere 40_{25} 609, 41_2 22

gravare: solent gravati ab aliquo iudice primo ad iudicem accedere 23_3 32, et causae suae iustitiam demonstrare 23_4 43; ex fiducia propriae potestatis homini videtur quod impune possit alios gravare 31_{21} 235

gravitas, gravis: si quis in elementis gravitatem et levitatem consideret 5_{10} 207; quidam antiquorum situm

terrae et aliorum elementorum attribuebant necessitati materiae, secundum quod gravia levibus succident 38_4 96, 5_9 148; senes propter gravitatem aetatis maturius loquuntur 32_7 68, *vide* senectus

Gregorius papa: beati Iob libri mysteria subtiliter et diserte nobis aperuit Prol. 99

gressus: processus operationum 34_{21} 245

grossus: grandines grossioris substantiae sunt 38_{22} 432; aliquid grossius inter squamas piscis transiens 41_7 119

gubernatio, gubernare: omnia a quodam intellectu supereminente ordinata gubernantur Prol. 20; nullo modo possibile est quod universalis mundi gubernatio sit iniusta 34_{13} 143. – *Vide* Deus

guerra: *bellum*, idest guerra in qua fit praeparatio ad pugnam 38_{23} 445

gula: gula aliquis in proprium corpus peccat 18_{12} 156, 13_{23} 343, *vide* peccatum

gurges: *vide* gurgustium

gurgustium: dicitur gurgustium instrumentum de viminibus factum quod piscatores in gurgite ponunt ad capiendum pisces 40_{26} 636

gustus: est perceptivus ciborum 12_{11} 177, habet iudicare de escis 34_3 20; amaritudinem medicinae gustus percipit, sed sola ratio in fine sanitatis delectatur 3_3 92

gutta, guttatim: guttarum roris parvitas 38_{28} 502; aqua guttatim cadens 26_8 117, 120. – *Vide* pluvia

gyrus: venti ut plurimum gyrum faciunt sequentes motum solis 37_{12} 183; stellae Arcturi uniformiter moventur in gyro circa polum mundi 38_{31} 547

H

habere: aliquis de facili et in promptu habet quod aquam bibat 15_{16} 145

habitabilis: hemisphaerium superius superponitur nostrae habitabili, quae undique oceano concluditur 26_{10} 147; quanto magis appropinquatur ad meridiem in nostro habitabili tanto locus calidior est 38_{18} 366

habitatio, habitare: homo fundamentum aedificii collocat propter necessitatem habitationis 38_7 138; his qui sub aequinoctiali habitant, si tamen aliqui ibi habitant, uterque polus conspicuus est 9_9 251; desertum habitari non potest propter terrae ariditatem 38_{26} 475; in inaccessibilibus locis habitantes 28_4 78; Deo servire est inhaerere ei et in ipso spiritualiter habitare 4_{19} 494, *vide* Deus

hagiographa: in numero hagiographorum, idest librorum per Spiritum Dei sapienter ad eruditionem hominum conscriptorum, primus ponitur liber Iob Prol. 52

halitus: exhalatio de ore procedens 41_{18} 189

hamus: pisces qui capiuntur hamo per funem cui hamus appenditur retinentur 40_{20} 540

harmonizare: ex motu caelorum Pictagorici posuerunt sonitum harmonizatum provenire 38_{37} 651

hasta: homo munitus gladio et hasta ad percussionem 41_{17} 313; ex hasta et clipeo militis sonus procedit 39_{23} 257; vibratio hastae videtur quaedam comminatio percussurae 41_{20} 362

hebes: solent homines hebetes cum cognoscant praemissa non advertere quid ex eis sequatur 27_{12} 144

hemisphaerium: si imaginemur motum firmamenti sicut motum unius animalis, oportebit ponere anterius in superiori hemisphaerio, posterius vero in inferiori hemisphaerio 23_8 85; si imaginaremur unum hominem qui sua dextera moveret caelum ab oriente versus superius hemisphaerium, pars anterior hominis esset versus superius hemisphaerium, posterius vero, idest dorsum, versus inferius 23_8 90; finitur nobis lux diei et tenebra noctis sole accedente vel discedente ab hemisphaerio superiori quod superponitur nostrae habitabili 26_{10} 145; sicut lux ex motu luminarium causatur prout in superiori hemisphaerio moventur, ita etiam tenebrae procedunt ex motu eorum prout moventur in hemisphaerio inferiori 38_{19} 385; per aquilonem intelligit Iob superius hemisphaerium quoad nos 26_7 91; sub superiori hemisphaerio caeli nihil nobis apparet nisi spatium aere plenum 26_7 95. – *Vide* caelum

herba: herbae nascuntur in terra 40_{10} 318; quaedam herbae sine semine producuntur de quibus dicitur quod eas humus sponte profert 5_6 104; non conteruntur fruges quandiu sunt in herba et crescunt 24_{24} 298; elephas comedit herbas et alia huiusmodi ad modum bovis 40_{10} 316; homo in iuventute comparatur herbae virenti 13_{25} 386, *vide* iuventus

hereditas: pars sive hereditas 27_{14} 166, cf. 31_8 37, 39, *vide* pars; mali et boni a Deo suscipiunt aliquid quasi hereditatem a patre 27_{13} 147, cf. 31_8 42. – *Vide* Deus

Herodes: diem nativitatis celebrabat 3_4 181

herodius: nobilissimus falco qui girfalcus dicitur 39_{13} 164; est avis boni volatus 39_{13} 166

hiems: pluviae in hieme abundant 37_6 109; in hieme sunt nubes, et postmodum in aestate consumuntur, et iterum redeunte hieme redeunt 7_9 199

hierarchia: angelos supremae hierarchiae Dionysius dicit collocatos in vestibulis deitatis 38_7 165

hinnire: solent equi hinnire propter libidinem 39_{19} 226

holocaustum: holocausta totaliter comburebantur ad honorem Dei, nulla parte relicta 1_5 179, dicitur enim holocaustum quasi totum incensum 1_5 182

homicidium: sunt quaedam peccata in proximum, sicut homicidia 1_1 21, 13_{23} 338, *vide* iniquitas

homo, humanitas, humanus: homo ex limo terrae dicitur esse formatus 10_8 176, cf. 10_9 225, die sexto 40_{10} 286, 290, post angelos 38_7 158, cf. 40_{10} 296; si homines essent a principio contrario ut Manichaei fabulantur 10_9 104; homo immortalis fuerat constitutus a Deo 19_{25} 254, nullis perturbationibus subiacendus 1_2 51; per feminam diabolus primum hominem deiecerat 2_9 151; a peccato primi hominis per Christum redimendum erat genus humanum 19_{26} 258; praesens vita est homini a Deo 14_6 34, cf. 14_{18} 148; homo ex infirma re originem habet 15_{14} 128; homo nascens a parentibus originem sumit ex qua cum eis affinitatem contrahit 17_{14} 191. – *Vide* creatio, generatio, vita

Homo compositus est ex natura spirituali et carne terrena 1_7 384, *vide* spiritus, terra, ex materia putrefactioni vicina existens 25_6 88; caro hominis corruptibilis est 19_{26} 308, *vide* caro; quidam dixerunt hominem nihil aliud esse quam animam indutam corpore 4_{19} 486, *vide* anima, corpus; homo aliis animalibus similis est in natura sensitiva 6_6 66, *vide* animal, sensus;

faciem habet homo valde diversam ab aliis animalibus 14_{20} 286; homo naturaliter productus est absque adiumentis quae natura aliis animalibus dedit 5_7 120

Homo quasi medius constitutus est inter Deum et res terrenas 1_8 424; quidam sunt in terra sicut homines mortali carne viventes 1_7 399; homines multo minus quam angeli iudicari possunt stabiles 4_{18} 437; res exteriores circa nos sunt quasi extrinsecae 16_{14} 168; in duobus excellit homo omnes inferiores creaturas, scilicet virtus operativa et cognitio intellectiva 14_{20} 277, cf. 279; omnia quae in rebus inferioribus fiunt ad homines quodammodo ordinantur 37_7 112, 38_{13} 270, cf. 5_{10} 204; homo ceteris animalibus praeminet ratione 4_{10} 168, cf. 39_2 33

Triplex est hominis bonum, scilicet animae, corporis et exteriorum rerum 2_1 1, cf. 10_8 199, 10_{12} 268; divitiae naturales hominum naturali necessitati subveniunt 27_{14} 193; homo quicumque dabit cuncta exteriora quae possidet pro vita sua conservanda 2_4 94, *vide* vita; in Deo ultima salus hominis consistit 13_{14} 237. – *Vide* bonum, divitiae, pretiositas, prosperitas, finis, Deus

Intelligentia ad hoc praecipue est homini necessaria ut discernat a bonis mala 28_{28} 352; homo per intellectum capit aeternum bonum 14_{21} 318; nullus in hac mortali carne vivens potest Deum videre 19_{26} 311, cf. 33_{26} 299; homines temporales Omnipotentis notitiam habent vel naturali cognitione vel per fidem vel aliqua maiori sapientiae illustratione 24_1 18; homo essentiam divinam cognoscit non nisi per opera quae in infinitum distant, et etiam opera perfecte non cognoscit 36_{25} 275, 11_7 115, 11_8 125, 11_9 142, 36_{25} 271; humana sapientia non sufficit ad veritatem divinae providentiae comprehendendam 38_1 5, cf. 11_6 59, *vide* Deus; ab homine ignorantur vel non perfecte sciuntur: innumerabilia nobis a Deo producta 5_8 197, 9_{10} 284, substantiae spirituales 5_9 168, superiorum creaturarum multitudo 25_2 44, 48, ordo caeli 38_{33} 582, stellarum numerus 5_9 198, distantia 5_9 169, situs et dispositio 5_9 173, 9_9 233, qualiter luminaria moveantur 38_{19} 380, 38_{20} 394, tempus nativitatis et terminus vitae 38_{21} 413, periodus vitae et permanentiae cuiuslibet rei 38_{17} 334, propria causa corruptionis cuiusque rei in corporibus caelestibus 38_{17} 337, quantitas terrae 38_5 115, ea quae sunt in mari 28_{14} 184, 38_{16} 305, ea quae in absconditis profundorum latent 28_{14} 176, prima origo pluviarum 37_{15} 229, omnia peccata 4_{20} 542, mensura et modus correptionis salubris 5_{17} 296, quaedam propter locum invium 28_3 65, quaedam per eorum corruptionem 28_5 60, sol et multa alia per tenebras noctis 28_2 57, motus sui affectus 9_{21} 499, quae in corde latent 12_{24} 368, intentio daemonis 41_4 70; quod opus cuilibet tempori congruat discernit homo secundum rationem 37_7 119; homines non comprehendentes mentes loquentium in duobus deficere solent 8_1 8, et loqui contra sententias non intellectas 8_1 7, *vide* mens; homo lucem rationis dimittens videtur mereri ut luce divinae providentiae non protegatur 18_6 87. – *Vide* cognitio, intellectus, ratio, sapientia, scientia, etc.

Homo plus se quam alium naturaliter diligit 40_4 41; naturaliter homo desiderat ea de quibus gaudet 31_{30} 314, aeternum bonum 14_{21} 319; bonum quod est in successione filiorum non potest satiare appetitum intellectualem 14_{21} 320; solent homines cum eis falso crimina imponuntur ex hoc contristari 23_2 6; homines ad insolita pavere consueverunt 4_{14} 277; cum homo ab omnibus sibi cavet, in multis actus eius impediuntur 18_{11} 143. – *Vide* amor, delectatio, desiderium, dilectio, gaudium; afflictio, amaritudo, timor; appetitus, voluntas, etc.

Nihil est quod tantum revocet homines a malis et ad bona inducat quantum Dei timor et amor Prol. 46; omnis malitia hominum a superbia initium habet 40_6 132, cf. 40_{10} 277, 40_{14} 399; malum hominis in hoc consistit quod derelictis spiritualibus bonis inhaeret terrenis 1_7 385; est perversa intentio si quis bona animae ordinet ad prosperitatem exteriorum bonorum vel ad corporis salutem 2_1 5. – *Vide* bonum, bonus, impietas, malitia, malum, malus, etc.

Est homo dominus sui actus per liberum arbitrium 14_{30} 279, cf. 21_{16} 155, per solam rationem 3_1 33; ad solum imperium voluntatis moventur membra 1_{19} 713; facultas non sufficit ad agendum nisi homo ab aliquo incitetur 32_{18} 167. – *Vide* liber

In potestate hominis sunt quaedam bona scilicet voluntaria virtutum opera 21_{16} 153; ex duobus homo nititur ad effectum operationis pervenire scilicet per fortitudinem et sapientiam 18_7 92; ex fiducia propriae potestatis homini videtur quod impune possit alios gravare 31_{21} 235; homo est potentior qualibet creatura corporali unde et aliis utitur propter se ipsum 14_{20} 281, e.g. asino 39_5 67, 39_7 102, 39_9 113, asino vel camelo vel equo 40_{21} 551, bove 39_9 115, 39_{10} 131, bubalo 40_{21} 547, 556, animali forti ad agrorum custodiam 39_{11} 138, animalibus terrestribus captis 40_{26} 606, solent homines dupliciter a suis operibus impediri 24_{17} 177; in caelo et in terra aliquid apparet quod humanas vires excedit 26_7 81; homo non est omnipotens ad mala removenda et bona tribuenda 5_{17} 298; Deo virtus humana resistere non potest 12_{14} 216; non egere alieno auxilio homini convenire non potest 40_9 213, *vide* auxilium; omnis virtus humana pro nihilo a diabolo reputatur 41_{18} 330, *vide* diabolus. – *Vide* facultas, potentia, potestas, virtus, vis, etc.

Naturaliter est eadem condicio omnium hominum 31_{15} 175, cf. 3_{19} 422; homo secundum suam naturam est infimae condicionis 40_3 90; homo sine exterioribus bonis in hunc mundum venit et sine eis recedit' 1_{21} 811; eorum qui bene operantur quidam aliis melius faciunt, et eorum qui male operantur quidam aliis magis peccant 34_{11} 121; sunt duae hominum condiciones 5_2 8; quibusdam morientibus alii succedunt, et quibusdam a prosperitate decidentibus alii sublevantur ut sic quodammodo uniformitas in genere humano appareat 34_{21} 286; in eventibus humanis nullus certus ordo apparet Prol. 31; id quod de homine videtur exterius parvum quid est, fragile et caducum 7_{18} 409, cf. 14_5 3, 13_{25} 373; in statu viae homo impugnationes patitur 17_2 59, cf. 14_6 35; hominis fortitudo est cum sensu eorum quae noxia sunt 6_{12} 154; duo imminent homini, scilicet ut resistat impedimentis et nocivis et ut operetur utilia ad finem 7_1 34; in humanarum rerum dispositione quidam prosperantur usque ad mortem, quidam vero in miseria moriuntur 21_{22} 232, mens triplex hominis ad res et adversitates mundanas 5_{19} 332, *vide* prosperitas, adversitas; miseria hominis ad amaritudinem provocans consis-

tit in damnis rerum vel personae et in dehonorationibus 3_{25} 518, *vide* miseria; homini gravi infirmitate detento nihil contingit quod eum in hac vita faciat felicem 7_5 105; in quovis hominum pravitas potest inveniri 4_{18} 449, *vide* peccatum; plurimos in hac vita praeoccupat luctus 21_{23} 339, *vide* afflictio; maxime admirandum est quod homo terrenus et corruptibilis ad spiritualium vel caelestium possessionem promoveatur 37_1 45

Hominem diutius vel minus vivere quam divina dispositio habet est impossibile 14_5 16, *vide* vita; dies hominis breves sunt 10_{20} 397, in continuo transitu 8_9 152, cf. 7_6 129; ex hoc quod homo de muliere per concupiscentiam carnis nascitur maculam contrahit 25_4 72, cf. 13 (14_4) 477, *vide* concupiscentia; corporis pulcritudine pollet homo in iuventute 13 (14_3) 444, tunc comparatur herbae virenti 13_{25} 386, sed quasi stipulae siccae in senectute 13_{35} 387, dum affligitur propter invaliditatem 30_{27} 272; homo per decursum vitae paulatim consumitur 13_{19} 267, per aetatis processum tendit in mortem nec iteratio potest esse 16_{23} 313, reparatio vel recuperatio perfecta non invenitur secundum decursum praesentis vitae 14_9 84, *vide* mors; non est dignitas humani esse ut in perpetuum conservetur 10_{19} 387; utrum in pulverem redigi sit solum ex necessitate materiae vel ex divina providentia culpam puniente 10_9 225; homo tria gradatim amittit 14_{10} 87; homo licet corrumpatur secundum corpus remanet incorruptibilis secundum animam ut sic remaneat spes reparationis 14_{19} 272, 14_{20} 287, 30_{24} 239; cf. 7_{18} 409, *vide* reditus, resurrectio

Homo ad Deum generatim: *vide* Deus. – Humanae res, *vide* res

honestus: conservantur aliqui ne deficiant in tribulationibus ex amore honestae actionis 4_6 99

honor, honorare, honoratio: in sapientia honor hominis consistit 18_3 30; consueverunt honorari qui utuntur vestibus pretiosis 31_{19} 220; ea quae in Deum committuntur honoratione divina sunt expurganda 1_5 206

hordeum: seminatur in cibum iumentorum 31_{40} 405, cf. 40_{19} 491

horizon: horizon eorum qui sub aequinoctiali habitant aequinoctialem secat ad rectos angulos 9_9 253; nobis aquilonaris polus supra horizontem elevatur, australis vero sub horizonte deprimitur 26_7 92, cf. 9_9 257; stellae propinquae polo septentrionali sunt nobis perpetuae apparentiae propter elevationem poli super nostrum horizontem 38_{21} 543, cf. 37_9 143

horrere, horribilis, horridus: nox secundum se horrida est 3_6 217; vir ex gravi corruptione horribilis redditur 19_{17} 154; conservantur aliqui ne deficiant in tribulationibus ex eo quod horrent turpiter agere 4_6 99.– Horribilis obscuritas: *turbo* 9_{17} 428

horreum: segetes in horreum domini reportare 39_{12} 153

horula: horulae residuum tempus vitae suae Iob comparat 7_{19} 432

hostia: in hostiis pacificis et pro peccato relinquebatur pars in usum offerentis vel eius pro quo offerebatur 1_5 179

hostis: correctione per modum exterminii hostes perduntur 20_{23} 274; confugere pro timore hostium 24_6 80

huc et illuc: *vagantes*, idest huc et illuc prospicientes 38_{41} 692

humectare: terra dupliciter humectatur a Deo 5_{19} 213, cf. 8_{13} 204

humilitas, humilis, humiliter: humilitas viam sapientiae parat 5_2 17, principium est sapientiae 15_{27} 260; per humilitatem homo subici debet Deo 15_{26} 250, cf. 1_{20} 777, 40_5 136; requiritur ad salutem interior humilitas affectus et intellectus 22_{30} 304; a magis potente aliquis pacem obtinet se ei humiliter subdendo 9_4 73; convenit humilis satisfactio ad expiandam superbiam cogitationis 42_6 47, cf. 42_{10} 95; humilitatis signum 16_{16} 211; *demisso capite*, scilicet in signum reverentiae et humilitatis 32_6 61

humor, humidus: humor continet in unum partes terrae, ne propter sui siccitatem in pulverem resolvatur 38_{36} 666, cf. 21_{18} 182; humor terrae 8_{11} 165, 8_{16} 254, 39_6 95; metalla generantur ex vaporibus humidis resolutis a terra et in terra retentis 28_1 14; 28_4 101, *vide* vapor; omnium semina humida sunt 38_8 188; pinguedo ex abundantia humorum causatur 15_{26} 258, cf. 41_{24} 424; aret et contrahitur cutis quia humor naturalis iam consumptus est 7_5 117, corrugatur corpus propter humidi consumptionem 16_9 85; denigratur cutis propter interiorem corruptionem humorum 30_{26} 288; propter nimiam commotionem humorum vel omnino non apparent somnia vel apparent perturbata et instabilia 4_{16} 312; quandoque cibus indigestus convertitur in humores venenosos 20_{14} 146; propter discursum humorum visus oculorum impeditur 16_{17} 225; humore virtutis carent impii 21_{18} 185

humus: herbas sine semine humus sponte profert 5_6 104; per similitudinem oritur de humo quicquid sine causa propria contingit 5_6 106

Hyadae: sunt quaedam stellae in pectore Tauri existentes et multum notabiles visu 9_9 248

hypocrita: hypocritae exterius praetendunt ac si Deo adhaereant sed cor eorum est ad terrena 8_{13} 215, 8_{14} 223; hypocrita cum sit iniquus se tamen iustum profitetur 13_{16} 234; adveniente adversitate displicebit hypocritae quod ad Deum cor rectum non habuit 8_{14} 227, cf. 230; hypocritarum est non manifeste sed dolose aliis nocumentum inferre 15_{35} 335; contingit quod ex favore quem captavit hypocrita ad altum statum sublimatur 20_6 48; hypocrita quia a principio arridet sibi fortuna proficere videtur, cito tamen prosperitas eius deficit 8_{16} 259, cf. 8_{17} 271; hypocritae tamquam falsarii virtutis videntur maxime abominabiles apud Deum 27_6 103.– *Hypocrita*: simulator 13_{16} 234, 27_8 101. –*Vide* calliditas, simulatio

I

iactare: ille dicitur verba iactare qui ea inordinate spargit 18_2 15

ianua: obstaculum ex sollicitudine humana 30_{14} 163

ibex: ibices sunt quaedam animalia parva corpore quae in locis petrosis habitant, in quibus et pariunt 39_1 9

idolatria, idolatra: colebant antiquitus idolatrae stellas caeli et praecipue luminaria propter maximam eorum claritatem 31_{26} 284; idolatria est peccatum contra Deum 33_9 65

ignis, ignire: manifestum est naturaliter aerem subiacere igni 5_{10} 207; lux corporalis ex flamma ignis procedit 18_5 65; statim ad tactum ignis omnia consumi est supra naturalem virtutem eius 1_{16} 671; id quod est in lapide de natura aeris per calorem ignis eliquatur 28_2 52; aqua in olla calescit et fervet per hoc

quod ignis apponitur 41_{11} 186; aurum approbatur quod potest ignem sustinere 23_{10} 165, 167, non quod fiat verum aurum ex igne 23_{10} 166; Deo permittente daemones possunt facere ut ignis de caelo cadat 1_{19} 706; hic ignis ardet et lucet, quod in inferno non est 10_{21} 457; fortiter commoto capite vel oculis, videtur nobis quod emicet quidam splendor ignis 41_{9} 145; ignitus est vapor de ore ceti 41_{12} 194. – *Ignis*: adversitas 22_{20} 222, ardor amoris 18_{5} 69, ardor tribulationis 22_{20} 225, perversa cupiditas 41_{12} 197, ira, concupiscentia aut etiam inanis gloria 41_{9} 151

ignorantia, ignorare: nullus potest quaerens invenire id quod omnino ignorat 23_{3} 36; nullus iudicat quae ignorat 21_{22} 227; palpare per ignorantiam ad modum caecorum 12_{25} 391; in operibus humanis defectus invenitur quandoque ex ignorantia propter debilitatem rationis 9_{21} 679, 12_{25} 387, 23_{12} 202; sunt qui per impatientiam deficiunt ex ignorantia dum nesciunt adversis uti ad virtutem 4_{3} 40; propter ignorantiam affectatam peccatores non excusantur sed magis damnabiles redduntur 34_{27} 312, cf. 21_{14} 132; iniquum iudicium proferens ex ignorantia 40_{3} 32; inter tenebras ignorantiae huius vitae invenitur obscura refulgentia divinae cognitionis 37_{22} 342. – Ignorantia: *tenebrae* 12_{25} 390, 34_{22} 250, *umbra mortis* 12_{22} 344

illaqueare: diversitatibus peccati homines diversimode illaqueantur 18_{8} 108

illustratio: illustratio sapientiae 24_{1} 20

imaginari, imaginarius: si imaginemur motum firmamenti sicut motum unius animalis 23_{8} 85; si imaginaremur unum hominem qui sua dextera moveret caelum ab oriente versus superius hemisphaerium 23_{8} 90; hominibus Deus locutus est per imaginariam visionem 1_{7} 348, *vide* visio

imber: ex ventis dum pluvia impellitur causatur imber 38_{25} 464, 466, cf. 37_{4} 110; imber serotinus refrigerium praestat post aestum diei 29_{23} 221

imitari, imitator: filii imitatores paternae malitiae 21_{19} 190: attendendum est quod homo secundum suum posse imitetur in suis affectibus et operibus divinae bonitatis operationem 23_{11} 180, 189

immeabilis: in radicibus quorundam montium defluunt immeabiles torrentes 28_{4} 74

immobilis, immobilitari: id quod secundum se actus est omnino immobile est 4_{18} 425; superbus reputat se immobilem quasi caelestem 20_{4} 55; sopor fit immobilitatis exterioribus sensibus 33_{15} 165, 33_{16} 177

immortalitas, immortalis: homo immortalis fuerat constitutus a Deo 19_{25} 254; homo reparabitur ad vitam immortalem 14_{6} 41; status mortis humanae brevis est in comparatione ad statum futurae immortalitatis 14_{6} 42, *vide* mors

immunditia, immundus: in comparatione ad res pulcerrimas, res quae parum pulcritudinis habent videntur immundae 25_{4} 68; immundo non competunt signa iustitiae quae de eo exterius apparent 9_{21} 688; de immundo facere mundum est eius qui per se mundus est 13 (14_{4}) 482; angeli purgari dicuntur non ab immunditia sed a nescientia 41_{16} 288

immutatio, immutabilitas, immutabilis: causa mutabilitatis est potentia, causa immutabilitatis est actus 4_{18} 421; quod praeteriit immutabile est 3_{4} 148; immutabiles immutationes caelestium corporum 38_{31} 529; immutatio in statum alterius vitae 14_{15} 196. – Mundi immutatio: *caeli attritio* 14_{12} 130

impatientia: contingit ex tristitiae superabundantia non moderatae per rationem 13_{14} 200, cum ratio alicuius adeo a tristitia deducitur quod divinis iudiciis contradicit 6_{10} 128; impatientiae modi quatuor 4_{3} 40; homo impatientiae vitio subiacens ex verbis sibi prolatis indignatur 4_{2} 12, 15

impavidus: solent homines impavidi in contrarium incedere per praesumptionem 31_{34} 351

impedire: tenebrae impediunt actionem 23_{9} 139; solent homines dupliciter a suis operibus impediri 24_{17} 177; vecte processus alicuius impeditur 38_{11} 220

imperium: vocare ad imperium pertinet 14_{15} 202; milites oboedientes imperio ducis 25_{3} 47, parentes imperio alieno 25_{3} 52

impietas, impius: impii pietatem divinae religionis abiciunt 34_{8} 83; Deus lux est, impii autem in tenebris sunt 34_{22} 248; propter hoc prohibetur a Deo impietas quia Deo est de hominibus cura 35_{8} 79; contra divinitatem eius esset si impietati Deus faveret 34_{10} 114; impius rebus huius mundi moderate non utitur sed ad extrema declinat 24_{18} 215, a contrario vitio in contrarium transit, in medio virtutis non manens 24_{19} 219; impii qui Deo resistunt pacem habere non possunt 9_{4} 80; in hac vita nobis occulta est tenebrositas impiorum 20_{26} 305; ex vita sanctorum condemnabilis ostenditur perversitas impiorum 1_{8} 472; laudantur quandoque impii ad modicum propter bonitatis signa et initia, sed illa statim obnubilantur 20_{6} 40, cf. 22_{20} 212

Impii frequenter prosperantur nihil boni merentes a Deo, et cum hoc nullas graves adversitates patiuntur 21_{16} 143, cf. 21_{14} 124; impiorum quidam prosperantur, quidam adversa patiuntur 21_{27} 270; quod impiis quandoque prospera quandoque adversa adveniant facit apud homines dubitationem 21_{22} 208, cf. 35_{16} 147; quandoque impii adversitatibus praemuntur 21_{16} 164, subito bona temporalia perdunt 27_{20} 224; adversitas impii gravior est quam iusti 21_{17} 166; impii, veniente adversitate, resistere non possunt 21_{18} 183; quod aliis impius nocet etiam in suum nocumentum redundat 24_{22} 263; gaudium quod habent impii de favore quem capiunt in brevi pertransit 20_{5} 43

Impii puniuntur ad exterminium 24_{10} 248, absque misericordia 24_{22} 272; impii non statim puniuntur a Deo, sed quando ad summum pervenerint 24_{24} 301; in finali iudicio impius detrahetur in infernum 20_{28} 334; si quandoque boni flagellantur a Deo, hoc cedit in maiorem damnationem impiorum 41_{14} 259. – *Vide* Deus

Qui innocentem calumniari aut opprimere volunt sunt impii 10_{9} 111; post mortem erunt impii in abominatione propter mala quae fecerunt 11_{20} 287; quandoque impiorum filii qui in hoc mundo prosperati sunt occiduntur 27_{14} 170; secundum fabulam, Cocytus quodammodo involvebat animas impiorum 21_{33} 328. – *Impii*: pietatis notitiam respuentes 34_{26} 303, superbi 40_{7} 174. – *Vide* iniquus, malus, peccator, etc.

impingere: cetus impingens ad litus 40_{23} 667

implicare: peccata exterioribus adversitatibus implicant 18_{12} 151

impossibile: desideria quandoque sunt etiam impossibilium 14_{14} 170

impotens: impotentum proprium est et potentibus invidere et eorum oppressionibus timere 36_{5} 44, unde quandoque eos persequuntur 36_{4} 41; homines ex se ipsis impotentes sunt 5_{16} 274

impraemeditatus: *subito*, quasi ex impraemeditato 24_{17} 171

imprecari: contingit aliquem alicui malum dicere imprecando 3_{1} 50, cf. 31_{20} 318

impressio: impressiones in aere 37_{16} 246, 248, *vide* aer

improperium: alicui improperium in facie dicere 16_{11} 124

impugnatio, impugnare: solent, et praecipue in Oriente, impugnationes insurgere a parte septentrionali 30_{12} 122; impugnat homo et de propinquo et a remotis 41_{17} 312; contentio est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris ('Ambrosius') 6_{29} 312; in statu viae homo impugnationes patitur 17_{3} 59

imputare: ea quae naturaliter sunt nulli imputantur in culpam vel in malum 10_{3} 99

imum: terra in imo ponitur sicut in fundamento 38_{38} 664, *vide* terra; auster ab imo veniens 37_{17} 257, *vide* auster

inaccessibilis: sunt quaedam loca inaccessibilia non propter situm sed propter aliqua accidentia 28_{5} 87, cf. 28_{3} 66; in inaccessibilibus locis habitantes 28_{4} 78

inanis: inanis gloria: *ignis* 41_{9} 151. – *Vide* gloria

incendere: dicitur holocaustum quasi totum incensum 1_{5} 182; diabolus ad concupiscentiam peccati homines incendit 41_{10} 173

incisura: incisura ceti 40_{26} 630

incitare: facultas non sufficit ad agendum nisi homo ab aliquo incitetur 32_{18} 167

inclinatio: inclinatio naturalis est ex virtute divina quae est naturae principium 26_{7} 111, *vide* natura; diversi homines ad diversas virtutes quasdam inclinationes habere solent 31_{18} 213, *vide* virtus; Deus omnium hominum voluntates inclinat 12_{21} 375, *vide* Deus

inconsiderate: adulteri inconsiderate se periculis ingerunt 24_{17} 180, cf. 11_{11} 184

inconsuetum: est debitum ut qui inconsueta cupit consueta perdat 31_{40} 400

inconveniens: sensus non potest non refugere inconveniens 6_{6} 83; efficax disputator adversarium ducit ad inconveniens 12_{17} 287

incorporare: aes invenitur ut incorporatum lapidibus 28_{1} 31; diabolus confidit sibi incorporare per consensum homines instabiles 40_{18} 465, *vide* diabolus

incorruptio, incorruptibile: ordine naturae incorruptibile prius est corruptibili 38_{7} 150, *vide* corruptio; eiusdem impossibilitatis videtur ut incorruptibilia corrumpantur et ut totaliter corrupta iterum reparentur 14_{12} 112; in superioribus corporibus nulla contrarietas reperitur, unde et incorruptibilia sunt 25_{2} 31, 14_{12} 114; caro quam anima in resurrectione resumet incorruptionem habebit ex divino munere 19_{26} 312

increpatio: divina increpatio malorum 40_{6} 68, *vide* Deus

incubus: quidam incubi dicuntur extitisse mulieribus improbi (Augustinus) 40_{12} 349

incurvare: squamae piscis incurvatae 41_{7} 119

incus: ex percussione malleorum magis solidari videtur 41_{15} 276

indagare: ex mutua collatione aliquid occultum indagari 22_{2} 12

indecens: nec verbo nec facto in aliquid indecens prorumpere 4_{6} 102

indevotio: peccatum indevotionis 16_{13} 237

India: quidam pretiosissimi lapides diversorum colorum maxime nutriuntur in India 28_{16} 193

indigentia, indigens: Deus non ex indigentia fundamenta terrae iecit 38_{7} 139, cf. 143; indigentibus non subvenit malus 24_{21} 256. – Omnes indigentes: *vidua* 24_{21} 258

indigestus: ferrum in terra quasi indigesta invenitur 28_{2} 48; quandoque cibus indigestus interius manet 20_{14} 146

indumentum, induere: indumenta sunt necessaria ad calefaciendum contra frigus et etiam ad tegumentum contra pluviam 24_{8} 75; consueverunt despici qui vilibus induuntur 31_{19} 220. – *Vide* vestis

indurare: Deus aliquem indurat vel excaecat ex hoc quod gratiam non largitur per quam emolliatur et videat 7_{20} 462, *vide* Deus

industria: industria naturalis animalium 39_{1} 22, 39_{2} 33, 39_{4} 42, 39_{17} 200, accipitris 39_{26} 288, strutionis 39_{14} 170; industria rationis 5_{7} 120, 38_{26} 479

inebriari: qui bibit vinum cum observatione bibit ne inebrietur 15_{16} 142

inexpertus: peccatorum inexperti difficilius ad peccata prolabuntur 27_{6} 63

infallibilis: infallibile inventum experimentum 8_{8} 127

infamare: dicitur flagellum linguae detractio graviter infamantis 5_{21} 365

infans: obstetrix sic educit infantem quandoque mortuum ut mater non laedatur 26_{12} 193

infectio: infectio terrenae affectionis in bonis operibus admixta 9_{21} 683

inferior: apud quosdam inferius caeli intelligitur occidens 23_{6} 102, *vide* caelum; diabolus principatum super inferiora et terrena appetiit 40_{10} 232. – *Vide* corpus, creatura, res, bonum, etc.; caelum, Deus

infernus, inferni, inferna: ad infernum animae omnium hominum descendebant etiam iustorum ante Christum 10_{21} 437, 21_{13} 115, cf. 7_{9} 181; fabula vulgariter ferebatur quod in inferno inter alios esset quidam fluvius nomine Cocytus 21_{33} 325; in inferno confusionem mentium patiuntur damnati 10_{21} 454, hic ignis ardet et lucet, quod ibi non est 10_{21} 457, nulla erit temperies 24_{19} 230, cf. 10_{21} 458; diabolus damnationem inferni non tantum aestimat ut propter eam desinat contra Deum niti 41_{23} 415; in die iudicii diabolus cum omnibus membris suis detrudetur in infernum 41_{16} 301, cf. 20_{28} 334. – *Inferna*: mors 21_{13} 114; infernus: *sepulcrum* 17_{13} 183, *terra tenebrosa* 10_{21} 436, 445; profundum inferni: *fovea* 40_{8} 206

infidelis: infideles per fideles Deo reconciliari debent 42_{8} 72, cf. 76

infinitum: procedere usque ad infinitum 36_{16} 163; in infinitum distare 36_{25} 278

infirmitas, infirmus: humor naturalis consumitur propter infirmitatem 7_{5} 118, cf. 13_{19} 267, *vide* humor; infirmitas corporis ad hoc operatur ut perturbata phantasmata dormientibus appareant 7_{14} 318, 33_{15} 170; infirmitas interiorum viscerum procedens ex inordinati caloris fervore 30_{27} 268; infirmus qui nesciret se per medicinam amaram sanitatem consecuturum 9_{19} 435; homini de-

tento gravi infirmitate nihil potest contingere quod eum faciat esse felicem 7_5 105; quando piscis fuerit infirmus 41_7 115

Homo ex infirma re originem habet 15_{14} 128; infirmis personis iustitiam non reddere 22_9 76; detractores in infirmitatibus aliorum delectantur 19_{22} 211. – Res contemptibilis et infirma: *lutum* 13_{12} 182

ingenium: sardius est acuens ingenium 28_{14} 202

inhaerere: inhaerere Deo 4_{18} 432, 4_{19} 494, 28_{28} 348, *vide* Deus

inhonoratio: verecundia est timor inhonorationis (Aristoteles) 3_{25} 531

inimicitia, inimicus: causa inimicitiae conveniens esse non potest nisi offensa 13_{24} 358; odium inimici maxime manifestatur quando aliquis gaudet vel de totali ruina eius vel de malo ei superveniente 31_{29} 305; ab inimico non speratur remedium 19_{11} 111; iniquum videtur quod aliquis alium sibi inimicum arbitretur absque causa 13_{21} 356; de suis inimicis timens potest sperare liberationem per adiutorium amicorum 15_{22} 209

iniquitas, iniquus: committitur aliquid contra praeceptum legis uno modo quia est in nocumentum proximi, ut furtum, homicidium et huiusmodi quae proprie iniquitates dicuntur, quia aequitati iustitiae quae est ad alium contrariantur 13_{23} 338, cf. 22_5 41; simulata aequitas est duplex iniquitas 27_8 102; ex vanitate contingit quod homo ad iniquitatem declinat 11_{12} 190; ex hoc quod a veritate recedit homo iniquitatem operatur 11_{11} 179; maxime videtur iniquum ut cultus Deo debitus exhibeatur creaturae 31_{28} 293; ad hoc quod aliquis de iniquitate condemnetur 36_{28} 252. – *Iniquus*: diabolus 16_{12} 138, 16_{15} 197

iniustitia, iniustus: ab iniustitiis laeditur proximus 8_4 102; quanto est maius bonum quod subripitur tanto est iniustitia maior 31_{11} 139; qui nihil credunt nisi ista temporalia quae vident procedunt ad iniustitiae opera 22_{15} 163, 168; homo Deo comparatus apparet iniustus 25_4 66

innocentia, innocens: si in innocentia permansisset homo 1_2 51; inveniuntur innocentes frequenter in terris puniri 9_{24} 542, 13_7 65; durum videtur quod innocentes praeter mortem communem multiplices adversitates sustinent in hac vita 9_{22} 523, *vide* adversitas; quod innocentes puniantur non dependet absolute ex malitia diaboli sed ex sapientia Dei permittentis 9_{24} 571; in humano iudicio quandoque innocentes puniuntur 10_2 64; homo non potest reputari mundus per innocentiam si comparetur puritati divinae 25_4 86. – *Vide* bonus, iustus

innumerabilis: a Deo immediate innumerabilia nobis producta sunt 5_9 197, 9_{10} 282

inordinatio, inordinare: omnis inordinatio ex defectu rationis procedere videtur 38_2 52; ea quae in terris sunt multis defectibus et inordinationibus subiacent 22_{14} 141; inordinatus animus sibi ipsi est poena (Augustinus) 24_{19} 221

inquisitio: homines per inquisitionem rationis ad sapientiam perveniunt 28_{27} 339, cf. 12_{17} 270; per inquisitionem ratio ab effectibus procedit ad causam 11_7 121; inquisitio quae est per tormenta 10_7 161

inscrutabile: inscrutabile est quod ipsum latet et perquiri non potest 5_9 180, cf. 9_{10} 274

insipiens: insipientium est ut quae ab aliis acceperunt sibi ascribant 15_{18} 161; insipientes utuntur bonis terrenis ad suum damnum 15_{19} 170; in loquendo suam insipientiam manifestantes 13_3 47, 52

insolitus: homines ad insolita pavere consueverunt 4_{14} 277, 4_{15} 298, 4_{16} 352

inspicere: *suspicere*, idest sursum inspicere 35_5 53

inspiratio: aetas non est sufficiens sapientiae causa sed magis inspiratio divina 32_8 78, 32_9 87, cf. 28_{28} 344; divinam inspirationem in hac vita non possumus clare percipere 38_1 32. – *Vide* Deus

instabilis: vana dici consueverunt quae instabilia sunt eo quod debitis finibus non stabiliuntur 11_{11} 175; instabiles seu curis saeculi dediti 40_{18} 472; Origenes etiam nunc quoscumque spiritus creatos instabiles asserit 4_{18} 452

instinctus: animalia bruta quodam naturali instinctu diversis temporibus diversa operantur 37_2 124, cf. 39_{27} 298, *vide* animal

institor: mercator 28_8 116

institutio: astra in suae institutionis initio 38_7 161, *vide* Deus; factio hominis quae pertinet ad primam institutionem naturae 10_9 215

instructio, instruere: instructio mentis est per lumen rationis naturalis 33_{14} 145; aliqui instruuntur ad bonum ex revelatione divina 35_{10} 104, cf. 42_4 34, *vide* Deus, revelatio; indigent iudices instrui per testes de meritis iudicandorum 21_{29} 221; quandoque sumitur disciplina pro instructione eorum quae homini occurrunt agenda vel vitanda 33_{16} 189. – Humanae instructionis dogmata: *carmina* 35_{10} 106

instrumentum: stultum videretur si aliquis faceret fortissimum instrumentum ut ad modicam horam eo uteretur et postea ipsum omnino proiceret 14_{20} 293

insultus: ex nulla parte insultum pati 1_{10} 506

insurgere: ira per zelum facit hominem insurgere contra mala 17_9 135

intellectivus: cognitionis intellectivae hominis indicium apparet in corpore et praecipue in facie 14_{30} 283; intellectiva pars in quendam vigorem erumpens 4_{16} 321

intellectualis: superiores intellectuales substantiae in summa concordia vivunt 25_2 33; intellectuale lumen derivatur ad nos a Deo 28_{18} 234; appetitus intellectualis non quiescit nisi in bono intellecto 14_{21} 323, *vide* bonum, voluntas; visus plurimum intellectualem cognitionem iuvat 37 (36_{28}) 21; vocibus intellectuales conceptiones exprimuntur 37_2 57, *vide* vox; cum est dolor vehemens in sensu, intentio animae avocatur vel impeditur ab intellectualium consideratione 16_8 70; similitudo naturae intellectualis in elephante 40_{10} 305

intellectus: eadem anima est quae per intellectum scientiam percipit et per alias vires corpus vivificat 26_4 48; intellectus est principium scientiae et sapientiae 28_{29} 156, 34_{10} 105; in opponente maxime requiritur acumen intellectus 34_{24} 391; cum eo qui deficit intellectu inutilis est collatio 18_3 19; tria proveniunt in locutione alicuius ex defectu intellectus 18_2 18; ab intellectu divinorum duplici ratione deficimus 11_6 51; post visum maxime deservit intellectui auditus 37_2 55; ad salutem interior humilitas affectus et intellectus requiritur 22_{30} 305; non tam certus cursus in naturae effectibus inveniretur nisi haec omnia a quodam intellectu supereminente ordinata gubernarentur Prol. 20, cf. 5_9 170, 173, 9_5 119. – Intellectus: *cor* 34_{10} 107, cf. 12_3 36; intellectus et ratio: *vis-*

cera hominis 38_{36} 622; intellectus diversa concipiens: *uterus* 32_{18} 170

intelligentia: occulta cognoscere ad intelligentiam pertinet 12_{13} 193, 12_{24} 366; sicut sapientia non concluditur loco, ita etiam nec intelligentia quae est principium eius 28_{12} 157; intelligentia ad hoc praecipue est homini necessaria ut per eam discernat a bonis mala 28_{28} 352; ex luti grossitie lumen intelligentiae obtenebratur 33_{6} 46; inter opera vitae praecipuum est intelligentia veritatis 33_{4} 32; providentiam divinam humana intelligentia comprehendere non valet 38_{4} 103; sapientia et intelligentia praeferuntur omnibus bonis terrenis 28_{28} 360; intelligentia in gallo 38_{36} 631, cf. 38_{38} 660, in animalibus 39_{17} 200. – *Vide* sapientia, Deus

intelligere: per animam homo et intelligit et spirat 26_{4} 47; solent disputantes obicere ut plenius veritatem intelligant 23_{5} 50; non potest homo scire an verum sit quod ei dicitur nisi intelligat quid ei dicatur 23_{6} 55. – Intelligentes: *viri cordati* 34_{10} 103

intelligibilis: sensibilia sunt quaedam intelligibilium signa 37 (36_{28}) 16; diabolus avertit se ab intelligibilibus bonis 40_{10} 232; hominibus aliquando Deus locutus est intelligibili expressione 1_{7} 350

intentio, intendere: omne agens in suo effectu bonum intendit 10_{18} 371; cum est dolor vehemens in sensu, intentio animae avocatur vel impeditur ab intellectualium consideratione 16_{8} 70; est perversa intentio si quis bona animae ordinet ad prosperitatem exteriorum bonorum, vel et ad corporis salutem 2_{1} 5; Deo patet cordis intentio 31_{6} 87; eorum qui in dignitatibus constituti sunt intentio est vel ad voluptatibus fruendum vel ad divitias congregandum 3_{14} 365; nullus homo cognoscit intentionem daemonis 41_{4} 70; intentio diaboli est ad sublimia aggredienda 41_{25} 441; non sensibiliter diversificatur claritatis intentio in diversis terris, bene autem intentio caloris 38_{24} 457

intercedere: *loqui* 33_{22} 261

interiectio: vah! est interiectio exultantis 39_{25} 275

interior: interiora: *lumbi* 16_{14} 176. – *Vide* Deus

interire: homines qui sic intereunt ut resurgant 14_{6} 47, *vide* mors, resurrectio

interpretari: etiam in praesumptionibus seu suspicionibus in meliorem partem dicta vel facta interpretanda sunt 4_{2} 18; interpretari benigne, in malum 16_{10} 118

interrogare: non consuevimus interrogare de his quae nos facimus sed de his quae absque nobis fiunt 1_{7} 322; homo creaturas interrogat quando eas diligenter considerat 12_{8} 140

intumescere: facies plorantium intumescens 16_{17} 222; fluctus intumescentes 38_{11} 226

inundatio, inundare: aqua inundans continue movetur et sonum facit 3_{34} 513. – *Inundatio*: gravis tempestas adversitatis 21_{17} 174

inutiliter: cum aliquis dicit 'quare hoc factum est?' dat intelligere hoc inutiliter esse factum 3_{13} 344; uxorem sterilem inutiliter nutriens 24_{21} 255

invalitudo: omnes homines senectutis tempore affliguntur propter invalitudinem 30_{27} 272

invenire: nullus potest quaerens invenire id quod omnino ignorat 23_{3} 36

investigatio, investigare: ratio per modum rationis investigans 12_{17} 269; rationis investigatio ad veritatis terminum non pervenit nisi divinitus doceatur 10_{2} 56

invidia: est tristitia de prosperitate alicuius inquantum aestimatur propriae prosperitatis impeditiva 5_{2} 26; pusillanimes proni sunt ad invidiam 5_{2} 24

invisus: invisa hominibus 28_{3} 68, *vide* homo

invius: terra invia, idest per quam nec transire potest homo 38_{27} 487, cf. 28_{3} 65

Iob, Eliphaz, Baldath, Sophar, Eliud: post Legem datam et Prophetas, in numero hagiographorum primus ponitur liber Iob Prol. 52, cuius tota intentio circa hoc versatur ut per probabiles rationes ostendatur res humanas divina providentia regi Prol. 55, 1_{1} 2, et proceditur ex suppositione quod res naturales divina providentia gubernentur Prol. 58; liber iste exhinc (*Pereat dies* 3_{3}) per modum poematis conscriptus est, unde figuris et coloribus Iob utitur quibus poetae uti consueverunt 3_{4} 135, loquens in persona hominis afflicti 10_{1} 12, vel secundum aestimationem vulgarium hominum, prout est moris in sacra Scriptura 26_{7} 98, vel per similitudines ad modum parabolas inducentium 27_{1} 13, parabolicam locutionem ex aliquo subsequenti exponens 3_{5} 206; intendimus compendiose librum istum secundum litteralem sensum exponere Prol. 96

Proponitur, quasi quoddam thema, multiplex et gravis afflictio cuiusdam viri in omni virtute perfecti qui dicitur Iob Prol. 68; aliquibus visum est quod iste Iob non fuerit aliquid in rerum natura Prol. 72, praedicta tamen opinio videtur auctoritate sacrae Scripturae obviare Prol. 79; videntur haec duo *in terra Hus* et *nomine Iob* posita esse ad insinuandum hoc quod dicitur esse rem gestam 1_{1} 14; Eliud viros non nominaret amicos Iob si fuisset parabola conficta 32_{1} 13; credendum est Iob hominem in rerum natura fuisse Prol. 89

Iob prosperitatis tempore magnae potestatis erat 36_{5} 40, cf. 30_{15} 171, solebat iustitiam diligenter exequi 36_{21} 226, habebat auctoritatem non solum ad iudicandum iuvenes sed etiam senes 29_{8} 85; impugnatores beati Iob provenerunt ex parte meridiei 30_{12} 127, inter eius adversitates quasi praecipua erat quod fuerat ab amicis suis desertus 42_{11} 119, cf. 42_{10} 114; per adversitatem probatus est non ut eius virtus appareret coram Deo sed ut hominibus manifestaretur 23_{10} 168, intellexit per Spiritum sanctum suam adversitatem a diabolo procuratam, Deo permittente 16_{9} 91, poenas sibi irrogatas aestimabat ex providentia probantis iustitiam 34_{5} 39, cf. 40_{8} 20; ex levitate peccaverat et sic non graviter 42_{7} 57, 39_{22} 345, dum verba sua arrogantiam sapere videbantur 39_{23} 350, 40_{3} 24, cf. 38_{1} 10; a veritate fidei non recessit 42_{7} 65, dignus est exaudiri propter suam fidem 42_{8} 78, cf. 42_{10} 100, profecerat tum ex percussione tum ex revelatione divina 42_{5} 39; docet nos Iob animi constantiam habere tum in bonis cum in malis 2_{10} 182

Secundum Iob poena peccatorum et iustitiae praemium non sunt expectanda a Deo in hac vita 8_{3} 39, 14_{6} 57, cf. 9_{25} 593, prosperitas enim temporalis non semper innocentiam comitatur 35_{3} 32, temporalibus poenis iusti pariter et iniusti affliguntur 35_{9} 24, nec hoc est contra divinam providentiam si mali in hoc mundo prosperantur et boni adversitates patiuntur 27_{1} 9; a peccato primi hominis per Christum redimendum erat genus humanum, quod Iob

per spiritum fidei praeviderat 19_{25} 258; resurrectionem quam fides asserit Iob non negat sed reditum ad vitam carnalem quam Iudaei ponunt et quidam philosophi 7_{10} 227; infernum vocat sepulcrum secundum opinionem eorum contra quos disputabat 17_{13} 183, dextrum in caelo dividit contra orientem et occidentem 23_8 105

Deus loquens ad Iob in persona omnium hominum 38_{21} 418; si locutio Domini ad Iob non fuit per exteriorem onum prolata sed interius inspirata 39_{26} 368; satis convenienter in descriptione diaboli terminatur disputatio Iob 40_{19} 269; cur filii non in duplum restituantur 42_{12} 162

Iob amici erant duces populorum 42_8 68; communiter Iob et amici conveniunt in hoc quod res humanae divino iudicio subduntur 12_{16} 252, vel et res naturales 2_{11} 204, eadem erat opinio de daemonibus quam nunc Ecclesia catholica tenet 40_{16} 225; amici Iob non credebant aliam vitam esse nisi istam 10_{21} 429, 461, 17_{13} 185, 18_{18} 223, cf. 12_1 14, non alia bona vel mala reputabant nisi haec temporalia 13_{11} 161, putabant hominem pro bonis quae agit remunerari a Deo prosperitate terrena et pro malis puniri adversitate temporali 2_{11} 207, 4_7 117, 7_{21} 504, 9_{24} 560, 21_1 12, 12_1 94, 12_{19} 160, 13_7 161, 13_{22} 331, 14_4 51, 19_6 41, 19_{11} 102, 21_{27} 268, 26_4 69, 27_4 44, cf. 9_{25} 588, 13_4 36, sic circa fidem qua Deus colitur errantes 13_4 36, perversa dogmata asserendo 42_7 61; duo imposuerant Iob, scilicet impatientiam et iactantiam 13_{14} 196, contra ipsum opponebant quod pro peccatis suis punitus erat 13_{25} 323, 29_1 10, 40_{19} 273, de quibus si paeniteret ad prosperitatem rediret 17_2 26; per oboedientiam et humilitatem suam digni facti sunt ut pro eis oratio Iob exaudiretur 42_9 88, cf. 42_{10} 100

mons, montanus: inter corpora mixta maxime videntur firma et stabilia montes 9_5 90, qui sunt quasi columnae super terram fundatae 9_6 156; cum generatio montium sit naturalis, quandoque montes naturaliter destruuntur 9_5 106; montes ex certis causis post aliqua temporum curricula dissolvuntur 14_{18} 253; quandoque funditus diruuntur 28_9 125; rupes alicuius excelsi montis quasi semper caligine nebularum obtegitur 28_3 69; in radicibus quorundam montium defluunt immeabiles torrentes 28_4 74; cavernae lapidum inveniuntur in locis montanis 24_5 89; in locis montanis frequentiores et graviores sunt pluviae 24_8 82; in montibus silvestria animalia congregantur ad securitatem et otium 40_{15} 417; solent homines ad loca montana confugere pro timore latronum vel hostium 24_8 80. – *Mons*: superbus 40_{17} 443, cf. 40_{15} 412

monstruosus: daemones sub figura quasi monstruosorum animalium describuntur 40_{10} 244

mors, mori, mortuus: mors est corruptio corporis viventis 38_{17} 329, cf. 14_{10} 87, 33_{22} 273, 12_{14} 209, *vide* corruptio; mors communiter omnibus immittitur a Deo 9_{23} 523, per subtractionem divinae operationis conservantis vitam 14_{13} 148, cf. 14_6 39; homo necessario patitur mortem corporalem ex eo quod terrenum habet fundamentum 4_{19} 503, cf. 4_{21} 556, 5_{20} 361, 10_{19} 387, 21_{13} 111, 38_{17} 330, per aetatis processum tendit in mortem 16_{22} 313, cf. 3_{18} 360, sicut ad suam domum 30_{22} 238; propter incertitudinem mortis non potest expectari etiam dies crastinus 7_{21} 517; credimus mortem ex peccato primi hominis provenisse 14_{13} 152, 19_{25} 254, cf. 10_9 225

Mors quandoque est naturalis quandoque violenta 4_{19} 505, 13_{28} 419, 14_7 67, cf. 27_{21} 235, 27_{22} 241, 33_{18} 207; mors naturalis potest per aliqua signa praecognosci sed mors violenta omnino incerta est 4_{20} 513;

in vulva aliqui moriuntur ante infusionem animae rationalis 3_{16} 392; quidam prosperantur usque ad mortem, quidam in miseria moriuntur 21_{23} 232, cf. 3_{18} 360; quidam absorpti terra vel oppressi parietibus per terraemotum cadentibus moriuntur 38_{15} 293; per mortem homo privatur corporali visu 38_{17} 340, *vide* tenebrae, totaliter consumuntur corporis bona 18_{13} 168, cf. 12_{14} 209, 14_{10} 87, 18_{14} 180; mors quasi regis plena potestate hominem in pulverem conterit 18_{14} 184, cf. 20_{11} 117; corpus mortuum resolvitur in quasdam reliquias caloris naturalis 34_{15} 166, idest cinerem et pulverem 34_{15} 163, corporalem pulverem 40_{8} 208; apud antiquos corpora mortuorum igne comburebantur 34_{15} 165; post mortem homo in putredinem et vermes resolvitur 17_{14} 193; per festinam mortem redditur humanum cadaver vile et abominabile quasi stercus 20_{7} 59; absque differentia honoris et dignitatis similis est condicio mortuorum 10_{23} 488, cf. 21_{25} 259; homo videtur sic per mortem consumi ut nihil eius remaneat 14_{10} 95, quasi impossibile sit ipsum iterum reparari ad vitam 14_{11} 107; homine mortuo, frequenter omnia quae fuerunt eius depereunt 18_{14} 198; non potest redire homo post mortem ad eundem modum vivendi 20_{9} 101, ad vitam praeteritam 7_{9} 186, *vide* reditus; quidam posuerunt quod post certas revolutiones annorum mortui reparentur ad vitam 19_{25} 285; aliqui a mortuis futurorum cognitionem exquirebant 28_{22} 266; quod est post mortem est quasi postremum Cocyti 21_{33} 336

Omnes homines cum quodam luctu moriuntur 21_{33} 335; mors est ultima poenarum praesentium 8_{4} 73, et maxima 9_{22} 519, inter tribulationes non computatur 5_{20} 361; de amicis mortuis dolendum est non immoderate 1_{20} 757; mortui de facili oblivioni traduntur 20_{9} 95, cf. 8_{19} 289, 18_{16} 217, 38_{17} 341, *vide* tenebrae; quidam desiderant se in memoriis hominum victuros etiam post mortem 18_{17} 209, quod contingit ex tumulis (ad aliqualem mortui memoriam 10_{19} 390) vel propter bona quae fecerunt 11_{18} 263; per mortem homo non totaliter consumitur 30_{24} 239, cf. 7_{18} 414, 13_{28} 416; Deo mortui conspicui sunt quia secundum spiritum vivunt 7_{8} 166; differentia magnitudinis et parvitatis secundum spiritualia bona remanet in statu mortuorum 3_{19} 428; mors hominis non est in perpetuum 14_{6} 41, hoc esset valde horrendum et miserabile 14_{13} 139; status mortis humanae brevis est in comparatione ad statum futurae immortalitatis 14_{8} 42; non sic mortuus est Christus quod eum mors absorberet 19_{25} 262; resurrectio mortuorum communis in fine mundi expectatur 14_{12} 132, *vide* resurrectio; de morte prima et secunda 40_{8} 207

Mortis caligo: peccatum originale 10_{21} 447; *mortis umbra*: ignorantia vel stultitia 12_{23} 344, obscuritas culpae ducens ad mortem 34_{22} 251; mors: *inferna* 21_{13} 114, *somnus* 3_{13} 362; mortuum esse: *dormire* 14_{12} 110, 27_{19} 219

motio, movere, motus: finis ultimus est quasi terminus motus 18_{21} 259, *vide* finis; terminus est ultimum motus 38_{11} 218; via ad motum refertur 38_{19} 378; non mensuratur perfecte motus corporis nisi via per quam ambulat cognoscatur 38_{19} 390; propter ipsius defectum motus perfecte non cognoscitur 36_{25} 283; ordine naturae movens prius est moto 38_{7} 150; motus violentus a potestate humana 26_{9} 110; tam in corporibus corruptibilibus quam in corporibus incorruptibilibus quidam circularis motus apparet, sed aliter et aliter 7_{9} 189; omnis naturalis cursus rerum est quaedam motio creaturae ad praeceptum Dei 39_{27} 299; motus diurnus est primus motuum 38_{13} 231, uniformis 38_{21} 539, quo revolvitur totum caelum et omnes stellae in eo semel in die et nocte super polos mundi 38_{21} 540, cf. 38_{13} 231, sensibilius percipitur ex stellis propinquis polo septentrionali 38_{21} 542, *vide* caelum, corpus; proprium est aquae quasi continue moveri 38_{8} 192; quod gravioribus elementis constet corpus humanum eius motus declarat 4_{19} 468; est in quolibet animali principium motus a dextro 23_{8} 83; exteriora organa motus sunt tibiae et crura, interiora autem sunt cartilagines quaedam et nervi 40_{13} 377; homò motus in corde patiens propter passionem 10_{1} 26; motus contrarii humanarum voluntatum 25_{2} 27

mulier: res fragilis 13 (14_{1}) 437, infirma 15_{14} 128; in utero mulieris occurrit compactio massae corporeae 10_{10} 245, *vide* uterus; mulieres cum pariunt indigent obstetricum obsequio 39_{1} 20, cf. 39_{8} 32; homo de muliere nascens maculam contrahit 25_{4} 72, *vide* concupiscentia

multiplicatio: multiplicatio malorum homini procedere potest usque ad infinitum 36_{16} 161

multitudo: non est celebritas nominis nisi apud multitudinem, quae in plateis solet inveniri 18_{17} 216; a iustitia homines declinant quia deferunt multitudini contra iustitiam 34_{24} 270; poenae multitudinis peccantium 34_{24} 277; multitudo vulgi 38_{24} 590

mulus: ex asinis muli generantur 1_{3} 83; mulis antiqui maxime insidebant 1_{3} 84; qui subiacet concupiscentiae passionibus mulo comparatur 4_{19} 172

munditia, mundus: munditia in solo Deo perfecte invenitur 13 (14_{1}) 485, cf. 25_{6} 86, *vide* Deus; quicquid quocumque modo mundum vel purum est, a Deo munditiam et puritatem habet 13 (14_{1}) 487, *vide* puritas; de immundo facere mundum est eius qui per se mundus est 13 (14_{1}) 482

mundus, mundanus: principales partes mundi sunt terra, mare et caelum 38_{36} 614; terra fundata est super centrum mundi 38_{6} 130, *vide* terra; idem est factor mundi et gubernator 34_{18} 134; hoc quod res naturales sunt propter finem ostendit mundum regi divina providentia et non omnia agi fortuito 5_{8} 131; impossibile est quod universalis mundi gubernatio sit iniusta 34_{18} 143; antiqui naturales ponebant mundum casu factum esse Prol. 10; mundi cognitio imperfecta 5_{9} 153, *vide* homo; mens triplex hominis ad res mundanas 5_{19} 332; fides catholica non ponit substantiam mundi perituram sed huius mundi statum qui nunc est 14_{12} 127; quidam posuerunt hunc statum mundi in aeternum duraturum 19_{25} 285; resurrectio mortuorum communis in fine mundi expectatur 14_{12} 132. – *Vide* Deus, universum

munitio, munire: homines ad loca montana quasi munitiora confugiunt pro timore latronum vel hostium 24_{8} 80; quandoque munitiones per terraemotum deiciuntur 38_{15} 297. – Fortissima munitio: *brachium excelsum* 38_{15} 300

murmur, murmurare: aqua murmuris sonum facit 3_{24} 509; murmurare

contra Deum est Deum blasphemare 1_{11} 540

murus: obstaculum ex ipsa substantia negotii 30_{14} 161

musica, musicus: signa gaudii sunt musica instrumenta 30_{21} 295; apud antiquos liberi instruebantur in musicis 21_{12} 103

mussitatio: sine mussitatione 21_5 35

mustum: nisi vapor musti ferventis evaporet, multiplicatur quandoque usque ad vasis confractionem 32_{19} 179

mutabilitas: causa mutabilitatis est potentia 4_{13} 421; res temporales corrumpuntur ipso cursu mutabilitatis rerum 22_{14} 180. – Cursus mutabilitatis rerum: *fluvius* 22_{16} 181

mysterium: mysteria libri Beati Iob Prol. 99

N

nares: respiratio praecipue fit per nares 27_3 34, 41_{11} 178, cf. 41_{12} 187

natio: in parte septentrionali habitabant barbarae nationes 30_{12} 124

nativitas, nasci, natus: vita hominis per nativitatem in manifestum prodit 3_{10} 297; nativitate sublata conceptio non aufertur sed e converso 3_3 117; homo nascens a parentibus originem sumit 17_{14} 191; homo de muliere nascens maculam contrahit 25_4 72, *vide* concupiscentia; nati sunt quodammodo aliquid parentum 1_2 56, in auxilium rerum gerendarum solent esse parentes magis nati quam natae 1_2 65, *vide* filius, parens, pater; Herodes et Pharao diem nativitatis celebrabant 3_4 179; secundum astrologos nativitas diurna est laudabilior 3_3 120

natura, naturalis, naturaliter: quaelibet res naturam ex causis propriis habet 4_{17} 402; quod naturale est non potest totaliter vitari 6_5 69; ratio condicionem naturae auferre non potest 3_1 7; id quod consuetum est apprehenditur ab hominibus quasi naturale 39_5 73; ea quae naturaliter sunt nulli imputantur in culpam vel in malum 10_3 99; naturale est quod unumquodque perdat suum contrarium 10_3 100; natura agit propter finem 9_5 113; non omnia procedunt ex necessitate principiorum naturalium 5_9 170, cf. 163; res naturalis quae finis notitiam non habet ab aliquo superiori intelligente ordinatur in finem 9_5 116, cf. Prol. 20, ut sagitta a sagittatore 9_5 119

Ordine naturae caelum et astra priora sunt terra sicut incorruptibile corruptibili et movens moto 38_7 150, *vide* caelum; ad motum localem natura corporea nata est spirituali naturae oboedire 1_{16} 711, *vide* corpus; in rebus quae naturaliter generantur paulatim ex imperfecto ad perfectum pervenitur Prol. 1; diversis naturis unum et idem potest esse bonum et malum 10_3 79; hoc habet naturae ordo ut quod naturaliter generatur etiam determinato tempore corrumpatur 9_5 104; est naturale sensibili naturae ut et convenientibus delectetur et gaudeat et de nocivis doleat et tristetur 3_1 8, *vide* sensus; quando natura est fortis 7_5 114

Inclinatio naturalis est ex virtute divina quae est naturae principium 26_7 111, cf. 1_6 250, 26_7 108, non ut excludatur naturae operatio 10_{10} 237; a divino praecepto tota natura in sua operatione regulatur 9_7 188, cf. Prol. 24, 36_{20} 322, 37_6 97; omnis naturalis cursus rerum est quaedam motio creaturae ad praeceptum Dei 39_{27} 299; cognoscere naturam entis 22_{13} 124. – *Vide* Deus

Antiqui naturales ponebant solum causam materialem Prol. 14, et mundum casu factum esse Prol. 10. – Naturalis aptitudo: *spes* 14_7 71

nauta: anima humana quantum ad aliquid est in corpore sicut nauta in navi 4_{19} 473, *vide* anima

navis, navigare: quando navis movetur per mare, ad longum spatium vestigium navis transeuntis relinquitur 41_{23} 402; naves poma portantes ad vendendum festinant ne per moram putrescant 9_{26} 620; frequenter in mari fulmina cadunt quibus quandoque etiam naves periclitantur 41_{14} 236; in mari navigantes timent ne ab intumescentibus fluctibus submergantur 31_{22} 255; inveniuntur in mari pretiosa corporalia quia ibi depereunt in navibus ibi submersis 28_{14} 178

nebula: pluviis ex nubibus deorsum cadentibus, remanent vaporum reliquiae ex quibus nebulae generantur 26_9 126; per nebulas nobis tegitur caelum 26_9 128, 133; rupes excelsi montis quasi semper caligine nebularum obtegitur 28_5 69. – *Vide* nubes

necessitas, necessarius: non omnia procedunt ex necessitate principiorum naturalium 5_9 170, cf. 163; species terrae ex necessitate talem quantitatem non requirit 38_5 115; absque necessitate numeralis ordinis res in esse productae sunt 5_9 196; quidam situm elementorum attribuerunt necessitati materiae 38_4 96; illi qui providentiam negant omnia quae apparent in rebus mundi ex necessitate naturalium causarum provenire dicunt 5_9 148

Homo fundamentum aedificii collocat propter necessitatem habitationis 38_7 138; divitiae naturales hominum naturali necessitati subveniunt 27_{16} 193; prae nimia necessitate ad publicum sine vestibus nudus prodire 24_{10} 100; mane primo aliqui pauperes necessitate ducti praeoccupant tempus operis 24_{14} 148; spem habent iusti de Deo quod in tempore necessitatis eorum orationem exaudiat 27_9 108. – *Necessarii*: familiares et domestici 6_{13} 190, cf. 21_9 73

negare: dubitans propinquus est neganti 15_5 50

negligentia: quandoque defectus in operibus humanis invenitur ex negligentia propter infirmitatem carnis 9_{21} 681; sunt in viris iustis peccata levia et venialia quae ex negligentia et subreptione proveniunt 6_9 16; per negligentiam peccati initia reprimere non curans 4_{20} 531; pro familiarium delictis interdum domini puniuntur propter negligentiam corrigendi 11_{14} 220

negotium: negotia inchoata vel iam pene perfecta: *messis* 18_{14} 206; obstaculum ex ipsa substantia negotii: *murus* 30_{14} 161

nervus: interiora organa motus sunt cartilagines quaedam et nervi 40_{18} 378; organorum consistentia et robur est ex nervis et ossibus 10_{11} 252; qui ponuntur in carceris nervo, sic ligantur quod a nervo divertere non possunt 13_{27} 405

nescientia: angeli purgari dicuntur a nescientia (Dionysius) 41_{14} 288

nigromanticus: nigromantici nituntur cum daemonibus pactum inire aut eos sibi subicere vel qualitercumque constringere 40_{26} 650, cf. 645 (28_{22} 266)

nihil: in nihilum redigere, subtrahendo scilicet esse 11_{10} 156, *vide* Deus

niti: ex duobus homo nititur ad effectum operationis pervenire 18_7 92

nix: pluviae congelatae sunt nives 38_{29} 504, quae procedunt ex nubibus 37_{12} 193, cf. 37_{16} 241, 38_{22} 430, *vide* pluvia, nubes; nives magis propter eorum tenuitatem possunt penetrari 38_{22} 437; nivis dissolutio per

calefactionem 6_{17} 221; aquae nivis bene ablutivae dicuntur 9_{20} 669

nobilitas, nobilis: unumquodque tanto in maiori nobilitatis altitudine consistit quanto magis suo perfectivo substat 1_{20} 779; ipsum cognoscere est nobilissimum 3_{20} 441; meliora pascua nobilioribus animalibus reservantur 39_8 112

nocere, nocivus, noxius: qui aliis nocent per dolum 4_8 141, cf. 24_2 26, *vide* dolus, vel per manifestam violentiam 24_3 53, latrocinio intendentes 24_5 59; hoc quod aliquis aliis nocet etiam in suum nocumentum redundat 24_{22} 263; solent homines desistere a nocumento eorum qui aliis nocere non consueverunt 24_4 47; voluntas nocendi est homini a se ipso, potestas autem a Deo 1_{12} 572, 12_6 129, 15_{20} 196, cf. 40_{16} 404; sensus non potest non refugere id quod est nocivum 6_6 83, *vide* sensus; amara et noxia non potest cor hominis libenter acceptare 6_6 89, 92. – *Vide* nocumentum

nocumentum: in peccato procedentibus ex triplici causa proveniunt nocumenta 18_9 118; nocumenta proximis illata quandoque per modum calumniae inferuntur sub praetextu iustitiae, quandoque sine colore iustitiae 22_6 47; hypocritarum est dolose aliis nocumentum inferre 15_{35} 335, *vide* dolus, hypocrita; onychini nocumentum refrenatur per sardium 28_{16} 206. – *Vide* nocere

Noe: manifestum est Noe hominem in rerum natura fuisse Prol. 84

nomen: non est celebritas nominis nisi apud multitudinem 18_{17} 216; homini nomen bestiae competit cuius passionem imitatur 4_{16} 170

novitas, novus: si motus caeli in aeternum durabit nullus erit novissimus dies 19_{25} 290, *vide* dies; in gloriam novitatis exaltabitur homo resurgens 14_{15} 210. – *Novissimi*: minores de populo 18_{20} 236

nox, nocturnus: nox et dies fiunt secundum motum diurnum qui est primus motuum 38_{12} 231, 240, 38_{31} 539, *vide* caelum; ad bonum noctis pertinet secundum naturam quod decoratur aspectu stellarum et ex spe diei 3_9 278; finitur nobis lux diei et tenebra noctis sole accedente vel discedente ab hemisphaerio superiori 26_{19} 145, cf. 14_6 32, *vide* sol, tenebrae; diluculum est quoddam confinium diei et noctis 38_{12} 235

In tempore noctis res visu discerni non possunt 4_{15} 302, quaecumque modica commotio perturbationem inducere solet 4_{15} 303; aliud est opus noctis et aliud diei 37_7 116; nox est tempus deputatum humanae quieti 17_{12} 166; nox propter tenebras secundum se ipsam horrida est 3_6 216; in nocte pauca vel nulla fiunt memoria digna 3_5 228; nox non notatur per se ipsam in hominum memoriis sed ex die coniuncta 3_6 230; quaedam noctes sunt celebres et festivae 3_7 235, cf. 240; tempus nocturnum propter quietem magis est congruum revelationibus percipiendis 4_{13} 270; vigiles cantu aut instrumenti sono propinquitatem certarum horarum noctis declarant 38_{27} 641

Nox: subita et inopinata adversitas 34_{25} 295, quies contemplationis seu obscuritas visionis 35_{10} 109

nubes: ex vaporibus resolutis ex aqua generantur 38_9 198; soliditatem non habent 36_{28} 304; per nubes occultatur caelum 36_{29} 315, cf. 3_6 191, 9_7 192, 36_{26} 319, 37 (36_{22}) 5, 10, 37_{15} 233; quandoque in uno territorio nubes apparent et in alio non, et hoc dupliciter 37_{12} 203; in locis maritimis nubes magis multiplicantur 38_9 200; nubes ventorum impulsu ad diversas partes transferuntur 37_{12} 181, cf. 37_{17} 250, 37_{21} 322, 38_{26} 476, circuitu quodam 37_{12} 183, secundum Dei dispositionem 37_{12} 191, 37_{13} 215, 38_{27} 484, *vide* ventus; in hieme redeunt nubes non eaedem numero 7_9 199; radii solis reverberantur ad nubes 37_{11} 173

Ex divina dispositione dependet quis effectus ex nubibus consequatur 37_{12} 197, 200; procedunt ex nubibus diversi effectus, puta pluviae, nives, grandines, tonitrua et similia 37_{12} 193; vapores nubium successive in pluvias condensantur 36_{29} 307, cf. 26_9 126, 28_{25} 312, 36_{28} 302, *vide* vapor, pluvia; dum ex ventis nubes impelluntur causatur sonus tonitrui 38_{25} 468, cf. 37 (36_{22}) 7, 38_{24} 593, 597, *vide* tonitruum; de nubibus procedunt fulgura propter collisionem venti 36_{30} 317

Nubes ordinatae ad frumentum 37_{11} 157; nubes roris messoribus refrigerium praestans 29_{19} 184; nubium scientia comprehendit omnem notitiam impressionum quae aerem perturbant et effectuum in his inferioribus 37_{16} 247, cf. 241, *vide* aer. – *Vide* nebula

nuditas, nudus, nudatio: est quaelecumque nuditatis remedium si nudus saltem operimento domus non careat 24_8 84. – *Nudatio*: rapina 20_{19} 215; *nudus*: non sufficienter vestitus 22_6 56, non habens vestimenta 24_{10} 99

numerus, numeralis: secundum quosdam species numerorum usque ad decem protenduntur, postmodum priores numeri repetuntur 9_3 36, quod secundum nominationem manifestum est 9_3 39, cf. 33; maior numerorum qui apud nos proprium nomen habeat est millenarius 9_3 32, 43; apud nos numerum illorum esse dicimus quorum numerus a nobis stabilitur 14_5 12; solet septenario numero universitas designari 5_{19} 320, 42_8 69; caelestium virtutum numerus ignotus est homini 25_8 48, *vide* homo; absque necessitate numeralis ordinis res in esse productae sunt 5_9 196

nunc: in praesenti tempore 37_{21} 317

nuntius: angeli, idest nuntii, quia divina hominibus annuntiant 1_6 246, *vide* angelus

nutritio, nutrire, nutrimentum: per nutrimentum conservatur vita 18_{12} 160; adeps propter superabundantiam nutrimenti generatur 21_{24} 244; strutio non curat de nutritione pullorum 39_{16} 185; ex nutrimenti subtractione primitus homo incipit debilitari 18_{12} 162, et etiam subtrahitur vita 18_{12} 164; pretiosissimi lapides maxime nutriuntur in India 28_{16} 193

O

obfirmatio: cum cordis obfirmatione 11_{12} 209

obfuscare: luna et stellae ad praesentiam corporalis solis obfuscantur 25_5 80

obicere: contentio in respondendo et obiciendo consistit 9_{14} 390, *vide* contentio; solent disputantes contra dicta aliorum obicere 23_5 50, *vide* disputatio

oblatio, offerre: ante Legem datam fuerunt primitiarum et decimarum oblatio 1_5 161, *vide* hostia

obligatio, obligare: obligare se ad poenam 31_5 70; alio subici accedente aliqua obligatione 40_{28} 572

obliquatio, obliquare, obliquitas, obliquus: intentio Iob non erat ad exteriora bona obliquata 2_1 20; quan-

to regula propinquior est primae rectitudini minus habet de obliquitate 4_{18} 442; peccatum est obliquatio a lege Dei 11_5 33; rectum est iudex sui ipsius et obliqui 11_5 36

oblivio, oblivisci, obliviosus: per temporis longitudinem homo obliviscitur eorum quae novit 10_5 145; volens alicui reducere aliquid ad memoriam quod oblitus videtur 10_9 204; per oblivionem peccans contra legem Dei 23_{12} 202; mortui de facili oblivioni traduntur 20_9 95, cf. 8_{19} 289, 18_{18} 217, 38_{17} 341; strutio est naturaliter animal obliviosum 39_{15} 179. – Oblivio: *tenebrae* 18_{18} 220, cf. 38_{17} 339

oboedientia, oboedire: materia corporalis non oboedit ad nutum angelis ad susceptionem formarum sed soli creatori Deo 1_{19} 708, ad motum localem natura corporea nata est spirituali naturae oboedire 1_{19} 711; 'respondere' pertinet ad oboedientiam qua creatura Creatori oboedit 14_{16} 203; servus ad nutum oboedit domino 26_{11} 158; milites oboediunt imperio ducis 25_3 47

obrizum: aurum purissimum 31_{24} 271; 28_{15} 189

obscuritas, obscurus: claritas lunae et stellarum quasi obscuritas est immensitati divini luminis comparata 25_5 81. – Obscuritas visionis: *nox* 35_{10} 109; dubia et obscura: *tenebrae* 24_{17} 183; obscuritas horribilis: *turbo* 9_{17} 428, cf. 38_1 29; obscuritas culpae ducens ad mortem: *umbra mortis* 34_{22} 251

observatio, observare: qui bibit vinum cum aliqua observatione bibit ne inebrietur, quod in potu aquae non observatur 15_{16} 142

obstaculum: *murus, ianua* 30_{14} 161

obstetrix: mulieres cum pariunt indigent obstetricum obsequio 39_1 20; obstetrix sic educit infantem quandoque mortuum ut mater non laedatur 26_{12} 193

obstupescere: rationabile est quod ad praesentiam maioris virtutis minor obstupescat 4_{15} 291

occasio: diversis occasionibus iterato irretiri 40_{22} 369

occidens, occidentalis: si imaginemur motum firmamenti sicut motum unius animalis, oportebit ponere sinistrum caeli in occidente 23_8 85; apud quosdam inferius caeli intelligitur occidens 23_8 102; principium motus planetarum est in occidente 23_8 130, cf. 133, *vide* planeta; sol suo proprio motu movetur ab occidente in orientem 38_{22} 559, *vide* sol; longitudo terrae attenditur secundum progressum ab oriente in occidentem 38_{18} 354, *vide* terra; versus vespere flant venti occidentales 37_{12} 186, *vide* ventus. – *Vide* caelum

occisio, occidere: quandoque ab exteriori persecutore occiditur homo 27_{22} 241; quandoque impiorum filii qui in hoc mundo prosperati sunt occiduntur 27_{14} 170; de carcere educi ad occisionem gladii 36_{12} 108, cf. 27_{15} 180; concurrentes homines ad cetum occidendum 40_{28} 672

occultatio, occultare, occultus: humanae sapientiae origo occulta est ex parte intellectualis luminis et ex parte rerum cognitarum 28_{16} 233, *vide* sapientia; triplex modus occultationis solet in revelationibus contingere 4_{12} 236; adulter quasi non sufficiat ei occultatio noctis adhuc alias occultandi artes assumit 24_{15} 161; solent homines propter confusionis timorem contra iustitiam suam culpam occultare 31_{22} 334

Occultissima omnium causa scilicet Deus 28_{18} 235, cf. 38_9 195, *vide* Deus; loca occulta quaerunt fugitivi 15_{28} 280, eligunt cervae in quibus pariant 39_1 16; quod in sinu absconditur in occulto habetur 19_{27} 347; quaedam occultae creaturae scilicet venti et pluviae 28_{26} 308; occulta maxime videntur esse ea quae in corde latent 12_{24} 368; remanent multa in factore consideranda quae nobis occultantur 11_6 55

Occulta cognoscere ad intelligentiam pertinet 12_{12} 193, 12_{24} 367; divinae cognitioni subiacent pleraque ipsorum quae ab hominibus sunt occulta 28_3 56, *vide* homo; ex mutua collatione aliquid occultum indagari 22_3 12; non licet per immundos spiritus occulta perquirere sed solum per Deum vel per sanctos 4 (5,) 582. – In occulto cordis: *in sinu* 23_{12} 204

oceanus: undique terram circumdat 26_{10} 143, 148, *vide* mare

oculus: inter alias partes capitis sunt praecipui oculi 41_9 152; oculus ratione suae levitatis lucidus est 41_9 154; propter discursum humorum visus oculorum impeditur 16_{17} 225; est stibium quo mulieres utuntur ad ornatum oculorum 42_{14} 178; fortiter commoto capite vel oculis videtur quod emicet splendor ignis 41_9 145; id quod videtur oculis certius cognoscitur quam quod aure auditur 42_6 38, *vide* visus; solent homines maerore depressi oculos ad terram demersos habere 29_{24} 228; oculi ceti 41_4 51, 41_9 155; ex oculorum aspectu provenit concupiscentia mulierum 31_1 16, cf. 31_1 9, 24_{15} 157; ea quae ab oculis recedunt de facili a memoria transeunt 20_9 93; oculi corporis visuri sunt non divinam essentiam sed Deum hominem factum 19_{27} 326, etiam gloriam Dei in creatura refulgentem 19_{27} 329

Oculi alicuius deficere dicuntur quando aspicit ad aliquod apprehendendum ad quod attingere non valet 11_{20} 281, cf. 17_5 92; aliquis dicitur super aliquem oculos aperire cum eum dirigit et vias eius considerat 13 (14_9) 468; placidis oculis aliquem aliquis intuetur quando facta eius benigne interpretatur 16_{10} 118, terribilibus oculis quando bona interpretatur in malum 16_{10} 120; quasi caligat oculus rationis quando propter passionem iudicium eius in opere particulari decipitur 23_{17} 252. – Oculus rationis: *facies* 23_{17} 251

odium, odiosus: si ira in odium transeat 19_{11} 108; quando est nobis aliquid odiosum, omnia abominamur per quae in illud devenimus 3_8 101; odium inimicorum maxime manifestatur quando aliquis gaudet vel de totali ruina vel de malo superveniente 31_{29} 305; iudicis odium iustum vel iniustum 33_{10} 77, cf. 69; facies hominis odientis aperta est quando rationem sui odii non occultat 13_{24} 366

odor, odoriferus: boni odores assumuntur in signum laetitiae 18_{15} 196; signa tristitiae demonstrare quantum ad aliquos fetidos odores 18_{15} 190; taeda suavem odorem emittens 41_{10} 163; vapor odoriferus ex ore ceti 41_{10} 164

offensa, offendere: causa inimicitiae conveniens est offensa 13_{24} 358; ira est appetitus vindictae ex praecedenti offensa proveniens 5_2 10; aliquis offendit unde poenam meretur a Deo vel provocatus ad vindictam vel ipse primitus offendens 3_{26} 537; homo nihil condignum facere potest propriis viribus ad recompensandam offensam quam contra Deum commisit 7_{20} 449. – *Vide* culpa, poena, satisfactio; Deus

oleum: videtur pretiosius inter fructus terrarum 29_4 64

oliva: solent olivae optimum oleum habentes in locis lapidosis et arenosis esse 29_6 66

olla: quando olla fervet, aqua fervens in ea commovetur 41_{22} 389, cf. 41_{11} 186

omissio, omittere: omissiones proprie nominantur delicta 13_{23} 349, cf. 33_9 63; in pluribus peccat homo omittendo quam committendo 22_5 45, *vide* peccatum

Omnipotens: qui sunt in tempore modum aeternitatis Omnipotentis comprehendere non valent 24_1 15, *vide* homo

onager: asinus silvestris est 11_{12} 196, 24_5 57, 39_5 69, 71, 39_9 113, a servitute humana liber 39_5 69, 82; onagri habitaculum 39_6 88, 91, 93, 96. – *Vide* asinus

onus: adversitas quasi onus quoddam levius fertur quando a pluribus portatur 2_{12} 246

onychinus: noxias virtutes habet, scilicet excitandi tristitias et timores 28_{18} 204; nocumentum eius refrenatur per sardium 28_{16} 206

opacus: terra in se opaca est 10_{21} 468

operarius: operarius semen a domino susceptum serit et multiplicatum reddit, segetes congregando in aream et post trituram in horreum domini reportando 39_{12} 151; homo operariis denegans pretium laboris dupliciter 31_{39} 395

operatio, operari, operativus: omnia habent dispositionem naturalem congruam propriae operationi 5_6 112; ex bonis homo habet facultatem operandi 30_{22} 140; vitalium operationum principium est cor quod sub costis continetur 18_{12} 166, *vide* cor; est proprium voluntatis ut propter finem operetur 36_{21} 324; ad effectum suae operationis nititur homo pervenire per propriam fortitudinem vel per patientiam 18_7 92; rationem operantis aliquis cognoscit dupliciter 15_7 70; adiuvare videtur aliquem qui eius operationem defendit 26_4 19. – Operatio: *manus* 5_{15} 312, 10_8 177, cf. 37_7 122, *via* 8_{13} 218; operandi facultas: *pedes* 30_{12} 141. – *Vide* opus

opponens: est disputatio inter duas personas, scilicet opponentem et respondentem 13_{22} 307, *vide* disputatio, contentio; in opponente maxime requiritur acumen intellectus 34_{24} 392

oppressio, opprimere, oppressor: opprimere in hominibus malum est 10_2 90; opprimentium quidam opprimunt per potentiam, quidam decipiunt per astutiam 5_{12} 240, cf. 35_9 84, 29_{17} 154; qui innocentem opprimere volunt non sunt iusti sed impii 10_3 111; homines oppressi clamant ad Deum contra oppressores 35_9 83

optare: quaedam per modum optandi dicuntur ad exprimendum iudicium quod de aliqua re habetur 3_4 151; contingit aliquem alicui malum dicere imprecando vel optando 3_1 50; claritas prosperitatis ex hominis affectu procedit dum sibi provenit quod optat 18_5 66, *vide* felicitas, prosperitas

opulentia: ad temporalem prosperitatem pertinet exteriorum rerum opulentia 21_{22} 238, *vide* prosperitas; superbiam opulentia plurimum gignit 1_4 117, *vide* superbia

opus: inter opera vitae praecipuum est intelligentia veritatis 33_4 32; diversis hominum operibus diversae dispositiones aeris congruunt 37_7 115, cf. 119; solent homines dupliciter a suis operibus impediri 24_{17} 177; semper in operibus humanis aliquis defectus invenitur scilicet ex ignorantia vel negligentia vel infectione terrenae affectionis 9_{21} 679, semper etiam aliquid deficit a puritate divinae iustitiae 9_{21} 686; per vestimenta exteriora opera designantur 9_{21} 692. – Opera: *viae* 11_7 107, 26_{14} 199, 34_{21} 242, 36_{22} 249, 36_{24} 258, 40_{14} 388; operum processus: *gradus* 31_{27} 378, *itinera* 30_{13} 151, *viae* 31_4 59; opera virtutis: *manus* 37 (36_{23}) 8; opera peccati: *germina* 20_{28} 333. – *Vide* operatio

oratio, orare: homo pro se proponere coram Deo potest orando 33_{26} 292; ad hoc quod liberetur oportet quod homo pro se oret 33_{26} 286, cf. 27_9 108; utilis est oratio quando homo iniquitatem dimittit et postea a Deo petit ut a puniendo cesset 11_{14} 212; inter satisfactionis opera quasi praecipuum videtur esse oratio 8_5 98; providentia divina sublata, orationis fructus tollitur 5_8 136

orbiculariter: circulariter sive orbiculariter 1_5 150

ordo, ordinare: absque necessitate numeralis ordinis res in esse productae sunt 5_9 196; creaturarum ordinem ad plenum comprehendere non possumus secundum quod a divina providentia dispensatur 11_4 59, *vide* homo; ordine naturae caelum et astra priora sunt terra sicut incorruptibile corruptibili et movens moto 38_7 150; caelestium ordo indeficiens perseverat 22_{14} 144; ordo elementorum 38_8 173, cf. 26_{10} 137; quidam antiquorum situm terrae et aliorum elementorum non attribuerunt rationi ordinanti 38_4 96; in eventibus humanis nullus certus ordo apparet Prol. 31; dubitatio de actibus hominum utrum ordinatione superiori ordinentur Prol. 26. – *Vide* Deus

organum, organice, organisatio: anima rationalis non infunditur nisi post organisationem 10_{12} 257; organorum consistentia et robur est ex nervis et ossibus 10_{11} 252; organa circumdantur exterius a pelle et carnibus 10_{11} 253; exteriora organa motus sunt tibiae et crura, interiora vero cartilagines quaedam et nervi 40_{13} 377; prosperitas terrena organice deservit ad veram hominis felicitatem 8_{12} 196

oriens, orientalis: principium motus totius firmamenti manifeste apparet in oriente 23_5 82, 23_8 122, cf. 23_8 99; si imaginemur motum firmamenti sicut motum unius animalis, oportebit ponere dextrum caeli in oriente 23_8 85; quidam posuerunt superius caeli esse partem orientalem 23_8 96; si imaginaremur unum hominem qui sua dextera moveret caelum ab oriente versus superius hemisphaerium 23_8 90; meridies est dextrum respectu orientis 30_{12} 132; longitudo terrae attenditur secundum progressum ab oriente in occidentem 38_{16} 354, *vide* terra; in mane flant venti orientales 37_{12} 185, *vide* ventus. – *Vide* caelum

In partibus Orientis usque hodie sunt pauci habitatores prae latitudine regionis 1_3 72; in tabernaculo plurimi Orientalium habitare consueverunt et suas divitias et supellectiles habere 8_{22} 324; maxime in partibus Orientis agrorum possessio non ita pretiosa erat sicut animalium 1_3 69; solent in Oriente impugnationes insurgere a parte septentrionali 30_{12} 122; arcubus maxime Orientales utuntur ad bella 29_{20} 192

Origenes: etiam nunc quoscumque spiritus creatos instabiles asserit et posse ad pravitatem perduci 4_{18} 453

Orion: constellatio multum evidens in caelo 9_9 244

ornatus, ornare: homo ornatur ex specioso vestimento 40_5 118, cf.

29_{14} 131, *vide* speciositas; est stibium quo mulieres utuntur ad ornatum oculorum 42_{14} 178; ornatus corporis interdum post mortem homini remanent, sed postea etiam his nudatur 14_{10} 90; in sapientia honor hominis et ornatus consistit 18_3 30; equus ex exteriori ornatu ad libidinem provocatur 39_{19} 222. – *Vide* decor, speciositas

os (oris): animal respirat etiam per os 41_{18} 187; respiratio quae fit per os non est adeo congrua (Aristoteles) 27_3 35; animalia afflictionem cordis ore exprimunt 6_5 70; subicit homo sibi equum aut asinum vel camelum imponendo frenum vel camum in ore eius 40_{21} 551; de ore ceti, *vide* cetus. – *Os*: animus 29_{23} 218; *os angustum*: tribulatio 36_{16} 158

os (ossis): ossium robur nutrimento medullarum sustentatur 21_{24} 248; organorum consistentia et robur est ex nervis et ossibus 10_{11} 252; labia sunt carnea quae dentibus sicut ossibus adhaerent 19_{20} 191; elephantes habent ossa solida sine iuncturis 40_{15} 372. – *Ossa*: fortitudo 21_{24} 248, 33_{19} 219 id quod est in homine roboris 7_{15} 330

ostium: ostia ad hoc ponuntur quod aliquis non passim egrediatur aut ingrediatur sed secundum certam regulam 38_{11} 222; dicitur cardo in quo volvitur ostium 22_{14} 145. – *Ostium*: certus terminus 38_3 180

ovis: oves maxime deserviunt ad victum et vestitum personae 1_3 73; quod haec ovis occidatur ab hoc lupo dispensatur a Deo propter bonum specierum 7_{17} 385

ovum: *vide* strutio

P

paenitentia, paenitere: potest homo per paenitentiam delicta diluere 9_{12} 342; quocumque modo homo per peccatum ruat, si peccatum suum recognoscat et paeniteat misericordiam consequetur 4_{20} 540, 36_8 72; plus prodest unicuique sua paenitentia quam aliis 42_{10} 99; non est universaliter verum ut post paenitentiam homines temporalem prosperitatem recuperent 17_6 86; quamvis homo a peccato paeniteat a mortis tamen necessitate non liberatur 4_{21} 556; simulatores et callidi de facili non paenitent etiam inter flagella 36_{12} 126

palea: paleae propter levitatem resistere non possunt vento 21_{18} 178; homo non potest laedi a paleis et de facili eas frangit 41_{18} 322

palma: diutissime vivit 29_{18} 170

panis: est cibus communis 33_{20} 223, cf. 27_{16} 193

parabola: per similitudines loqui ad modum parabolas inducentium 27_1 12, cf. 3_6 206, 29_1 20

parcere: ad parcendum inducere solet parvitas et miseria hominis 7_{16} 350, *vide* misericordia

parens: homo nascens a parentibus originem sumit ex qua cum eis affinitatem contrahit 17_{14} 191; nati sunt quodammodo aliquid parentum 1_2 56; parentes in filiis vivunt 18_{19} 226, cf. 14_{21} 313; parentes magis affectare solent filios quam filias 1_2 61; ex magno contemptu parentis provenit quod patrem oporteat suppliciter filium deprecari 19_{17} 159. – *Vide* nativitas, pater, filius

paries: ad lapidem angularem diversi parietes congregantur 38_6 133

pars: quod conteritur, quadam violentia fortioris corporis in minimas partes resolvitur 40_7 179; principales partes mundi sunt terra, mare et caelum 38_{26} 614, 38_{13} 258, cf. 38_4 82, *vide* meridies, occidens, oriens, septentrio; anima est principalior pars hominis 4_{19} 488, *vide* homo; sensualis pars non habet locum nisi ad corporalia et praesentia 3_{15} 385, *vide* sensus; prima et principalior pars capitis est cerebrum 41_9 138, deinde sunt oculi 41_9 152; fundamentum est infima aedificii pars 38_4 86, *vide* aedificium; etiam in praesumptionibus seu suspicionibus in meliorem partem dicta vel facta interpretanda sunt 4_2 18

Pars sive hereditas 27_{14} 166, cf. 31_2 37, 39, *vide* hereditas; illud unicuique pars esse videtur quod quasi potissimum bonum desiderat 24_{18} 203; boni percipiunt quasi suam partem spiritualia bona 27_{13} 153, cf. 31_2 30; peccator in rebus terrenis quasi in sua parte ultimum finem constituit 24_{18} 204, cf. 27_{15} 149

particularis: apud homines, superior in regendo relinquit particularia inferioribus rectoribus dispensanda 11_6 63

partus, parire: mulieres cum pariunt indigent obstetricum obsequio 39_1 20; animalibus quorum partus homines latet Deus exhibet auxilium per naturalem industriam 39_1 22, 39_2 33, cf. 39_4 42; partus non est animalibus delectabilis sed poenosus 39_3 40

parvipendere: ex desperatione contingit quod homo salutem et corporis et animae parvipendit 13_{14} 202

parvitas: parvitas et magnitudo est in hac vita secundum inaequalitatem prosperitatis terrenae 3_{19} 422, cf. 428; ad parcendum inducere solet parvitas hominis 7_{16} 350; ad parvitatem animi pertinet quod aliquis non se aestimet posse prosperari inter alios prosperantes 5_2 29, *vide* pusillanimis; ex parvitate animi contingit quod homines sint simulatores 36_{14} 140

Pascha: dies Paschae celebranda propter beneficium liberationis ex Aegypto 3_3 172

pascua: asinis domesticis non dantur optima pascua sed nobilioribus animalibus 39_8 110

passio, pati: multotiens homo aliquos motus in corde patitur propter passionem 10_1 26; homo non potest ad liquidum motum sui affectus deprehendere propter permixtionem et impetum multarum passionum 9_{21} 499; ex vehementi animi passione etiam caro immutatur 21_6 44; non per passionem nostri actus domini sumus sed per solam rationem 3_1 33, cf. 31, *vide* liber; passionibus ratio ligatur circa particularia 12_{25} 395, 23_{17} 252, cf. 13_{21} 302, *vide* ratio; consuetum est apud sapientes ut ex ratione loquantur passionum motus quos sentiant 3_1 36, cf. 10_1 30; circa passiones animae duplex fuit antiquorum opinio 3_1 2, *vide* tristitia

pater: adolescentis patris filios pueros esse oportet 29_6 53; ad correctionem per modum disciplinae pater castigat filium 20_{23} 273; patri oportet a filio reverentiam exhiberi 19_{17} 160; ex magno contemptu parentis provenit quod patrem oporteat suppliciter filium deprecari 19_{17} 159. – *Vide* nativitas, parens, filius

paterfamilias: melioribus mercennariis maiores labores committit, sed eis maiora munera largitur 7_1 48

patientia, patienter: quidam gravem tristitiae passionem patiuntur sed ab ea non abducuntur, et hoc videtur ad patientiam pertinere 4_6 93; inter patientiam et fortitudinem differentia qualem assignant philosophi inter continentiam et castitatem 4_6 96. – Patienter portare dolores: *sustinere* 17_{13} 180

patria: alicui patriae exercitus hostium superveniens 5_{21} 371

patrimonium: adulter subtrahit totam patrimonii successionem 31_{11} 146, 31_{12} 149

patronus: mercennarii a patrono mercedem expectant 7_1 40; domestici patrono mortuo luctum agunt 18_{15} 190

paupertas, pauper: paupertas est vinculum quo homines ligantur ne opera sua possint implere et insuper multis miseriis astringuntur 36_8 77; pauperes omnia circueunt 28_4 80; mane primo aliqui pauperes necessitate ducti praeoccupant tempus operis 24_{14} 149; pauperi eleemosynam petenti responsio triplex 31_{16} 186; pauperes instare solent 31_{16} 199; pauperes plerumque gravamina stultorum divitiis abundantium sustinere non valentes quasi coguntur ad rapiendum bona divitum 5_6 82

pavimentum: qui pavimentum iacit super aliquid ipsum firmat 26_7 100

pavor, pavere: homines ad insolita pavere consueverunt 4_{14} 277; pavor in angelis refertur ad affectum 26_{11} 163

pax: aliter homo obtinet pacem a potentiori, aliter a minus vel aeque potenti 9_4 63; nullus cum Deo pacem habere potest resistendo sed solum humiliter oboediendo 9_4 77. – *Vide* Deus

peccatum, peccare, peccator: principium peccatorum est superbia 33_{17} 195, 40_4 132, *vide* superbia; peccator in rebus terrenis quasi in sua parte ultimum finem constituit 24_{18} 204; homo per peccatum decidit a dignitate rationis et contra rationem agens irrationabilibus comparatur 40_{19} 230; per peccatum vita iustitiae in homine consumitur vel ex interiori corruptione vel ex exteriori tentatione 4_{20} 522; peccatum est obliquatio a lege Dei 11_5 33; quicumque peccat Deo contrarius est 7_{20} 468, 487, cf. 35_9 92; non potest plene peccatum cognosci vel quantitas eius nisi lex Dei cognoscatur 11_5 34; nullus est qui omnia peccata possit cognoscere 4_{20} 542

Non est aliqua condicio hominum cui non adsit pronitas ad aliquod peccatum 5_8 6, 32; homo per se ipsum in peccatum labitur 7_{21} 494; fragilitas humana facile labitur in peccatum 13_7 82, 6_2 13, 15_{11} 121; difficile est hominem terrena conversatione absque iniquitate peccati mortalis uti 16_{20} 263; adolescentia est magis praeceps ad peccandum 20_{11} 121, 29_8 80; in viris iustis non sunt peccata gravia et mortalia sed levia et venialia 6_2 15; qui peccatorum sunt inexperti difficilius ad peccata prolabuntur 27_6 63; ex peccato praeterito inferioribus viribus est addita pronitas ad similes actus 7_{20} 483, 27_6 62, 18_9 120, 123; ratio interdum ad modicum absorbetur per inferiorum partium passiones et sic homo peccat 7_{20} 474, cf. 18_9 123, 23_{17} 247, *vide* ratio; peccantes per malitiam etiam lumen exterius detestantur tenebras amantes 24_{14} 143, cf. 23_{17} 245, 24_{22} 282, sapientiam odiunt ipsorum peccata arguentem 24_{13} 127, 138; propter ignorantiam affectatam peccatores non excusantur sed magis damnabiles redduntur 34_{27} 312

In peccato sunt multae diversitates quibus homines diversimode illaqueantur 18_8 107; peccatorum quaedam sunt commissa quae contra praecepta legis negativa fiunt, quaedam omissa quibus praecepta affirmativa negliguntur (*delicta*: 13_{33} 340) 13_{33} 335; commissa peccata sunt in nocumentum proximi (iniquitates), vel in se ipsum per deordinationem actus (peccata), vel directe contra Deum (scelera) 13_{33} 338; in pluribus peccat homo omittendo quam committendo 22_5 45; homo tripliciter peccat scilicet in proximum, in Deum, in se ipsum 1_1 20, in proximum vero occulte per dolum et manifeste per vim 1_1 28; contra legem divinam exteriorem homo peccat dupliciter, scilicet per contemptum aut per ignorantiam vel oblivionem 23_{12} 197

Peccata exterioribus adversitatibus implicant 18_{12} 151; ille qui se sponte ingerit ad peccandum ad hoc se disponit ut processus eius impediantur 18_8 104, cf. 18_9 112; nocumenta ex triplici causa proveniunt in peccato procedentibus, scilicet ex parte ipsius peccantis, vel ex ipsis rebus in quibus peccat, vel ex parte aliorum 18_9 118; peccato homo amittit Deum 28_{25} 351; homo per peccatum fit sibimet ipsi gravis, inde peccatum statim suam poenam habet 7_{20} 487; poenae corporales non videntur directe causari ex ipsis peccatis nisi forte ex aliquibus 18_{12} 154; adversitas temporalis non est propria poena peccatorum 1_{10} 522, nec semper poena peccati 21_{16} 141, cf. 7_{21} 508, 9_5 141, 21_9 77, 24_{22} 274, 33_{20} 343, *vide* adversitas; peccator non attribuit divinae misericordiae quod non statim punitur, sed ex hoc sumit peccandi audaciam usque ad Dei contemptum 24_{22} 279, in malum pervertens bonum exhibitum 24_{22} 277; poenae multitudinis peccantium 34_{24} 276; si propriae poenae peccatorum essent adversitates vitae praesentis 6_2 18; si peccatum est tota causa adversitatum praesentium 10_{15} 318

Quocumque modo homo per peccatum ruat, si peccatum suum recognoscat et paeniteat misericordiam consequetur 4_{20} 540, *vide* paenitentia; solius est Dei peccatum remittere 7_{21} 495, *vide* Deus; ad conversionem tria requiruntur, scilicet ut peccator absque mora a peccato surgat, ut homo pro peccatis satisfaciat, ut homo perseveret cavens sibi a recidivo peccati 8_5 91, cf. 33_{26} 304, 36_{10} 99, 20_8 87, 20_{13} 136; singula peccata convenientibus satisfactionibus sunt expianda 1_5 185, *vide* satisfactio; plurimi hominum peccata non cognoscentes eis remedia non adhibent 4_{20} 544, cf. 4_{21} 549; pro gravibus peccatis expiandis antiqui consueverunt sacrificia offerre 42_8 66

Inter peccata magnum locum obtinent deceptiones et fraudes 12_{14} 255; simulatores et callidi gravius peccant 36_{13} 124; peccatum proprium potentum est ut subditis violentias inferant 36_9 88; solet hoc esse proprium in peccatis perseverare volentium ut divina contemnant iudicia 34_8 74; delectatio peccati convertetur peccatori damnato in vermem 24_{20} 235; in finali iudicio sancti revelabunt iniquitatem peccatoris 20_{28} 331

Peccatum originale est caligo inducens ad mortem 10_{21} 448; credimus mortem ex peccato primi hominis provenisse 14_{18} 152, 19_{25} 254; a peccato primi hominis per Christum redimendum erat genus humanum 19_{25} 258

Peccata: *tenebrae* 23_{17} 244, cf. 10_{21} 450; peccata sollicite excogitata: *adinventiones* 20_{18} 207; opera peccati: *germina* 20_{28} 333; delectatio peccati: *dulcedo* 24_{20} 235

pecunia: a pecudibus pecunia nominatur (Augustinus) 29_4 58; quaedam sunt divitiae artificiales, scilicet pecunia quae est adinventa quasi mensura commutationis rerum (Aristoteles) 27_{16} 187; ex argento pecunia fieri solet 22_{25} 276

pecus: inter fructus pecudum pretiosior videtur esse butyrum 29_6 59; apud antiquos divitiae praecipue in pecudibus erant, a quibus propter hoc pecunia nominatur 29_6 57

pedaneus: pedanei iudices 29, 76

pellis: organa circumdantur exterius a pelle et carnibus 10_{11} 253; de pelle solvere a lardo iuxta caudam 40_{24} 627; scripturam describere per impressionem in pelle 19_{23} 234

penna: instrumenta congrua ad volandum scilicet alae et pennae 5_7 117, *vide* ala; pennae accipitris 39_{26} 288, strutionis 39_{13} 161

perceptibilis: quanto aliqua sunt altiora tanto humano respectu sunt minus perceptibilia 4_{12} 223

percussio, percutere, percussura: solent homines aliquos superare non solum percutiendo sed etiam percussionem comminando 41_{20} 358; ille dicitur in faciem aliquem percutere qui ei improperium in facie dicit 16_{11} 124; mallei vel lapidum fundae percussura 41_{20} 354; comminatio percussurae 41_{20} 363

perditio: perditio et mors important recessum et elongationem a bonis quae sapientiam consequuntur 28_{23} 271; iniquus qui luxuria involvitur in perditionem vadit 31_2 49

peregrinus: via per quam peregrini transeunt 28_4 76

peremptivus: hoc est contra aliquem quod est peremptivum ipsius 10_1 22

perfectus, perfectivus: id quod perfectius est desiderabilius est 1_2 62; perfectum bonum est hominis finis 7_2 75; cum formidine homo facit illud quod scit se perfecte facere non posse 37_{23} 350; unumquodque tanto in maiori nobilitatis altitudine consistit quanto magis suo perfectivo substat 1_{20} 779; perfectissimi viri interdum gravissimas adversitates patiuntur 5_{19} 341, *vide* adversitas

perfligere: frigore perfligi 24_8 79

periculum: peccator sponte ingerit se periculis et non desistit 18_9 112, cf. 18_{10} 132, 136; homo propter peccatum luxuriae incurrit periculum personae et rerum 31_3 47, cf. 24_{17} 180; arrogantes cum volunt se erigere supra posse periculose corruunt 40_6 160; si quis sufficienter de Deo loqui se aestimaret, ex hoc ipso sibi periculum immineret 37_{20} 299; timor corporalium periculorum maxime solet procedere ex multitudine contra hominem insurgente 31_{24} 344; dux exercitus strenuis militibus non parcit a periculis 7_1 43; gravia pericula in revelationibus contenta 4_{16} 376; pericula personalia et generalia 5_{20} 346; equus audacter ad pericula vadit 39_{19} 220

periodus: difficillimum est cognoscere quis sit periodus vitae et permanentiae cuiuslibet rei 38_{17} 334

Peripatetici: posuerunt quod bona exteriora sunt aliqua hominis bona non quidem principalia 1_{20} 740, sapientem in amissionibus exteriorum bonorum moderate tristari concedebant 1_{20} 744, cf. 3_1 4, 6_{12} 165, quae sententia verior est et ecclesiasticae doctrinae concordat 1_{20} 747

perire: ea quae non totaliter pereunt reparari posse videntur 14_{11} 100. – *Perire*: adversitatem pati 23_{17} 243

permanentia, permanere: est difficillimum cognoscere quis sit periodus vitae et permanentiae cuiuslibet rei 38_{17} 334; visio diurna est rei permanentis 20_4 85

perpetuitas, perpetuus: secundum modum quo aliqua participant perpetuitatem, essentialiter ad perfectionem universi spectant 7_{17} 371; secundum quod aliqua perpetua sunt, sive specie et individuo sive specie tantum, propter se disponuntur a Deo 7_{17} 376; perpetuitas quae in persona salvari non potest quaeritur in prole 1_{12} 617

perscrutari: homines quorum mens occupata est tristitia non possunt subtiliter perscrutari 9_{24} 733

persecutio, persequi: persona hominis quandoque perit per aliquam persecutionem 27_{21} 235, 27_{22} 241; quandoque aliqui persequuntur potentes propter invidiam vel timorem 36_6 41. – Exterior persecutio: *laesio vineae in primo flore* 15_{33} 315

perseverare: requiritur quod homo in sollicitudine ad Deum imitandum perseveret 23_{11} 193; ad conversionem requiritur ut homo perseveret cavens sibi a recidivo peccati 8_6 99; homo post corruptionem humanae naturae perseverare non potest sine gratia Dei 7_{20} 460; solet hoc esse proprium in peccatis perseverare volentium ut divina contemnant iudicia 34_8 74. – Perseverare in orando: *stare* 30_{20} 217

persona: principium prosperitatis temporalis, post bonam consistentiam personae propriae, consistit in personis coniunctis et praecipue in natis 1_8 54, cf. 15_{20} 300; veritas ex diversitate personarum non variatur 13_{20} 287; ille in respondendo personam hominis accipit qui veritatem relinquit ut homini deferat 32_{21} 191, *vide* acceptio; quaedam in iuvenibus tolerantur quae in personis gravibus reprehensibilia sunt 1_5 137; periculum personae et rerum 31_3 48; Iob loquens ex persona sensualis partis 3_{15} 383. – Status personae: *locus* 7_{10} 224

perspicacitas: perspicacitas equi in bello 39_{25} 277

perspicuitas: vitrum habet pulcritudinem ex perspicuitate 28_{17} 217

perstupescere: *perstupesco*, ne in aliquo a veritate deficiam 21_6 40

pertransire: prosperitatem huius mundi pertransire, ab ea pertransiri 9_{25} 588; tunc iudex peccatum videns inconsiderate pertransire videtur quando dissimulat et poenam apponere non curat 11_{11} 184

perturbatio, perturbare: a principio homo sic institutus fuit ut nullis subiaceret perturbationibus si in innocentia permansisset 1_2 51; in tempore noctis modica commotio perturbationem inducere solet aestimantibus aliquid maius esse 4_{15} 302; apparitio a spiritu malo hominem perturbatum relinquit 4_{16} 357; effectus perturbationis quam diabolus in mundo concitat quandoque diutius durat 41_{23} 407

perversitas, perversus: perversitas rationis est stultitia 5_8 23; maxima perversitas videtur ut aliquis Deum irrideat eius iudiciis detrahendo 34_7 66; perversi homines solent non ex recta intentione sanctos agere calumniari 1_9 480; ex vita sanctorum condemnabilis ostenditur perversitas impiorum 1_8 472. – *Vide* intentio

pes: qui sponte ponit pedem in reti se praeparat captioni 18_8 103. – *Pes*: affectus et quaecumque virtus animae est motionis principium 31_6 75, cf. 23_{11} 188, facultas operandi 30_{12} 141, 30_{13} 149

petrosus: in locis petrosis non est multa vaporum resolutio 39_{28} 308; ibices in locis petrosis habitant in quibus et pariunt 39_1 9; ad petrosa loca non de facili patet hominibus accessus 39_1 11

phantasma: visio nocturna, idest visio phantasmatis non permanentis 20_8 82; solent nocturna phantasmata conformia esse diurnis cogitationi-

bus 7_{14} 314; infirmitas corporis ad hoc operatur ut perturbata phantasmata dormientibus appareant 7_{14} 318; aliquando propter nimiam commotionem fumositatum et humorum totaliter suffocantur phantasmata 4_{16} 312. – *Vide* somnium

Pharao: diem nativitatis celebrabat 3_4 181

pharetra: pharetra plena sagittis concutitur ad motum militis equo insidentis 39_{22} 256; ex pharetra sagittae extrahuntur 30_{11} 103

philosophus, philosophicus: philosophi excellunt in consideratione veritatis 12_{20} 313; aliquando Deus obnubilat philosophorum mentem 12_{20} 316; terra quandoque secundum aliquas partes movetur naturaliter ut philosophi tradunt 9_6 150; circa corporalia bona et animi passiones antiquorum philosophorum diversa opinio fuit 1_{20} 735; differentia qualem assignant philosophi inter continentiam et castitatem 4_6 96; intellectualis cognitio non convenit nisi substantiae incorruptibili ut a philosophis probatur 14_{20} 308; posteriorum philosophorum diligentia perspicacius intuens veritatem, ostenderunt res naturales providentia agi Prol. 17; reditum ad vitam carnalem quidam philosophi posuerunt 7_{19} 228; metrice philosophica describere 36_{24} 263

Pictagorici: ponebant corpora caelestia animata 38_{27} 654; ex motu caelorum posuerunt sonitum harmonizatum provenire 38_{27} 651

pietas: ipse est Deus cui debetur pietatis cultus 34_{19} 111, 40_7 177; impii pietatem divinae religionis abiciunt 34_6 83, cf. 34_{26} 303, *vide* Deus

pinguedo, pinguis: pinguedo ex abundantia humorum causatur 15_{26} 258; butyrum est lactis pinguedo 29_6 60; pinguedo ceti 40_{24} 629. – *Pinguedo*: abundantia temporalium 15_{26} 259. – *Vide* adeps

piscis, piscator: hominibus occultae et mirabiles sunt piscium dispositiones in mari viventium 38_{16} 305; nullus piscis habet collum nisi illi qui generant animalia (Aristoteles) 41_{12} 203; in corpore piscis una squama uni coniungitur per ordinem 41_7 108; quandiu piscis est vivus et fortis et squamae eius sunt in vigore 41_7 112, aut non 41_7 115; pisces capiuntur hamo 40_{19} 494, per funem cui hamus appenditur retinentur 40_{20} 540, cf. 40_{28} 622, 633; maioribus piscium captorum piscatores implent magnas sagenas 40_{25} 622, minoribus autem alia minora instrumenta 40_{26} 633, ut gurgustium 40_{26} 636; piscator ceti 40_{24} 627; per Leviathan intelligitur aliquis magnus piscis 3_8 253. – *Vide* cetus

plaga: sol remotus est a plaga caeli septentrionali 37_9 147

planeta: motus planetarum est ex adverso motus firmamenti, unde principium est in occidente 23_8 130; versus partem meridionalem quoad nos procedunt motus planetarum 23_8 101; admirabilis apparet motus planetarum in quo cum sit omnino uniformis quaedam irregularitas ad sensum videtur 38_{22} 550, 570. *vide* sol; motus planetarum magis intelligitur ex diversitate situs planetarum quam appareat oculis 23_8 135. – *Vide* stella

plantare: arbor si extirpetur et iterum plantetur 15_{29} 290; rami virentes possunt plantari 15_{30} 299

platea: in plateis multitudo solet inveniri 18_{17} 216

Plato, Platonici: posuerunt Platonici quod animae hominum derivabantur ab animabus stellarum 37 (36_{23}) 35; Plato in futuris temporibus lecturus Athenae et eadem acturus quae prius egit 7_6 141, *vide* reditus

plenitudo: in Christo est omnis virtutis et sapientiae plenitudo 3_1 14. – *Plenitudo dierum*: abundantia bonorum 42_{16} 204, cf. 201

plerique: divinae cognitioni subiacent pleraque hominibus occulta 28_2 56

Pliades: dicuntur stellae quae lucent in capite Tauri, quarum sex apparent valde propinquae, septima autem obscurior 38_{31} 536

plorare: ascendens multa lacrimarum materia ad caput, facies plorantium intumescit 16_{17} 221; in solemnibus sepulturis plorantur viduae 27_{15} 182

pluvia, pluere, pluviosus: principium pluviae est in alto 5_{10} 219; pluviae ex motu vaporum resolutorum ex terra et aqua fiunt 1_{19} 718, *vide* vapor; ex nubibus procedunt diversi effectus, puta pluviae 37_{12} 193, cf. 26_9 126, 36_{28} 302, 37_{16} 241; pluviarum et roris causa est calor resolvens et non permittens congelari vaporem 38_{29} 507, cf. 38_{28} 498, nec differunt nisi secundum multitudinem et paucitatem materiae 38_{28} 499

Ex causis naturalibus provenit quod pluviae cessent usque ad omnimodam siccitatem aut abundent usque ad terrae subversionem 12_{16} 233, cf. 28_{25} 316; sol et alia caelestia corpora sunt proxima causa efficiens generationis pluviarum 38_{28} 497; pluviae ex divina ordinatione super terram cadunt 37_{15} 232, cf. 26_8 120, 28_{25} 312, 37_{15} 215; aliud est naturali cursu pluere quod solius Dei est, aliud est causis naturalibus artificialiter uti ad pluviam 1_{19} 726; meridionales venti pluvias et tempestates producunt 37_9 131, 37_{10} 153; si nubes et pluviae non impellerentur a ventis numquam in locis siccis plueret 38_{26} 477, in locis desertis cf. 38_{27} 484; ex ventis dum pluvia impellitur causatur imber 38_{25} 464; post tonitrua ut plurimum pluviae magnae subsequuntur 38_{24} 595, *vide* tonitruum. – *Vide* ventus

Mutatio aeris fit secundum siccitatem et pluviam 37 (36_{33}) 2; quandoque in aere abundant pluviae 36_{27} 299, quod admirabile apparet 36_{28} 302; per pluviae multitudinem nobis occultatur caelum 38_{34} 599; per pluviam superficies terrae infunditur 5_{10} 215, cf. 36_{28} 308; aquae pluviarum guttatim cadunt 26_8 120, cf. 116; pluviis ex nubibus cadentibus, remanent vaporum reliquiae ex quibus nebulae generantur 26_9 126; pluviae congelatae sunt nives 38_{29} 504

In terris calidis sunt pluviae rariores 37_{13} 217, cf. 38_{26} 477; in locis montanis frequentiores et graviores sunt pluviae 24_8 82; pluviae in hieme abundant 37_6 109; pluviae sunt utiles ad terrae fecunditatem 36_{31} 329, ad productionem frumenti 37_{11} 162; per pluviam homines refrigerantur 29_{33} 216; aliud opus exercet homo tempore pluvioso 37_7 117

Occultae creaturae scilicet venti et pluviae 28_{25} 308; nubium cognitio est principium cognoscendi aeris permutationes, puta pluvias 37_{16} 241, *vide* nubes; pluvia in die aliqualiter praevideri potest 27_{20} 228; pluvias sensibiliter homines percipiunt, sed earum primam originem a Deo non comprehendunt 37_{15} 228. – *Vide* vapor

poena, poenalis, poenosus: creaturis rationalibus debentur poenae et praemia 7_{12} 274; poena per convenientiam culpae respondebit 20_{18} 209; a contrario vitio in contrarium transire est poena consequens omnes malos 24_{19} 219; poenae cor-

porales non videntur directe causari ex ipsis peccatis nisi forte ex aliquibus 18_{12} 154

Nullus potest esse a poena immunis 31_4 58; aliquis offendit unde poenam meretur a Deo dupliciter 3_{26} 537; poenae praesentis vitae sunt ad correctionem 35_{15} 144, si acerbae sunt cito interimunt 21_{31} 312; adversitas temporalis non est poena peccati 21_{16} 141, cf. 36_{12} 111; si propriae poenae peccatorum essent adversitates vitae praesentis 6_2 18, *vide* adversitas; mors est poenarum praesentium maxima 9_{22} 519, ultima 8_5 73, irremediabilis 34_{23} 256, cf. 36_{16} 167, 20_{21} 280, 24_{20} 238; ad rectorem humanarum rerum pertinet ut quos culpabiles invenit poenis subiciat 9_{11} 292; propter malitiam punientis tripliciter contingit poenas innocentibus irrogari 10_2 68; quandoque ex multitudine poenarum homo deficit ut ulteriores sustinere non possit 20_{18} 197; per hoc quod homo liberatur a culpa consequens est ut evadat poenam 33_{18} 197, cf. 36_{14} 133; poena damni 20_{26} 300, poena sensus 20_{26} 306; cognoscere ea quae hominem affligunt poenosum est 3_{20} 442; in sanctis angelis non est timor poenalis 26_{11} 161. – Poena: *ira* 6_2 31; poenae magnitudo: *furor* 35_{15} 141; poenae praesentes: *arma ferrea* 20_{24} 275, poenae futurae vitae: *arcus aereus* 20_{24} 278. – *Vide* culpa, offensa, satisfactio

poeta: poetae consueverunt figuris et coloribus uti 3_4 137, ad eandem sententiam diversa inducere 3_4 138

polus: totum caelum et omnes stellae in eo semel in die et nocte revolvitur super polos mundi 38_{21} 540; aequinoctialis transit per utrumque polum 9_9 254, inde uterque polus conspicuus est his qui sub aequinoctiali habitant 9_9 251; accedentibus versus polum septentrionalem, elevatur super horizontem polus septentrionalis (polus aquilonaris 26_7 92) et deprimitur polus australis 9_9 257; stellae septem Arcturi sive Ursae maioris semper circueunt polum septentrionalem 9_9 240, 38_{21} 543, uniformiter in gyro 38_{21} 547; nobis polus australis numquam est conspicuus 9_9 261, 37_9 135; venti meridionales oriuntur nobis ex parte quae est versus polum antarticum 37_9 133, *vide* ventus

pomum: naves poma portantes 9_{24} 620

pondus: tremunt genua homini magnum pondus portanti 4_4 54

porta: iudices olim in portis sedere solebant 5_4 73, 29_7 74, cf. 31_{21} 241

positio: in caelo sex positionis differentiae 23_8 79, 96

possessio, possidere: frequenter multa possidentes, dum ea immoderate amant, eis tenacius utuntur 1_4 103; per nimium cultum superfluos fructus a suis possessionibus extrahere 31_{38} 388. – Firma possessio: *hereditas* 31_8 39

posterius: sensibilia simpliciter et secundum naturam sunt posteriora 12_{14} 205; si imaginemur motum firmamenti sicut motum unius animalis, oportebit ponere posterius in inferiori hemisphaerio 23_8 85

potens: peccatum proprium potentum est ut subditis violentias inferant, utentes sua potentia quasi lege iustitiae 36_9 88; quando aliquis dives et potens filios sine disciplina nutrit, filii eius in multa pericula frequenter incidunt 5_4 61; quandoque aliqui persequuntur potentes propter invidiam vel timorem 36_5 41; illi per quos diabolus in alios malitiam exercet sunt ut plurimum potentes 41_{13} 211; in potentibus quandoque invenitur iniquitas, et pro hac puniuntur a Deo 36_6 52, cf. 36_7 64, 34_{17} 191; si consueto modo potentibus mors expectata superveniret, non imputaretur hoc divino iudicio 34_{20} 219

potentia, posse, potenter: est de ratione potentiae quod se habeat ad esse et non esse 4_{18} 422, secundum quod magis perficitur ab actu firmius stat in uno 4_{18} 424; causa mutabilitatis est potentia 4_{18} 421; sicut materia comparatur ad formam ut potentia ad actum, ita voluntas ad bonum 4_{18} 427; multa per nos ipsos non possumus quae possumus per amicos 6_{13} 187; ut ea quae aliquis iudicat facienda potenter exequatur, ad hoc pertinet fortitudo 12_{13} 201; non conveniens est quod aliquis fortissimus suam potentiam velit ostendere in re debilissima 13_{25} 371; adhibetur favor alicui personae quandoque propter defectum potentiae illius cui favetur 26_1 12; in rebus humanis excellunt reges secundum potentiam 12_{18} 300. – Potentia: *arcus* 29_{20} 192, *brachium* 40_4 55, cf. 22_8 68, *cervix* 13_{12} 180, *cingulum* 12_{18} 303, *manus* 6_9 112, cf. 30_3 22

potestas: consistit temporalis prosperitas primo in potestate 21_{23} 234; inter potestates humanas praecellit regia dignitas 34_{18} 193, secundum locum tenent duces exercitum 34_{18} 197; qui non habent legitimam sed usurpatam potestatem scilicet tyranni 34_{19} 203; oportet quod in iudice sit maior potestas qua possit utramque partem comprimere 9_{22} 721, cf. 36_{23} 252; motus violentus est a potestate humana 26_7 110; non est rationi consonum ut maior potestas a minori de iniustitia condemnetur 36_{22} 239; impedimentum misericordiae est fiducia propriae potestatis 31_{21} 235, ex qua homini videtur quod impune possit alios gravare et maxime inferiores personas 31_{21} 237; potestas nocendi alicui non est nisi a Deo 12_4 129, 15_{20} 196, cf. 40_{14} 404. – Potestas: *manus* 1_{12} 566, 5_{30} 357, 8_4 77, 12_{10} 149, 21_{16} 153, 23_2 15, 27_{25} 246, 28_9 123, 37_2 69

potissimus: illud unicuique pars esse videtur quod quasi potissimum bonum desiderat 24_{18} 203; proles inter temporalia bona potissimum reputatur 27_{14} 169

praeceps: adolescentia est magis praeceps ad peccandum 20_{11} 121

praeceptum: peccatorum quaedam sunt commissa quae contra praecepta legis negativa fiunt 13_{23} 335, quaedam omissa quibus praecepta affirmativa negliguntur 13_{23} 336, *vide* peccatum

praedicatio: homines luxuriae dediti a bonis praedicationibus discedunt 31_3 53

praedo: ex quo aliqui finem suum in divitiis ponunt, efficiuntur praedones 12_4 103; in hoc quod praedones praedantur Deum provocant, sed abundantia consequens est eis a Deo 12_4 131, 12_{10} 158

praemissum: solent homines hebetes cum cognoscant praemissa non advertere quid ex eis sequatur 27_{12} 144

praemium: creaturis rationalibus debentur poenae et praemia 7_{12} 274; prosperitas temporalis non semper est praemium virtutis 21_{16} 141, cf. 1_{10} 518, *vide* prosperitas

praeoccupare: pluvia subito praeoccupans hominem 27_{20} 229; aliqui pauperes praeoccupantes tempus operis 24_{14} 149; plurimos in hac vita praeoccupat luctus 21_{33} 339

praescientia: ultio futurae damnationis quandiu est in Dei praescientia

quasi in quadam vagina non damnat 20_{25} 285. – *Vide* Deus

praesens: pars sensualis non habet locum nisi ad praesentia 3_{15} 385; semper homo quasi non contentus praesentibus futura desiderat 7_8 62. – In praesenti tempore: *nunc* 37_{21} 317

praestolari: remedium praestolari 10_2 44

praesumptio, praesumere, praesumptuosus: etiam in praesumptionibus seu suspicionibus in meliorem partem dicta vel facta interpretanda sunt 4_2 18; etsi sit sibi conscius de peccato aliquis quandoque praesumit vel quia non habuit malam intentionem aut quia fecit ex ignorantia et infirmitate 9_{21} 492; iuvenilis praesumptio, more contentiosorum 37_{24} 400; praesumptio nigromanticorum 40_{16} 649; inordinata spes in praesumptionem degenerat 13_{13} 225; solent homines impavidi in contrarium timoris incedere per praesumptionem 31_{24} 351; qui timet aliquem non praesumit cum eo contendere 15_4 31, cf. 33_{12} 108

Est valde praesumptuosum quod homo suam scientiam divinae audeat comparare 22_2 13, quod putet bona quae facit esse Deo utilia 22_3 21, quod cupiat disputare cum Deo 33_{12} 112; si quis in tantam praesumptionem erigeretur ut sufficienter de Deo loqui se aestimaret, ex hoc ipso sibi periculum immineret 37_{20} 299

praetendere: simulatores praetendunt iustitiam quam non habent 36_{12} 121; hypocritae exterius praetendunt ac si Deo inhaereant 8_{13} 215

pravitas: secundum Origenem, quicumque spiritus creati possunt etiam nunc ad pravitatem perduci 4_{18} 452. – *Vide* angeli

preces: propter timorem preces porrigere victori 40_{23} 579

pretiositas, pretiosus: de generatione aliquorum pretiosorum 28_6 94, de eorum inventione 28_{13} 166; quaenam sunt apud homines pretiosissima 28_{15} 188, cf. 41_{21} 375; propter pretiositatem solent dona promissa allicere hominem 41_{21} 365

pretium: pretia lapidum non sunt eadem nec in omnibus locis nec in omnibus temporibus 28_{16} 213; vitrum non est praecellens pretii aestimatione 28_{17} 217; operariis denegare pretium laboris 31_{39} 396

primarius: primarii civitatis aut regni excellere videntur secundum prudentiam in consiliis 12_{19} 310

primitiae: ante Legem datam fuit primitiarum oblatio 1_5 161

primitus: primitus offendere 3_{26} 544

princeps: excellunt principes in auctoritate quam habent aliis praecipiendi 12_{21} 325, cf. 12_{24} 376, 25_3 53; terreni principes maxime detestantur rebelles 40_6 139; cum princeps ab extraneis aufertur requiritur quod habeat manum armatam contra ipsum 34_{20} 231. – Malefactorum princeps: *caput aspidum* 20_{16} 168

principium, principalis: virtus divina est naturae principium 26_7 112, *vide* Deus; non omnia procedunt ex necessitate principiorum naturalium 5_9 163; seminaria sapientiae et scientiae in cognitione primorum principiorum 38_{26} 625; unumquodque consuevit appellari id quod est in eo principalius 4_{19} 489

probare, probabilis: experimentum in rebus particularibus maxime efficax est ad probandum 8_8 127; aliqui quandoque aliqua probabilia licet falsa proponunt 13_5 47

processus, procedere: vestigia signa sunt per viam procedentis 11_7 106; vecte processus alicuius impeditur 38_{11} 220; homo per aetatis processum tendit in mortem, nec iteratio potest esse 16_{23} 313, *vide* homo; productio creaturarum a Deo quidam processus Dei intelligitur in creaturas 11_7 108. – Procedere: *ambulare* 24_{17} 185, 29_3 38; processus: *gradus* 31_{37} 378, *gressus* 31_4 62, 34_{21} 245, *itinera* 30_{12} 151, *semita* 22_{15} 162, *via* 23_{10} 155, 24_{12} 132, 24_{23} 284, 28_{23} 282, 31_4 59

proclivis: iuvenes solent esse ad peccata proclives 29_8 80

productio, producere: productio creaturarum a Deo quidam processus Dei intelligitur in creaturas 11_7 108, cf. 28_{27} 331; a Deo immediate innumerabilia nobis producta sunt 5_9 197, 9_{10} 284; in caelestium corporum productione fuit materia cum forma producta 37_{18} 268; sexto die simul cum homine terrena animalia sunt producta 40_{10} 286; si angelorum creatio duratione praecessit hominis productionem 40_{10} 296. – *Vide* Deus, creatio

proelium: rex qui praeparatur ad proelium 15_{24} 239

profectus: iusti puniuntur ad profectum 24_{20} 248; Deus quandoque hominem exaudit non ad votum sed ad profectum 9_{15} 411, *vide* Deus; medicus infirmum ad profectum exaudiens 9_{16} 413

profunditas, profundum: profunditas alicuius in consiliis ex duobus perpendi potest 12_{17} 272. – Profundum inferni: *fovea* 40_8 206; profundum maris: *abyssus* 41_{22} 411

prolabi: ad peccata prolabi 27_6 64

proles: perpetuitas quae in persona salvari non potest quaeritur in prole 1_{12} 617; proles inter temporalia bona potissimum reputatur 27_{14} 169; ad prolis sustentationem possessionibus indigetur 1_{13} 618; qui adulterium committit prolem certam subtrahit 31_{12} 143

promittere, promissum: homo quandoque alium superat promissis alliciendo 41_{21} 363, cf. 365; solent exauditi a Deo vota implere quae postulando promiserunt 22_{27} 287; in statu Veteris Testamenti temporalia bona promittebantur 42_{10} 110

promptitudo, promptus: homines solent lumbos praecingere ut sint prompti ad iter vel ad quamlibet actionem 38_9 57; duces bellorum solent esse promptiores ad loquendum 29_{10} 93

pronitas, pronus: non est aliqua condicio hominum cui non adsit pronitas ad aliquod peccatum 5_2 6, 32, *vide* peccatum; sublata reverentia aut timore ad Deum subsequitur pronitas ad vitia Prol. 44

proportio, proportionare: Deus excedit universam proportionem creaturae 11_8 71; concurrens debita proportio virtutis activae ad materiam proportionatam tali speciei 28_1 45; convenientissima proportio caelestium motuum 38_{27} 651, cf. 637. – Proportio: *ratio* 38_{27} 639

propositum: solent homines a suis operibus impediri quando habent in suo proposito debile fulcimentum 24_{17} 177; a proposito suae malitiae diabolus retrahi non potest 40_{13} 382; efficax disputator quandoque propositum taliter firmat quod in contrarium nihil dici potest 12_{17} 287

prosperitas, prosperari, prosperus, prospere: prosperitas successus humani quandoque procedit ex humana providentia, quandoque ex causa superiori scilicet divina providentia 18_8 72, *vide* prudentia, Deus; principium prosperitatis temporalis, post bonam consistentiam personae propriae, consistit in personis coniunctis et praecipue in

natis 1_3 54; consistit temporalis prosperitas in potestate, in corporis sanitate, in exteriorum rerum opulentia, in consiliorum et operum prospero successu 21_{23} 234; qui in dignitatibus constituti sunt maxime prosperari videntur 3_{14} 365; pertinet ad prosperitatem terrenam spatiositas domorum 27_{18} 206; videntur in luce ambulare quibus omnia prospere succedunt ad votum 18_5 62, 66, *vide* felicitas, optare; parvitas et magnitudo est in hac vita secundum inaequalitatem prosperitatis terrenae 3_{19} 422, cf. 21_{26} 264; homines stulti in prosperitatibus nullum dubitant offendere 5_4 73; invidia est tristitia de prosperitate alicuius inquantum aestimatur propriae prosperitatis impeditiva 5_2 26

Prosperitas terrena inter minima bona computatur utpote organice deserviens ad veram hominis felicitatem 8_{12} 196; bona temporalis prosperitatis non sunt in potestate habentium ut possint ea acquirere vel retinere cum volunt 21_{14} 159; nescitur quo status praesentis prosperitatis perveniat 3_{23} 470; quidam prosperitatem huius mundi pro fine habent, quidam ad alium finem tendunt 9_{25} 586; bona quae agimus non referuntur ad prosperitatem terrenam quasi ad praemium 1_{10} 518. – *Vide* bonum, divitiae

Quidam prosperantur usque ad mortem, quidam in miseriis moriuntur 21_{23} 232; prosperitas temporalis non semper est praemium virtutis 21_{14} 141, 17_5 88; impii frequenter prosperantur in hac vita 21_{16} 143, num ergo sit ratio a malitia declinandi 21_{16} 146, *vide* impius; non est contrarium divinae providentiae si mali in hoc mundo temporaliter prosperentur 27_8 87, nec contra divinam iustitiam 29_1 4, cf. 21_{14} 124, *vide* malus; aliquando peccatores sustinentur in prosperitate et non statim condemnantur 33_{30} 343, cf. 8_{19} 298, 24_{23} 274, *vide* peccator; non est universaliter verum ut post paenitentiam homines temporalem prosperitatem recuperent 17_5 86, cf. 36_{12} 111. –Prosperitas: *lucerna* 21_{17} 172, *lux* 18_5 63, 15_{22} 214; claritas terrenae prosperitatis: *fulgor* 11_{17} 250. – *Vide* adversitas; Iob

prospicere: aliquis in futurum adversa prospiciens aliqua adminicula sibi et domui suae contra adversa parat 8_{13} 243; solent homines a suis operibus impediri quando non prospiciunt rei eventum 24_{17} 177.–Prospicientes huc et illuc: *vaganies* 38_{11} 692

prostratio, prosternere: homines consueverunt examinari in prostratione hominum 9_7 208; homines dolentes magis solent prosterni 1_{20} 765

protectio, protegere: vestimentum undique protegit et ornat 29_{14} 131. – *Protectio*: custodia 14_{13} 167; protegere: *vallare* 1_{10} 501

providentia: prosperitas successus humani quandoque procedit ex humana providentia, puta cum homo prudenter et caute singula quaeque disponit 18_6 72; quidam res humanas casualiter procedere dicunt quatinus providentia et consilio humano reguntur Prol. 37. – Providentia hominis: *lux* 18_6 84. – *Vide* Deus

provocare: aliquis provocatur ad disputandum vel contendendum cum aliquo tripliciter 22_2 9; iustum est ut qui alium ad disputandum provocat, etiam ipse paratus sit respondere 39_{22} 339; hoc magnae praesumptionis videtur quod aliquis maiorem se provocet ad disputandum 33_{12} 108

proximus: propter Deum et in Deo proximus diligendus est 6_{14} 195; ab iniustitiis laeditur proximus 8_6 102; in proximum quis peccat occulte per dolum et manifeste per vim 1_1 28; nocumenta proximis illata quandoque per modum calumniae inferuntur sub praetextu iustitiae, quandoque sine aliquo colore iustitiae 22_6 47

prudentia, prudens, prudenter: prudentia ad actionem pertinet 12_{12} 185; qualiter universalia statuta humana sint factis singularibus applicanda relinquitur prudentiae operantis 11_6 80; humana providentia, puta cum homo prudenter et caute singula quaeque disponit 18_6 73; quanto aliquis prudentior est, tanto in statu prosperitatis magis recogitat quae in adversitatis tempore sibi accidere possunt 3_{26} 524, cf. 19_8 73; primarii et consiliarii civitatis aut regni excellere videntur secundum prudentiam in consiliis 12_{19} 310; indicia naturalis cuiusdam prudentiae in animalibus 38_{26} 627

pruina: ros congelatus 38_{29} 504; ex frigore una glacies causatur in aere, quod pertinet ad pruinam de caelo cadentem 38_{29} 513, in qua non apparet tanta virtus frigoris sicut in glacie quae generatur in inferioribus aquis 38_{29} 517

pudicus: sardonyx, ut dicitur, hominem pudicum reddit 28_{16} 207

puer, pueritia: puer nascens 38_8 188; puer mox natus non potest se movere ut discedat a matre 39_4 46; adolescentis patris filios pueros esse oportet 29_3 53. – Pueritia: *aurora* 3_{10} 302

puerpera: in necessariis ad pariendum solent mulieres puerperae ab aliis instrui 39_2 32

pugna, pugnare: est una contentio qua contenditur pugnando et haec est per fortitudinem 9_1 54; in guerra fit praeparatio ad pugnam 38_{23} 445; pugnando pacem acquirens a minus vel aeque potenti 9_4 66; pugna fit hominis ad se ipsum dum ratio renititur ei quod per concupiscentiam vel iram absorpta peccavit 7_{20} 481. – *Pugna*: actualis conflictus 38_{23} 444

pulcer, pulcritudo: pulcritudo in exteriori apparentia consideratur 18_{13} 172; nihil videtur esse pulcrius in corporalibus rebus quam radii solares 41_{21} 367; bona praecipua corporis videntur esse pulcritudo et fortitudo 18_{13} 170; in iuventute homo pollet corporis pulcritudine 13 (14_2) 444, quae nulla est quia cito transit ad modum floris 13 (14_2) 445; propter pulcritudinem solent dona promissa allicere hominem 41_{21} 365; in comparatione ad res pulcerrimas res quae parum pulcritudinis habent videntur immundae 25_4 68

Arboris cum radix fuerit firma pulcritudinem habet in ramis et fructibus 5_3 51; aurum pulcritudinem habet ex splendore 28_{17} 216, vitrum ex perspicuitate 28_{17} 217

pullus: de pullis asinorum 11_{12} 198, corvorum 38_{41} 685, onagri 11_{12} 196, strutionis 39_{16} 184

pulmo: aer qui respirando emittitur in pulmone continebatur 41_{11} 183, in quo calefiebat per calorem cordis qui pulmoni coniungitur 41_{11} 185; cetus habet pulmonem et respirat sicut delphinus 41_{11} 176

pulvis: mors mortuum hominem in pulverem conterit 18_{14} 184, 20_{11} 117, cf. 10_9 225, in corporalem pulverem 40_8 208, qui cinis nominatur 34_{15} 163; in pulverem reduci competit etiam naturali materiae 10_9 221, cf. 14_8 79; terra propter sui siccitatem in pulverem resoluta 38_{38} 666. – *Pulvis*: terra 21_{24} 261

punitio, punire: necesse est quod ipse qui punitur vel sit innocens vel peccator 10_{2} 62; quando sunt multi puniendi, non possunt iudices singulorum causam diligenter perscrutari 34_{25} 289; scire causam suae punitionis necessarium est homini vel ad correctionem vel ut patientius flagella sustineat 10_{8} 58; iusti homines videntes peccata puniri de iustitia laetantur 16_{11} 128; ira in Deo accipitur pro punitione 3_{26} 551, *vide* Deus

Iusti puniuntur ad profectum 24_{20} 248; hoc quod innocentes puniantur non dependet absolute ex malitia diaboli sed ex sapientia Dei permittentis 9_{24} 571, 574; duplex punitio innocentis in humano iudicio 10_{9} 63; impii puniuntur ad exterminium 24_{20} 248, quando ad summum pervenerint secundum mensuram a Deo praevisam 24_{24} 301, absque misericordia 24_{23} 272, cf. 20_{13} 136; pro iniquitate potentes puniuntur a Deo 36_{6} 52; iuste puniri videtur qui alienam uxorem adulterio polluit quod etiam eius uxor ab aliis polluatur 31_{10} 129. – *Vide* adversitas

pupillus: pupilli non audent petere 31_{17} 204; consueverunt homines misereri pupillorum propter defectum aetatis et carentiam sustentationis parentum 24_{3} 34; ex auctoritate divina prohibetur pupillorum oppressio 31_{22} 260

purgare: lignum fructuosum praeciditur ut purgetur 24_{20} 245; angeli purgari dicuntur non ab immunditia sed a nescientia (Dionysius) 41_{16} 288; angeli purgati sunt per separationem a societate diaboli 41_{16} 299, in die iudicii angeli et omnes sancti erunt de cetero purgati per totalem separationem a malis 41_{16} 301

puritas, purus: puritas uniuscuiusque effectus a sua causa dependet 4_{17} 404, secundum quod res in sua conservatur natura 4_{17} 402; effectus suam causam in puritate superare non potest 4_{17} 405; caeli tenent supremum locum puritatis inter corpora 15_{15} 133; secundum maiorem vel minorem puritatem metalla ut plurimum habent diversas origines 28_{1} 24, et diversificantur eorum species 28_{1} 20; duplex est puritas, innocentis scilicet et paenitentis 9_{20} 664; requiritur ad salutem etiam exterior puritas operum 22_{20} 304; puritatem frequenter divitiae obruunt vel etiam minuunt 1_{5} 128; quicquid quocumque modo mundum vel purum est, a Deo munditiam et puritatem habet 13 (14_{4}) 487, *vide* munditia; vir non potest esse purior suo factore, scilicet Deo 4_{17} 406; puritas hominis quantacumque sit ad divinum examen relata deficiens invenitur 9_{20} 658, 665, 13 (14_{4}) 485, cf. 25_{4} 86. – *Vide* Deus

pusillanimis: pusillanimes proni sunt ad invidiam 5_{2} 24, *vide* parvitas

putredo, putrefactio: truncus arboris per putredinem in pulvere redactus 14_{8} 79; germinans arbor ex putredine ligni habente vim sementinam 14_{9} 82; homo quasi ex materia existit putrefactioni vicina 25_{4} 89; ex hominis mortui corpore putredo et vermes generantur 17_{14} 193; vermis ex putredine generatur 25_{4} 90, cf. 30_{17} 194

Q

quadrupes: equus vehementer salit contra morem multorum quadrupedum 39_{20} 232

quaerere: nullus potest quaerens invenire id quod omnino ignorat 23_{3} 36; homines qui fraudulenter propriam utilitatem quaerunt plerumque a sua spe deficiunt 6_{18} 235. – *Quaerere*: facta examinare 31_{14} 170

qualitas: lux est quasi qualitas activa caelestium corporum sicut calor et frigus elementorum 38_{17} 322; calor est qualitas masculina 38_{29} 509, frigus vero feminina 38_{29} 507

quantitas: quare sol aut luna aut terra sit tantae quantitatis 5_{9} 156, cf. 38_{5} 111, 115; quantumcumque quantitates corporeae videntur magnae, deficiunt tamen a magnitudine virtutis Dei 11_{8} 137

querela: non habet homo iustam querelam de Deo si temporalibus bonis spolietur 1_{21} 826; si ex levibus querelis iudex provocetur ad odium alicuius, erit odium iniustum 33_{10} 79

quidam: quidam dicunt quod Deus res inferiores cognoscit in universali, puta cognoscendo naturam entis vel universales causas 22_{18} 121; aliqui negant Deum habere cognitionem et providentiam rerum humanarum propter altitudinem suae substantiae 22_{13} 111, propter distantiam eius a nobis 24_{1} 7; quidam dicunt quod Deus gubernat humana per universales causas quas per se gubernat 22_{14} 149; aliqui posuerunt dispositionem rerum secundum quendam ordinem numeri a Deo procedere 5_{9} 184; aliqui extiterunt qui divinam providentiam auferentes omnia fortunae et casui attribuebant Prol. 8, ponentes mundum casu factum esse et ea quae naturaliter generantur casui attribuentes Prol. 10, 15; qui providentiam negant omnia quae apparent in rebus mundi ex necessitate naturalium causarum provenire dicunt 5_{9} 148; quidam ponebant quod ea quae in terris sunt divina providentia non reguntur sed solum caelestia 22_{14} 141; emersit dubitatio utrum res humanae casu procederent an aliqua providentia vel ordinatione superiori gubernarentur Prol. 26; quidam res humanas casualiter procedere dicunt nisi quatinus providentia et consilio humano reguntur Prol. 37, quidam caelesti fato humanos eventus attribuunt Prol. 39

Quidam ponunt motum caeli et hunc statum mundi in aeternum duraturum 19_{25} 285; quidam dicunt corpora caelestia animata 38_{7} 160; caelestes virtutes se habere sicut duces et principes ex suo arbitrio cuncta agentes aestimaverunt multorum deorum cultores 25_{3} 51; quidam posuerunt superius caeli esse partem orientalem, dextrum autem in parte meridionali 23_{8} 96; quidam asserunt luminaria moveri per excentricos et epicyclos 38_{19} 383, quidam autem per motus diversarum sphaerarum 38_{19} 384; quidam antiquorum situm terrae et aliorum elementorum attribuerunt necessitati materiae secundum quod gravia levibus succident 38_{4} 96; aliqui putaverunt per actionem solis aliquam partem terrae exsiccatam esse 38_{8} 181; spatium aere plenum vulgares homines reputant vacuum 26_{7} 96

Secundum aliquorum expositionem, angelorum creatio duratione praecessit hominis productionem 40_{10} 296; secundum quosdam fuit excellentior Satan inter ceteras creaturas 40_{14} 392; quidam aestimaverunt diabolum non esse Dei boni creaturam 40_{10} 301; aliqui dixerunt quod anima non unitur corpori nisi accidentaliter sicut homo vestimento aut nauta navi 41_{19} 475; quidam posuerunt quod anima est homo dicentes hominem nihil aliud esse quam animam indutam corpore 41_{19} 486; aliqui au-

guriorum sectatores credebant aves augurales effectum sapientiae participare supra homines 28_{21} 258; aliqui a mortuis futurorum cognitionem exquirebant 28_{22} 266

Quidam posuerunt in hac vita ultimam felicitatem esse 7_1 11, cf. 14_{10} 96; alii dixerunt quod homines resurgent resumendo non terrena sed caelestia corpora 19_{26} 295; alii dicebant animam idem corpus quod deposuerat resumpturam secundum condicionem eandem 19_{26} 302, 7_{10} 228, cf. 10_{21} 422; quidam ponebant totum universum corporale istud corrumpendum et iterum reparandum 14_{12} 123, credebant quod rediret eadem res numero 7_{10} 210, ponebant hominem redituram ad eandem vitae seriem quam prius egerat 7_6 137, 7_{10} 207, 14_{12} 125, 16_{23} 307, 19_{25} 286, cf. 11_{18} 258

Secundum quosdam antiquorum species numerorum usque ad decem protenduntur 9_2 36; dicitur felix apud quosdam cui omnia succedunt ad votum 21_{23} 241; aliquibus visum est quod iste Iob non fuerit aliquid in rerum natura Prol. 72; quidam *gaudentque vehementer cum sepulcrum invenerint* referunt ad eos qui thesaurum effodiunt 3_{22} 461

quies, quiescere: quaelibet res adepto ultimo fine quiescit 7_2 57; quies finis laboris esse videtur 14_6 37, cf. 36_{16} 164; quiescere non est nisi subsistentis 3_{15} 376; nox est tempus deputatum humanae quieti 17_{12} 166; malorum multiplicatio procedere potest usque ad infinitum ut numquam sit pervenire ad statum quietis 36_{16} 163. – *Quiescere*: mori 14_6 54; quies ab adversitatibus: *silentium* 3_{13} 351; quies contemplationis: *nox* 35_{10} 109

R

radius: nihil videtur esse pulcrius in corporalibus rebus quam radii solares 41_{21} 367

radix: solent in radicibus quorundam montium defluere immeabiles torrentes 28_4 74; radix spei est duplex, scilicet ex parte auxilii divini et humani 19_{11} 98. – *Vide* arbor

ramus: rami hominis sunt filii et aliae personae coniunctae 15_{20} 300. – *Vide* arbor

rapina, rapere, rapacitas, rapaciter: in rapacitatis culpa duo 20_{19} 212; solent homines aliena rapere ut filiis suis divitias congregent 31_8 113; contingit quod homo adhibet manum ad rapiendum aliena 31_7 104; pauperes quasi quadam necessitate ad rapiendum bona divitum coacti 5_5 82; hi qui rapere consueverunt in hoc ipsum puniri se aestimant quod eis rapere non licet 4_{11} 201; iustum est ut si quis bona aliena rapit, etiam bona eius ab aliis diripiantur 31_8 109, 20_{20} 230, et etiam filii moriantur 31_8 116. – Rapina: *nudatio* 20_{19} 215; rapaciter acquirere: *devorare* 20_{15} 159

rastrum: boves trahentes rastrum terram aratam complanant glebam comminuendo 39_{10} 132

ratio 1.: in speculativis, per ea quae homo intelligit, rationes deducit ad aliquas conclusiones cognoscendas 12_{13} 197; quando homo efficaci ratione convincitur 32_{15} 151; rationem qua disputans operatur cognoscere 15_7 68, et quidem dupliciter 15_7 70; causam sine ratione defendere 26_3 29; homines non ratione contra aliquem condemnatum utentes 26_1 9. – *Caelorum ratio*: proportio caelestium motuum 38_{37} 639

ratio 2.: naturalis ratio immobiliter in homine manet ut non sit necesse eam iterare 33_{14} 150, cf. 38_{36} 622, 625; in vigilando est ratio magis libera 4_{16} 339; per solam rationem nostri actus domini sumus 3_1 33, *vide* liber; ratio fortior est inter omnes animae virtutes, cuius signum est quod aliis imperat 7_{20} 472; in ratione excedimus bruta 35_{11} 113, 4_{10} 168

Ratio condicionem naturae auferre non potest 3_1 7; ratio mortalis hominis quantumcumque fortis ex parte carnis experitur sensum doloris 6_{12} 156; ratio hominis occultos motus passionum in verba producens 10_1 30, cf. 26; per rationem homo potest proprio labore sibi necessaria adiumenta conquirere 5_7 120; quod opus cuilibet tempori congruat discernit homo secundum rationem sibi divinitus datam 37_7 119

Per inquisitionem ratio ab effectibus procedit ad causam 11_7 121; homines per inquisitionem rationis ad sapientiam veritatis perveniunt 28_{27} 339; ratio per modum rationis investigans 12_{17} 269; rationis investigatio ad veritatis terminum non pervenit nisi divinitus doceatur 10_2 56, 39_{35} 377; bonum quod ex aliqua miseria expectatur sola ratio aprehendit 3_3 89; homines sapientes per deliberationem rationis se ipsos consolantur 7_{13} 299, secum loqui possunt secundum rationem aliquid cogitando 7_{13} 304

Omnis inordinatio ex defectu rationis procedere videtur 38_2 52; per superbiam homo praecipue metas rationis excedit 5_2 16; perversitas rationis stultitia est 5_2 23; homo lucem rationis dimittens 18_6 87

Per naturalem rationem discernere possumus bonum a malo 33_{14} 149, 35_{11} 113; semper ratio redit ad suam naturam qua in spiritualia bona tendit sicut in proprium finem 7_{20} 479; quod natura sensibilis patiatur gaudiis et doloribus ratio sic moderatur ut a sua rectitudine non divertat 3_1 10, cf. 4_6 93, 6_{10} 130; dum inter tribulationes hominis ratio recta manet, Deo se subdit et ab ipso remedium praestolatur 10_2 42, *vide* rectitudo

Quandoque defectus invenitur in operibus humanis ex ignorantia propter debilitatem rationis 9_{21} 680; ratio interdum ad modicum absorbetur per inferiorum partium passiones et sic homo peccat 7_{20} 474, *vide* peccatum; passionibus ratio ligatur circa particularia ut ne universalem cognitionem applicet ad agenda 12_{25} 394, cf. 398, et tunc quasi caligat oculus rationis 23_{17} 252; ratio per concupiscentiam obtenebratur 31_9 122; acies rationis est per iram zeli turbata 17_7 111, cf. 5_8 20; impatientiae ratio est cum ratio alicuius adeo a tristitia deducitur quod divinis iudiciis contradicit 6_{10} 128; cum ratio a passione vincitur, homo contra Deum remurmurat et quandoque usque ad blasphemiam 10_2 40; ratio renititur ei quod per concupiscentiam vel iram absorpta peccavit 7_{20} 481; quia ex peccato praeterito inferioribus viribus est addita pronitas, ratio non potest libere eis uti 7_{20} 483, non tamen sic possunt rationem ligatam tenere quin semper redeat ad suam propriam naturam 7_{20} 477. – Ratio: *vultus* 9_{24} 553; rationis oculus: *facies* 23_{17} 251

ratiocinari: provocatur aliquis ad ratiocinandum cum aliquo ut fiat collatio datorum et acceptorum 22_3 18

rationalis: in creaturis rationalibus invenitur meritum et demeritum propter liberum arbitrium, et propter hoc debentur eis poenae et praemia 7_{18} 274. – *Vide* creatura

rebellare, rebellis: terreni principes maxime detestantur rebelles 40_6 139, cf. 34_{20} 222; superbi quasi Deo rebellant 40_6 136, cf. 24_{13} 138

recidivum: perseverare cavens sibi a recidivo peccati 8_6 100

recludere: in terraemotu contingit quod aliqua aperte recluduntur 38_{14} 280

recordatio: aliquis dies clarus est ex hominum recordatione 3_4 178

rectitudo, rectus, recte: rectum est cuius medium non exit ab extremis 1_7 371, *vide* obliquatio; rectum est iudex sui ipsius et obliqui (Aristoteles) 11_5 36; unumquodque ostenditur rectum per hoc quod suae regulae conformatur 23_{11} 174, *vide* regula

De his quae homo adinvenit rectum iudicium habere ad sapientiam pertinet 12_{13} 199, 12_{16} 243, cf. 34_{24} 397, *vide* sapientia; ille recte iudicat de rerum veritate qui discernit quomodo aliquis decipiatur a veritate declinans 12_{16} 245, cf. 31_6 81

Rectitudo ad iustitiam proprie pertinet 1_1 33, 1_7 370, *vide* ius; convenienter iustis ascribitur rectitudo 1_7 374, 4_6 123; studium iustorum est ad rectitudinem sectandam 12_4 68; ratio a sua rectitudine non divertens 3_3 11, *vide* ratio; in multis homo potest deficere a rectitudine quin contrarietur legi humanitus positae 11_6 82, tunc tamen contrariatur legi divinae 11_8 86. – *Rectum*: fidelia dogmata 42_7 64

rector, regimen: aliter est in humano regimine et aliter in divino 11_6 61; ad rectorem humanarum rerum tria pertinere videntur 9_{11} 292; quidam legem divini regiminis profitentur sed eam opere non sequuntur 22_{22} 242

recuperatio: arboris extirpatae si rami comburantur, nulla spes ultra remanet recuperationis 15_{30} 299, *vide* arbor

reddere: opus iustitiae est reddere unicuique quod suum est 4_{17} 391

redimere, redemptor: a peccato primi hominis per Christum redimendum erat genus humanum 19_{25} 258, pro nobis morientem 19_{25} 260; omnes antiqui ante Redemptoris adventum ad inferna descendebant 21_{13} 115

reditus, redire: non iidem homines per generationes redeunt qui prius fuerunt secundum numerum sed solum secundum speciem 7_9 204, cf. 186; non potest redire homo post mortem ad eundem modum vivendi 20_9 101; reditus ad vitam carnalem quem Iudaei ponunt et quidam philosophi posuerunt 7_{10} 228, cf. 10_{21} 422, 19_{24} 302, 27_{19} 222; quidam ponebant hominem rediturum ad eandem vitae seriem quam prius egerat 7_8 137, 7_{10} 207, 14_{12} 125, 16_{23} 307, 19_{25} 286, cf. 11_{18} 258. – *Vide* reparatio, resumere

redolentia: ad concupiscentiam peccati incendere quasi per redolentiam quandam 41_{10} 173

redundare: omnia quae accidunt in corporali creatura in utilitatem hominum redundant 38_{13} 270; hoc quod iniquus aliis nocet etiam in suum nocumentum redundat 24_{22} 263

refrigerium, refrigerare: aqua cum refrigerio bibitur 34_7 70; imber serotinus refrigerium praestat post aestum diei 29_{23} 221; per pluviam homines refrigerantur 29_{23} 216; nubes roris messoribus refrigerium praestat 29_{19} 184, cf. 7_2 71, 40_{17} 441

regio: auster procedit ex regionibus calidis 37_{17} 253; horizon alicuius regionis infra quam extremitates maris claudi videntur 36_{20} 320; cetus si capiatur toti regioni sufficit 40_{25} 613, cf. 38_{39} 672

regula: quanto regula propinquior est primae rectitudini minus habet de obliquitate 4_{18} 442, *vide* rectitudo; est duplex regula humanae vitae, scilicet lex naturalis et lex exterior divinitus tradita 23_{11} 176, *vide* lex; oportet quod in iudice sit altior sapientia quasi regula ad quam examinentur dicta utriusque partis 9_{33} 714; Dei sapientia est prima regula ad quam omnium veritas examinatur 9_{33} 716, regula omnium legum 36_{22} 246, *vide* Deus

reinserere: idem numero scirpus non reinseritur 8_{19} 287

relevare: qui de omnibus timet non potest sperare quod post oppressionem relevetur 15_{22} 211; in die relevatur animus hominis ex hominum societate et lucis aspectu 17_{12} 171

religio: impii pietatem divinae religionis abiciunt 34_8 82; homines contra pietatem divinae religionis agentes non solum despiciunt divina iudicia sed etiam ea negant vel asserunt iniusta 34_8 78. – *Vide* Deus

